



Ex Libris
Petri Adamoli
Regi à Consiliis, à portubus
pontibus, transitibus que
urbis Lugdunensis ac
veteris Provinciæ, Summi
·17 33·




ACAD.
SCIENT. LITT.
ET ART.
LUGD


Dulcedine Cantus
Trahuntur
VELLEIUS PATERCULUS

C. VELLEII PATERCULI HISTORIÆ ROMANÆ,



AD M. VINICIUM COS.

LIBRI DUO.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

ROBERTUS RIGUEZ è Societate JESU.

JUSSU CHRISTIANISSIMI

REGIS,

IN USUM SERENISSIMI

DELPHINI.





PARISIIS,

Sumptibus FRATRUM BARBOU, viâ Jacobæâ

sub Ciconiis.

M. DCC. XXVI.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



SERENISSIMO GALLIARUM

DELPHINO

S. P. D.

ROBERTUS RIGUEZ

E SOCIETATE JESU.

EXIRE gestit in tuo nomine, SERENISSIME DELPHINE, *Velleius Paterculus; ex quo illum in usum tuum adornavimus. Nec vereor ut à te benignè accipiatur: nec me, quominus ejus historiam Tibi consecrem, exiguitas illius deterret. Nam spectabis, opinor, non quantæ magnitudinis sit; sed quos ex illâ morum vitæque fructus colligere possis. Colliges sanè multos, non decoros solùm Principi, sed etiam perutiles. Ex humanarum rerum ac fortunæ, quæ illic legitur, vicissitudine; ex imperiorum*



atque civitatum occasu, consuesces parvi ista facere: & æquam servare mentem in iis aut tuendis aut appetendis. Ex alienis periculis, & casibus, atque exemplis, quibus abundat, addisces quid olim in tuis & Regni rebus gerendis tenendum vitandumque sit. Quæ tandem civilis prudentiæ præcepta non expectare licet ab eo, qui non scripsit historiam, nisi sub exitum vitæ in aula duorum Imperatorum anteactæ per omnes urbanarum militariumque dignitatum gradus?

Sed ista commendatione opus non est ad quærendam VELLEIO PATERCULO *gratiam. Dudum illi tuum patrocinium utroque nomine debes, & quod jussu Regis, & quod tuâ causâ in lucem prodeat. Deinde id unum debeo profiteri, quod ipse, si per se loqui & se Tibi sistere posset, non sileret. Magnas profectò Tibi atque Regi de isto honore gratias ageret, quem vestro de se judicio adeptus est. Hoc quippe, quanti vos illum feceritis, illustre testimonium est; quod dignationis uterque tantæ, ille commentarios in eum scribi jusserit, quò tuis studiis commodaret: Tu in ejusdem lectione versari cogites cupiditate discendi. Quanto autem majores ambobus vobis gratias referret, si in aliis quoque Latinæ linguæ auctoribus idem fieri singulari literarum felicitate videret, &*

uti sermone posset! tùm qui hoc possum, præstare debeo, maxime cùm & Interpres Velleii, & ex illâ Societate sim, quæ literas colit & amat imprimis.

Hoc itaque prædico, & hoc pace dicam cæterorum superioris & hujus ætatis principum, qui de literis unquam bene meriti sunt: nullum in eas conferri posse beneficium præstantius, quam id quod munificentia Regis acceperunt. Nempe Rex eruditos viros, qui Poëtas, qui Oratores, qui Historicos Latinos & Notis & Interpretationibus illustrarent, intra & extra Regni fines quæsivit, delegit, præmiis invitavit: tanquam distractissimus tot aliorum mole negotiorum ejus animus huic uni rei vacasset. Quod factum quam novum, quam prius inauditum, quam unius est LUDOVICI *ubique* MAGNI *proprium! Ex quo quid aliud consequens est, quam fore deinceps, qui discendi difficultatem excusare meritò possit neminem.*

Quanquam Tibi potissimum, SERENISSIME DELPHINE *hujus facti gratia tribuenda est. Rex enim Maximus haud alio consilio curavit Auctorum Latinorum explanatione literas reddi faciliores, quam ne Tuus in iis progressus retardaretur. Ita tamen, cùm tuus & patriæ sit pater, habuit tuorum studiorum rationem, ut aliquam publicorum duxerit.*

Cùm Gallia jam floreret omnibus artibus, eam quoque fieri voluit omnium gentium doctissimam. In Te vero cùm esse illa cerneret, quibus à vulgo facile dignosceberis, ingenium excellens & indolem regiam; animum item gloriæ cupidum: ejusmodi generis ac naturæ bonis consentaneam optavit esse, quam reciperes, institutionem. Voluit ad omnium artium studia sic incumberes puer, ut vir inter alios Principes non minus doctrinæ, quàm cæterarum rerum principatum obtineres. Quàm vero egregiè Regis voluntati respondes! tanta est etiam nunc tua cum industria, tum celeritas in discendo; ut quarto & decimo jam ætatis anno, quo cæteri obvia quæque & quotidiana vix norunt, multiplici eruditione præstes. Quo minus in Galliâ miror Artium liberalium studia vigere; & hoc unum jam studere Gallicam Nobilitatem, ut exemplo tuo discat. Ut enim quisque Te proxime doctrinâ attinget, ita & Tibi procul dubio placebit maxime similitudine studiorum atque voluntatum.

Utinam autem quantum isto tuo facto decus attulisti literis, tantam eæ Tibi gratiam referrent! saltem quod possunt unum, debitum à se cultum & honorem perpetua tui nominis & tuarum rerum commendatione persolvent: nec unquam domi vel militiæ suaviter aut fortiter quidquam geres, quod non avidè statim occupent. Quæ quidem nunc laudent, in Te multa sunt; natura docilis & ad MONTAUSERII *fingentis arbitrium tenera & flexibilis, integri mores & amabiles, Christianæ pietatis amor & cultus, denique adversus omnes summa comitas affabilitasque sermonis. At longè majora, quæ prædicent olim, cùm Te virum, & paternorum exercituum ductorem maturior ætas fecerit, expectant. Lutetiæ Parisiorum* XV. *Kal. April.* CIↃ. IↃC. LXXV.



PRÆFATIO.



ISTORIA VELLEII PATERCULI quàm ſit elegans ſi non perſuadet doctiſſimi cujuſque judicium, ſatis ejus per ſe lectio docebit. Quo circa non eſt hîc operæ pretium eam commendare: tantùm ad præſens negotium intereſſe mihi videtur, quæ noſtrorum commentariorum ratio ſit, exponere.

Hiſtoria Velleii dumtaxat abhinc annos centum & quinquaginta tres Baſileæ primùm exiit in lucem operâ ſtudioque Beati Rhenani. A quo vetus hic linguæ Latinæ ſcriptor in Bibliothecâ Murbacenſi primùm repertus, deinde utcumque emendatus, demùm typis excuſus eſt. Quæ editio tametſi mutila, conſequentibus tamen annis provocavit eruditos viros, ut hunc Hiſtoricum pariter à mendis vindicare conarentur. Quod cùm multi diverſis temporibus, tum ego nonnullo meo labore ſum conatus. An aſſecutus ſim quod optabam, aliorum eſto judicium. Opella certè noſtra cùm placebit iis, quos ſpectavi, ſatis amplum tuliſſe me laborum meorum fructum exiſtimabo.

Quos ſpectaverim, vel me tacente, frons ipſa libri denuntiat. Spectavi LUDOVICUM

MAGNUM, qui nos huic operi imperio suo addixit. Maximè verò rationem duxi SERENISSIMI GALLIARUM DELPHINI, cujus in usum idem opus à me susceptum est; secundùm autem illum, Ducis Montauserii, Delphini juventæ moderatoris, de quo viro dubites belli clarior sit, an pacis artibus. cui, si aliquando publica studia juvabunt & nostri in Velleium, & qui in singulos auctores scribuntur aliorum commentarii, laus erit omnis ut hujus rei principi atque inventori tribuenda. Deinde Episcopi Condomiensis cœlestis eloquentiæ doctissimique ingenii, DELPHINI studiorum Magistri, per quem Velleius noster tanti Principis in manus utendus veniet. Postremò V. C. Petri Danielis Huetii, quem penes est, ut alterum ab Episcopo Condomiensi studiorum DELPHINI Magistrum, multiplici doctrinâ atque editis libris celebrem, omni curarum & officiorum genere promovere, quidquid in usum DELPHINI hodie scribitur. Hos, inquam, respexi præcellentes viros, qui Velleium commodare putaverunt posse Delphini studiis, quorum præcipua pars, Principe dignior, in historiæ & antiquitatis scientiâ sita est. Verùm multa prius ad nitorem speciemque pristinam restituenda fuerunt. Nam etsi volumen exiguæ molis est: cùm tamen vetustorum codicum omni prorsus ope careremus; & è veteribus vix sit ullus auctore nostro mendosior, ingenio tantùm & aliorum ante me scriptorum testimonio nitendum fuit. De quo decernere quàm sit operosum intelligunt ii, qui variarum (quemadmodum

vocant

vocant) lectionum discrepantiam norunt. Has lectiones in editione nostra prætermittere, quantumvis varias, non licuit: at ne fastidium legentibus pariant, eas sic proferimus, ut quæ potior sit pronuntiemus.

Duplex hujus editionis nostræ dos est, & quod locutionem Interpretatione verborum dilucidat, & quod rerum difficultates explicat Notis. Hanc porrò sequimur interpretandi rationem ab Illustrissimo Duce Montauserio excogitatam. Non modò sensum è sensu; sed ex verbis verba æquè significantia reddimus: obscuris expressiora, translatis propria substituimus. Cùm vel una vox textui non respondens additur, diversus illam signat character. Denique quarum vocum sensus aut vis exponi nisi pluribus non potest, illarum explanationem rejecimus in Notas. Notæ verò breves ut essent curavimus: sic tamen, ut in his nihil ad historiam, aut ad fabulam, aut ad cæterarum rerum intelligentiam desiderari posset. Unum restat, ut fatear, hoc totum quod est hîc Notarum in Velleium Paterculum, hoc, inquam, non totum meum unius esse; sed partim eorum, qui operam suam in VELLEIUM Emendandum egregiè contulerunt. Lipsium imprimis & Vossium, quibus plus debeo, honoris causâ nomino; & in meæ laudis, si adipiscor aliquam, accipio societatem.

DE
VELLEII PATERCULI
GENERE, VITA, ET SCRIPTIS.

FUIT VELLEIUS Neapoli Oriundus equeſtri familiâ, majoribus in Campaniâ celeberrimis. Atavus ejus à matre Minatius Magius, Aſculanenſis, Nepos Decii Magii Campanorum Principis, cum legione, quam in Hirpinis ipſe conſcripſerat, adjutor Italico bello Romanarum partium Herculaneum cum T. Didio ceperat, Pompeios cum L. Sullâ oppugnaverat, & Coſam occupaverat. Cujus ut fidei pietatique plenam Populus Romanus gratiam referret, ipſum civitate donavit, & duos ejus filios creavit Prætores, cùm adhuc ſeni tantùm crearentur. Avus pariter ejus C. Velleius fuerat familiariſſimus Pompeii Magni, atque Claudii Neronis, Tiberii ejus, qui Imperator ab Auguſto fuit, patris: quem cùm bellis civilibus à Neapoli digredientem, & in Siciliam profugientem ſequi non poſſet; amici deſiderio, gladio ſe transfixit. Capito patruus Velleii, vir Ordinis Senatorii, Agrippæ ſubſcripſit in C. Caſſium, unum ex C. Cæſaris interfectoribus.

Tam claris ortus initiis P. Velleius auctoris noſtri pater, militiam amplexus, in Germaniâ ſub M. Vinicio præfecturam equitum geſſerat. Quo in munere ſucceſſit ei filius anno Urbis conditæ ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto, quo Tiberium Cæſar Auguſtus

adoptavit, & socium Tribuniciæ potestatis adscivit. Quo tempore Velleius Paterculus Tiberii miles fuit. Nam protinus ab adoptione missus est cum eo præfectus equitum, successor officii patris sui: perque novem continuos annos Præfectus aut Legatus, ejus operum spectator & adjutor fuit. Non tamen hoc Velleii Paterculi stipendiorum initium fuit. Antea functus erat Tribunatu militum, non multò postquàm, Juliâ Tiberii Neronis conjuge pulsâ in exilium, missus est in Syriam Caius, anno Urbis septingentesimo quinquagesimo secundo. Quem militiæ gradum etiam ante sub patre M. Vinicii, & P. Silio auspicatus erat in Thraciâ Macedoniâque, mox Achaiâ Asiâque, & in omnibus ad Orientem provinciis.

Finitâ sub Tiberio equestri militiâ, urbanos ad magistratus discessit: tum designatus Quæstor & Tribunus plebis, cùm nonnisi è Senatu Tribuni plebis eligerentur. Quæ res eum nondum Senatorem æquavit Senatoribus. Antè verò quàm ingrederetur hoc utrumque munus, ab Urbe partem exercitus ab Augusto traditi perduxit ad Tiberium Pannonico bello occupatum. Decedens deinde quæsturâ, sorte provinciæ remissâ, Legatus Tiberii ad eumdem missus est. Cujus officii Collegam habuit in Dalmatia fratrem suum Magium Celerem Velleianum. Postremò Tiberium in triumpho, quem ex Pannoniis & Delmatis egit, ipse cum fratre inter præcipuos, præcipuisque donis adornatos viros comitatus est. Sed quanti uterque fieret id imprimis probat, quòd proximè à nobilissimis ac sacerdotibus viris anno imperii Tiberiani primo desti-

nati sunt Prætores: candidati Cæsaris ipsius, & consecuti ut neque post eos quemquam Divus Augustus, neque ante eos Cæsar commendaret Tiberius.

An alios honores præter Præturam Velleius Paterculus gesserit, haud satis constat. Lipsius hunc fuisse Consulem suspicatur: sed ab eo rationes non afferuntur, cur persuadeat. Nam quòd Velleius apud Tiberium & Sejanum gratiosus fuerit: quòd Tacitus annal. lib. 6. meminerit illius ut exercitus Præsidis; exercituum autem Legati Consulares essent: denique quòd apud Priscianum, afferentem testimonium ex historiâ Velleii, vetus liber habeat: *M. Velleius Consul*, hæc, inquam, argumento non sunt, Paterculum fuisse Consulem, maximè cùm inter Consules in fastis non annumeretur.

Plura de Velleii Paterculi genere, vitâ, & rebus gestis non reperi: pauciora de morte; quam fortè obiit in immensâ strage amicorum Sejani. Vero simile quidem videtur, hominem amicissimum Sejano, & in hac ipsâ historiâ apertum ejus laudatorem, inter amicos Sejanique fautores periisse. De multis aliis quibus Velleii nomen fuit, auctores varii meminerunt. M. Tullius in libris de Nat. Deor. Epicureum C. Velleium Senatorem inducit. Alius sub Imperatore Claudio cum M. Syllano Consulatum gessisse dicitur: unde Senatus-Consultum Velleianum, Jurisconsultis notissimum, quo fœminarum pro aliis sponsiones rescindebantur. Apud Priscianum laudatur epistola Velleii Celeris (is fortè fuit ex posteris Magii Celeris Velleiani auctoris nostri fratris) ad Hadrianum Cæsarem. Plinius etiam

Velleii Blæsi meminit: ut mirum sit Aldum Manutium dixisse, Velleiam familiam nusquam, quod sciret ipse, nominari.

Omitto, quodnam prænomen Velleio Paterculo fuerit, investigare; doctus quàm ista confundi soleant. A nonnullis Marcus nominatur: ab aliis Publius: à nobis Caius, quod ita legitur in vulgatis libris; & doctissimis viris placet. Sed quocumque tandem prænomine appelletur, non dubium Paterculi cognomen est. De cujus scriptis superest hìc aperiendum quid sentiamus.

Existimo cum Lipsio nihil aliud propositum Velleio fuisse, quàm ut gentium notarum & noti ævi res compendio atque annorum ordine complecteretur. Quare non aliunde quam à Trojanis temporibus, aut circà, duxisse mihi videtur initium. Argumento est illud ipsum primordium, quod nunc est, libelli, ubi res exponuntur eorum, qui à Trojâ redierunt. Sed plura interciderunt, cùm ibi solum narret Græcorum, non item Romanorum & ipsius Æneæ casus, quem prætерire certè non potuit auctorem & caput Romanæ Gentis.

Utrum hujus operis titulus ac divisio duas in partes proba sint, an à Velleio, otiosis videndum criticis relinquo. Tantùm specto libros qui extant, ut nunc eorum partitio est, omninò duos. Quorum prior Historiam Græcam & Romanam, quantùm conjici ex ejus fragmento potest, explicabat: posterior autem Romanam comprehendit, quam ad sextum & decimum imperii Tiberiani annum perducit; externam vix at-

tingit. Quod mirum videri non debet. Nam tum Romani cæterarùm pœnè gentium res, ut imperio, sic historiâ suâ complexi erant.

Utinam integer ad nos Velleius pervenisset! Integrum illius exemplar jam olim aiunt à Georgio Merula repertum: de quo ille magnopere gloriatur in epistola quadam, quæ inter Politiani legitur. Verùm cùm centesimus & quinquagesimus annus sit, eòque amplius, quod id Merula scripsit, nec integer adhuc Velleius apparuerit: quid putem, nisi Merulam ridendâ vanitate quærere sibi commendationem apud eruditos voluisse.

Quidquid id est quod nunc è Velleio restat: ejus ubique sermo purus est, sententiis creber, pressus, concisus, efficax; denique qualem decet illius esse, qui nobilissimo Augusti sæculo vixit, & propè scripsit. Sed aliorum communis est ista laus: præcipuæ verò Velleii dotes hæ fuerunt. Primùm insignes quosque rerum eventus signat; neque solùm quo tempore contigerent, sed quanto inter se distent intervallo. Tum varias regnorum & rerumpublicarum mutationes exhibet. Deinde progressiones & urbis Romæ incrementa contexit cum initiis & bonorum & malorum, qui obtinuerunt illic identidem, morum, atque consuetudinum. Præterea urbium, maximéque Græcarum & Romanarum coloniarum refert originem. Postremùm præcipuus est in depingendis iis, quos ætates singulæ bello & pace, vel doctrinâ conspicuos, aut alioqui famosos, atque describi dignos pepererunt. Inter quos eminet nemo, cujus genus, cognationes, affinitatesf-

que non indicet. Cæterum in iis omnibus indicandis & notandis adeò fidus est, ut ab Historicis & Chronologis non accuratior illo testis & explicator historiæ veteris adhibeatur.

Tantum in ævi sui rebus haud usquequaque verus esse reprehenditur: ad quas cùm venit, aliud celat, aliud tegit, nonnulla palam aliter narrat, ambitiosus adulator Tiberii, mortalium omnium tristissimi, ac sævitiâ, rapacitate, & arrogantiâ invisi omnibus. Quanquam Velleius, si tempora spectentur, excusatione non caret. Quippè immanitas ac turpitudo Tiberii non eruperunt, nisi ab ejus secessu in insulam Capreas, ubi remotis arbitriis per omnia se flagitiorum genera volutavit anno imperii sui decimo tertio: cum Velleius solùm descripserit Tiberii principatus initium; quo Tiberius multa præclarè & moderatè gessit; & adhuc fruebatur ingenti gloriâ, popularique famâ quam adolescens bellicâ virtute sibi pepererat. Ut ut est, adulationis crimine, nec purgo, nec arguo Velleium: quin potius hoc illi vitium ignosco ut & aulico Tiberii, & historico, sua tempora componenti atque publicanti, dum vivit, & adsunt ii, de quibus commemorat. Illum eadem causa Sejano, & Marco Vinicio blandiri impulit. Verùm quæ contra historiæ fidem dicit, suo loco moneo, & ex aliis auctoribus corrigo.

Hic est Marcus ille Vinicius, cui Velleius historiam suam inscripsit. Erat is Calibus in campaniâ ortus, patre & avo consularibus, equestri familiâ. Avus ejus Marcus, pater verò Publius: ille septingentesimo trigesimo quinto; hic septingentesimo quinquagesimo

quinto Urbis conditæ anno Consul. In quod fastigium Vinicius noster, anno U. C. septingentesimo octogesimo secundo, par avo, patrique filius ascendit cum Lucio Cassio Longino, è Tiberii neptibus priùs ductâ uxore Juliâ, Germanici filiâ natu minimâ; cùm Drusillam Cassius Longinus duxisset. Vitam Vinicius produxit ad Claudium: sub quo veneno extinctus est. Cujus necis unica, teste Dione, causa fuit, Messalinæ uxoris Claudii facinus, ad facinoris ratio duplex. Prima, quòd Vinicius suspectus esset Messalinæ, quæ Juliam pepulerat in exilium, & non multò post occidi curaverat. Altera, quod indignaretur impudicissima fœmina, virum istum Consularem ejus obsequi libidini noluisse. Ex quo vel uno Vinicii mores perspici possunt. Fuit is, auctore Tacito, mitis admodum ingenii & comtæ facundiæ; quæ studia & indoles hominem arguunt amantem literarum. Hinc illa fortasse Velleii cum Vinicio necessitudo, quæ jampridem inter utriusque familiam intercedebat, cùm propter idem Campaniæ solum, in quo ortus & procreatus uterque; tùm propter bellica munera, quæ Velleii pater in Germaniâ sub avo Marci Vinicii gesserat.



JUSTUS

JUSTUS LIPSIUS
DE
VELLEII NOMINIBUS, GENERE, VITA, SCRIPTIS.

PAUCA de Velleio, ejusque scriptis prædicenda sunt: Sed Pauca, quia latet in turbâ illâ scriptorum prisci ævi. Quis Veterum eum nominat, præter Priscianum, & si fortè, Tacitum, qui *P. Velleium* agnoscit *Præsidem exercitus*, ut opinor, in Macedoniâ? Sed ibi tamen *Publius* est, qui hîc *Caius*: nec argumentum satis firmum, quod sit hic ipse. At Prisciano *Marcus* est, qui ex libro ejus primo hoc affert: *Nec minùs clarus eâ tempestate fuit Miltiadis filius Conon.* In Agellio etiam *Cn. Velleum* legas: sed corruptè. Nam in libris ibi melioribus *Velleius* est: & tu scito *Gellium* reponendum, probum notumque Historicum prisci ævi.

Noster hic natus equestri loco, ut videtur, majoréſque ejus è Campaniâ. De avo paterno ita indicat: *C. Velleius honoratissimo inter illos* CCCLX. *Judices loco à Cn. Pompeio lectus, ejusdem Marcique Bruti ac Ti. Neronis Præfectus fabrûm, vir nulli secundus in Campaniâ.* Genus à matre etiam indidem. *Multùm*, inquit, *Minatii Magii atavi mei Asculanensis tribuendum est memoriæ: qui nepos Decii Magii Campanorum Principis, celeberrimi & fidelissimi viri.* Quæ sanè decora stirps & vetus ab nobili illo Decio Magio: in quam iterum adoptione, nisi fallor, insitus Velleii frater. Nam nominat eum *Magium Celerem Velleianum*, *Legatum Tib. Cæsaris* Delmatico bello. Ipse Velleius *Tribunus Militum in Thraciâ & Macedoniâ.* Paulò pòst *Præfectus equitum in Germaniâ, successor officii patris sui.* Deinde, *finitâ equestri militiâ designatus Quæstor* in Quæsturâ, *remissâ sorte provincia Legatus* Tiberii bello Pannonico. Cujus etiam triumphantis currum *ipsi fratrique ejus, inter præcipuos præcipuisque donis adornatos viros, comitari contigit.* Postrêmum, *ipse fraterque ejus destinati Prætores*, primo Tiberiani imperii anno. An quos alios honores gesserit, haud scio: Suspicor tamen de Consulatu quia apud Tiberium & Sejanum magnus: & in Prisciani dicto loco liber vetus scribit: *M. Velleius Consul.* Anne *consularem* voluit? Et sanè si is est, qui apud Tacitum exercitui præsedit, probabile consularem fuisse, quia Legati exercituum plerique tales. Plura de vitâ non repperi: minùs de morte, quam animus mihi dictat obiisse eum in strage illâ amicorum Sejani. Quidni ita credam, hominem tam amicum Sejanò, & in hoc ipso

libello publicum ejus laudatorem, inter amicos fautorésque Sejani interfectum? Profectò Tacitus & Dio Auctores, rarum aliquem ex iis Tiberianæ sævitiæ superfuisse. Scripta an alia reliquerit, ignoro. Jactat quidem & promittit non uno loco *justæ Historiæ* volumina: sed an ediderit scripseritve, quis dicet? Nam quod Gesnerus in Bibliotheca adnotat, Vvolfangum Lazium habuisse *de bello in suevos*, nugas arbitramur: sicut & Georgii Merulæ, qui de integro apud se Velleio sparsit, vanitatem ridemus ambitiosam.



IDEM

DE TITULO, MATERIE, NUMERO LIBRORUM HISTORIÆ VELLEII.

EXSTANT Historiæ Velleii libelli duo, non toti: probi & fidi, donec ad Cæsarum res venias, ubi haud usquequaque veri. Per adulationem enim multa celat, aut velat: imò & palam aliter narrat. Diserti tamen ubique, & eloquentiâ quadam facili ac profluente. Titulus in iis hodie est: HISTORIÆ ROMANÆ AD M. VINICIUM COS. Nec credo hunc probum esse, aut à Velleio. An hæc Historia? Imò nec compendium propriè, aut breviarium Historiæ, sed serie accuratâ temporum Chronicæ quædam notæ: sic tamen ut præcipua rerum, hominum, urbium misceat atque excerpat. An etiam Romana tantùm? Mihi non videtur; & totum adeò priorem librum video occupari ferè in rebus Græcanicis atque externis. Quod magis diceremus, si integer ille exstaret. Itaque de Titulo ambigo; & damnare tamen magis gaudeo, quàm immutare.

Materiem videamus. Rhenanus, qui primus Auctorem hunc è Bibliothecâ Murbacensi bono publico protulit, censet *Velleium ab Urbis primordio Romanam historiam omnem, admirabili compendio, duobus his voluminibus fuisse complexum.* Miror virum doctum sic scribere. An ab Urbis exordio ille cœpit, qui palam & ex professo multa sæcula recenset ante eam cogitatam; qui alienissima miscet à Romanis rebus? Librum hunc primorem videto, & aliquis mihi negato. Quid ergo est? Ergo in sententiâ, quam tetigi, hæreo, Velleio propositum fuisse compendio & annorum ordine complecti res notarum gentium & noti ævi: cœpisse eum à Trojanis temporibus, aut circa, & pertexuisse uno filo ad Consulatum hunc M. Vinicii, id est, annum Urbis DCCLXXXII. Tiberiani autem imperii XVI. Clarum argumentum ex primordio ipso, quod nunc est, libelli, ubi casus & res eorum, qui à Troja redierunt. Sed plura interciderunt, cùm hîc tantum

Græcorum casus, non etiam Trojanorum, atque adeò nec ipsius Æneæ, quem omittere certè non potuit auctorem & caput Romanæ stirpis.

Nunc de numero quid censemus? Libelli duo sunt, ex Rhenani, aut codicis ejus divisione. Sed divisione herclè parum scitâ & æquabili, si quis copiam molémque rerum videat, quæ perierunt. An in unum & priorem librum incluseris, quæ à capite omnia desunt de Græcis à Trojâ redeuntibus & variè sparsis: quæ posteà de Antenore aut Æneâ? Quæ de Latii & Albæ Regibus? Quæ de ipsis Regibus Romanorum? Imò quæ de Consulibus aut Tribunis Militum usque ad bellum Numantinum. Nam hæc omnia (ut illa quidem partitio est) necessariò habuerit liber unus primus. Non potest, ô Lector: & profectò plures in priore libro libri, si seriò examinas & attendis.



EX

GERARDI JOANNIS VOSSII
OPERE

DE HISTORICIS LATINIS.

VELLEIUS PATERCULUS *primùm Tribunus Militum in Thraciâ fuit hinc præfectus Equitum in Germaniâ, exinde Quæstor, inque Quæstura, remissa forte Provincia, Legatus Tiberii bello Pannonico, demùque primo Tiberii anno cum fratre Prætor destinatus. Quæ universa de seipso narrat Velleius. Hosce honores, & quos tum majores & consanguinei gesserint, his verbis complecti studuit Aventinus, eos referens, è quibus in primo Annalium scribendo profecit:* P. Velleius Paterculus, homo militaris, ex celeberrimis Campanorum principibus prognatus, in Germaniâ sub Tiberio Præfectus equitum fuit. Tribunus antè castrorum, item Quæstor, & Legatus in bello Pannonico. Scripsit sexto (decimo-sexto *dicere debuerat*) imperii Tiberiani anno. Item majores ejus, atavi, abavi, avi, patruus, pater, Magius Celer frater, disciplinâ bellicâ ac rebus civilibus clarissimi extitêre Duces, Prætores, Judices, Senatores, Præfecti fabrûm, Tribuni castrorum, Legati Imperatoribus Romanis fuerunt. *Hæc Aventinus. Hic Velleius duos Historiæ scripsit libros ad M. Vinicium Consulem, progenerum Tiberii Cæsaris, Tacito etiam memoratum in sexto Annalium, qui illum patre, & avo, consularibus, ortum dicit. Item Dioni libro extremo, ubi eum à Messalinâ docet interfectum, quòd caput cum eâ collimare nollet.* Vinucium *aliqui appellant, sed Dioni quoque est* Οὐινίκιος. *Librorum Velleii bona pars de-*

periit. Dictio ejus planè Romana atque elegans. Quædam etiam habet, quæ haud alibi invenias. Sed in sui ævi rebus nimis domui Augustæ, & Sejano adulatur. Justiores commentarios promittit libro II. Harum præteritarumque rerum ordo, cùm justiùs aliorum voluminibus promatur, tum, uti spero, nostris explicabitur. *Ac posteà:* Captum alterum, alterum deditum, justis voluminibus ordine narrabimus, ut spero. *Si Beatum Rhenanum audimus, qui primus Velleium in lucem protraxit, est idem ille, quem Tacitus vocat P. Velleium. Nec alia mens, vel Jacobi Schegkii, vel Valentis Acidalii. Eamque sententiam probant codice Bureri, ubi* Publius *appellatur, non* Caius *uti est in vulgatis. Sed nihil tale in variantibus Bureri lectionibus reperias. Est & tertia sententia. Nam* Marcum *vocat Priscianus libro* VI. *Ita enim habet & antiquissima editio Veneta anni* CIↃCCCCLXXVI, *& recentissima Heliæ putschii: imò & optima notæ codex MS. meus, ut omnino huic sententiæ potiùs accedam.*

Porrò & fragmentum quoddam Velleii, quod frustrà in editis quæras, invenisse se ait Vvolfgangus Lazius lib. I. *Commentariorum Reip. Rom. cap.* VIII. *Inscriptione illius erat:* VELLEII EXCERPTA EX GALLICA HISTORIA. *Fragmentum ipsum istiusmodi est:* Dum hæc circa Rhenum geruntur, in Noricorum finibus grave vulnus Populus Romanus accepit. Quippe Germanorum gentes, quòd Rhætias occupaverant, non longè ab Alpibus, tractu pari, patentibus campis, ubi duo rapidissimi amnes inter se confluunt, in ipsis Noricis finibus civitatem, non quidem muro, sed vallo, fossaque cinxerunt, quam appellabant Cisara, ex nomine Deæ Cisæ, quam religiosissimè colebant, cujus templum quoque ex lignis barbarico ritu constructum, postquam ea colonia Romanorum deducta est, inviolatum permansit, ac vestutate collapsum, nomen colli servavit. Hanc urbem T. Annius Prætor, ad arcendas barbarorum excursiones, Kal. Sextil. exercitu circumvenit. Ad meridianam oppidi partem, quæ sola à continenti erat, Prætor ipse, cum legione Martiâ, operosissimè communivit: Ad Occidentem verò, quâ barbarorum adventus erat, Avar', Bogudis Regis filius, cum equitatu omni, & auxiliaribus Macedonum copiis, inter flumen & vallum, loco castris parum amplo, infelici temeritate extra flumen consedit. Pulchra indoles, non minùs Romanis quàm Græcis literis instructa. Igitur LIX. die, quam eò ventum est, cùm is dies Deæ Cisæ celeberrimus, ludum & lasciviam magis quàm formidinem ostentaret; immanis barbarorum multitudo, ex proximis silvis repentè erumpens, ex improviso castra irrupit. Equitatum omnem, quod miserius erat, auxilia sociorum delevit. Avar, cùm in hostium potestatem regio habitu vivus venisset, pecudis more mactatur. Oppidani verò, non minori fortunâ, sed majori virtute, Prætorem in auxilium sociis properantem, adoriuntur. Romani haud segniter

resistunt. Duo principes oppidanorum, Habbino & Caccus, in primis pugnantes cadunt. Et inclinata jam res oppidanorum erat, ni maturassent auxilium ferre socii, in alterâ ripâ jam victoriâ potiti. Denique, coadunatis viribus, castra irrumpunt. Prætorem, qui paulò altiorem tumulum frustrà ceperat, Romanâ vi resistentem obtruncant. Legionem divinam, ut ne nuncius superesset, funditus delent. Verres solus, Tribunus militum, amne transmisso, in proximis paludibus se occultans, honestam mortem subterfugit: Nec multò post Siciliæ Proconsul immani avaritiâ turpem mortem promeruit. *Etiam lib.* v. *ejusdem operis cap.* v. *& aliis aliquot locis, Velleiani hujus fragmenti meminit Lazius. Sed qui nasum habet, satis odoratur, stilum ejus sapere Scriptorem, qui sæculis aliquot Velleio junior sit.* Nec *in re pauca sunt, quæ peccentur. Ea adferrem, nisi id cum curâ fecisset vir summus, Marcus, Velserus, in Rerum Augustanarum Vindelicarum libris. Sed monere operæ pretium videtur fragmentum hoc totum, paucis tamen insertis, legi apud Conradum à Lichtenau, Abbatem Urspergensem, quem in Chronico vide post ea, quæ de anno* MCLXVII *exposuit. Lemma ejus capitis est,* De Augustâ Vindelicorum, vel Rhætiæ. *Ætatem ejusce Conradi inde cognoscimus quòd initio Pontificatus Innocentii tertii, hoc est, anno* CIↃCXCVIII, *laïcum se, atque adeò minorennem fuisse, dicat: anno autem* CIↃCCXV. *referat se Abbatem factum Urspergensem: Historiam verò suam perducat ad annum* CIↃCCXXIX. *Quare, aut ex Abbate Urspergensi id fragmentum fuerit: aut inde, unde ea hauserat Urspergensis.*

GERARDUS VOSSIUS
DE
VELLEII ET VINICII
NOMINIBUS.

P. Prænomen in plerisque novissimis editionibus Velleio præfigi video. Nec sine causâ, si id MS. codicis auctoritate sit subnixum, ut ex Burrerio adserit Schegkius. Cæterùm, cùm nihil hujusmodi in illius variantibus lectionibus inveniam; argumentum illud non admodum validum esse arbitror. Firmare id tamen nituntur auctoritate Taciti, qui lib. VI. Annalium cujusdam P. Velleii meminit. Sed forsan ille auctoris nostri pater fuerit, qui sub M. Vinicio Præfecturam Equitum in Germaniâ gesserat, cuique, Tiberio jam Rhodo reverso, noster in hoc munere successit: forsan etiam frater, cujus in hoc ipso opere, sub nomine Magii Celeris Velleia-

ni mentio fit. Confugiendum hinc alicui videatur ad prænomen C. Id quidem certò ei fuisse affirmare ausim, si ita seipsum appellet: ut aiebat Aldus. Et fateor, meminit hic Auctor C. Velleii: verùm illum avum suum fuisse, prædicat. Queis moveor, ut M. prænomen potissimùm amplectar. Fuerit illud nostro commune cum M. Velleio, cujus meminit Tullius Philippica III. Subnixa autem est nostra opinio verbis his Prisciani in VI. ut quidem vulgo concipiuntur: *M. Velleius Paterculus: Primus, nec minùs clarus eâ tempestate fuit Miltiadis filius Cimon.* Quod verò notarit Schegkius in scripto suo Prisciani fragmento, prænomen fuisse omissum; id eo minùs movet, quod fermè consentiat cum impressis codicibus, sine dubio vitiosis, hâc tamen parte melioribus, quod id agnoscant. Atque id comprobant membranæ nostræ optimæ notæ, quæ locum vulgò mancum ita exhibent: *M. Velleius pater cujus liberi nec minùs clarus*, &c. Unde facilè mihi fuit veram lectionem eruere: *M. Velleius Paterculus libro* I. *Nec minùs clarus*, &c. Quin idem etiam firmant duo MSS. Bibliothecæ Leidensis, quos posteà inspexi; quorum uterque similiter habet, *M. Velleius Pater cujus.* Imò in altero etiam clarè *libro* I. prescriptum: ut de hoc non sit ampliùs dubitandum.

Negant aliqui Velleiam gentem ab Antiquis nominari. Cicero tamen libris de Nat. Deor. C. Velleium Epicureum introducit. Idem etiam, ut jam diximus, M. cujusdam Velleii mentionem injicit. Alius sub Claudio cum M. Syllano Consulatum gessisse dicitur, unde S. C. Velleianum. Velleii Blæsi meminit Plinius Epist. lib. II. epist. ultima. Apud Priscianum etiam lib. XI. Velleii Celeris epistola ad Hadrianum Cæsarem laudatur: qui fortè fuit ex posteris Magii Celeris Velleiani, fratris Auctoris nostri. Alios ex eâdem gente monstrabit index inscriptionum Gruterianarum. Possem addere Senecæ locum ex Præfatione lib. IV. Nat. Quæst. *Plancus artifex ante Velleium maximus aiebat, non occultè, nec ex dissimulato esse blandiendum.* Ita enim edunt ex conjecturâ Mureti, cùm ante legeretur *Villeium.* Sed ego vix dubito, quin *Vitellium* sit scribendum. Quod improbare non potest, qui exquisitissimas hujus erga C. Cæsarem adulationes apud Dionem lib. LIX. Conjecturam nostram firmari post hæc vidi à Justo Lipsio, cui idem notis ad Tacitum in mentem venit.

Vinucium, non *Vinicium* nonnulli legunt auctoritate lapidis Colotiani. Sed vulgatam lectionem non solum omnes Scriptores, sed etiam numismata vetera confirmant. Disputant viri eruditi, utrum Vinicii hujus cognomentum fuerit Quartinus. Sanè Pomponius de origine Juris C. Cassium Longinum, & Quartinum, simul Consulatum gessisse scribit. Ubi errat, quòd L. Cassium Longinum, Tiberii progenerum, cum C. Cassio J. C. confundat. Quod observatum etiam Lipsio ad VI. Annalium Taciti. Et sanè vel prænomina, quæ diversa

ſunt; id doceant. Quapropter neque iis accedendum, qui C. Caſſium, & Quartinum, ſuffectos fuiſſe Conſules volunt. Et ne de his dubitem, facit, quòd Pomponio ſolenne eſſe noverim in veteri Hiſtoriâ labi. Cæterùm, Quartinum Vinicium cognominari, firmat quodammodo nummus Goltzianus, cui inſcriptum, M. QUARTINUS II. VIR. Optimè enim hoc ad Vinicium referri poſſe liquet, non ſolùm ex prænomine, quod idem eſt; ſed & ex inſcriptione Neapolitanâ, unde illum duumvirum fuiſſe conſtat. Et hujuſmodi eſt:

M. VINICIO P. F. POST
MORTEM
MUNICIPIS SUI ÆRE
CONLATO
PIETATIS CAUSA
POSUERUNT.

Sanè duumviros in municipiis fuiſſe, manifeſtè, ut alios mittam, docet Cæſar lib. I. de bello Civili, ubi ait, *ſe duumviris municipiorum omnium imperaſſe, ut naves conquirerent.*

ALDI MANUTII
SCHOLIA
DE
VELLEII NOMINE ET PRÆNOMINE.

EXPLICATOR veteris Hiſtoriæ luculentus, & preſſus, & efficax imprimis fuit hic, quocumque vel prænomine, vel nomine appelletur, non dubio tamen cognomine *Paterculus.* Nam Priſcianus lib. 6. *M. Velleium* nominat. Tacitus autem lib. 3. *P. Vellai* mentionem facit. Ipſe ſe *C. Velleium* appellat, ut neſcias *Marcus*, an *Publius*, an *Caius* ei prænomen fuerit. Quod ad nomen attinet, Velleia gens nuſquam, quod ſciam, nominatur. Tacitus, ut oſtendit, Vellæum agnoſcit, itemque antiquus lapis, cujus verba ſubſcribam.

Canuſii.

C. VELLÆUS. C. LIB. URSIO. AUG.
SIBI. ET. TUTORINÆ. FILIÆ
TREBELLIÆ. FELICULÆ UXSORI.
TREBELLIÆ ARESCUSÆ
ET. TREBELLIA. FELICULA. SIBI. ET
LIBERTIS. LIBERTABUSQUE. MEIS
C. IN. CULTU. MONUMENTUM. CUM
P.XV. ET. ITER.

DE VELLEIO PATERCULO.

Beatus Rhenanus hunc esse putat, quem Tacitus P. *Vellaum* vocat. De quo mihi non constat. Nec rationes afferuntur ab eo, cur persuadeat. Priscianus quidem hunc ipsum designat. Affert enim testimonium ex Libro primo ejus Historiæ, quæ scilicet pars desideratur. Id hujusmodi est: *Nec minùs clarus eâ tempestate fuit Miltiadis filius Cimon.*

SCKEGHIUS
DE
VELLEII PRÆNOMINE.

HUIC Scriptori ex Tacito cum Rhenano, Lipsio, & scripto Burrerii codice assero *Publii* prænomen. Non turbat Priscianus, qui in Vulgatis *Marcum* agnoscit. Nam in antiquissimo meo Prisciani fragmento, quod lectissimo & literato juveni Jacobo Thisio Antuerpiano probavi, sine prænomine laudatur. *Trogus Pompeius* (ait) *in libro* VI. *inde Palaoscepsin petit, quo se* (lege, *quo se è Mediâ*) *Mediâ, interfectâ socru, contulerat, is ab Herculide petito colloquio mane. Velleius Paterculus: primus, nec minùs clarus eâ tempestate fuit Miltiadis filius Cimon.*

C. VELLEII



C. VELLEII PATERCULI
HISTORIÆ ROMANÆ
AD M. VINICIUM COS.
LIBER PRIMUS.

I. ⁂ Tempestate distractus à duce suo [1] Nestore, [2] Metapontum condidit. Teucer, non receptus à patre Telamone, [a] ob segnitiam non vindicatæ [3] fratris injuriæ, Cyprum appulsus, cogno-

INTERPRETATIO.

a *Quia, præ desidiâ, non erat ultus injuriam fratris.*

NOTÆ.

⁂] Anteà Velleius enumerabat, ex Græcis ducibus ad bellum Trojanum profectis, quam quisque urbem, everso Ilio, rediens condidisset. At de quo hoc initium? Certè de Metaponti conditore. Quis ille autem, non admodum constat. Tradunt Stephanus & Salmasius fuisse Metabum Sisyphi filium. Lipsius Epeum, adductus maximè auctoritate Justini, qui *lib.* 20. *cap.* 2. refert Metapontinos in Templo Minervæ ostentare ferramenta, quibus Epeus, à quo conditi sunt, equum Trojanum fabricavit. Utriusque tamen mentio apud Homerum nulla: maximè 2. *Iliad.* ubi recenset nominatim eos, qui Trojam cum imperio navigaturi erant. Aliunde *Strab. lib.*6. scripsit à Pyliis conditam fuisse Metapontum. Tu sequere in explicando quem voles; non errabis, modò intelligas unum ex iis, qui Nestoris auspiciis classi Pyliorum imperabant.

1 *Nestore.*] Nestor rex Pyli in Triphyliâ Elidis regione, ut Strabo definit *lib.* 8. Jam senior ad Trojam, quò quinquaginta navibus venerat, Græcorum res adeò suis consiliis promovit, ut Agamemnon profiteri non dubitaret, se Ilium brevi expugnaturum fuisse, si decem Nestoras habuisset. *Cicer. de Senectute.*

2 *Metapontum.*] Urbs ad sinum Tarentinum inter Heracleam ad Austrum, ad Tarentum ad Boream, in eâ Italiæ parte, quæ Magna Græcia vocata est. Clara est morte Pythagoræ insignis Philosophi. Nunc *Pelicore*, teste Barrio: cui fido magis, quàm Leandro & Ananiæ, quibus dicitur, *Torre di mare.*

3 *Fratris injuria.*] Occiso Achille, Ulysses à judicibus prælatus fuerat Ajaci, promissa sibi Achillis arma repetenti: Ajax autem Teucri frater fuit.



minem patriæ ſuæ [4] Salamina conſtituit. [5] Pyrrhus, Achillis filius, [6] Epirum occupavit; Phidippus [7] Ephyram in Theſprotia, [8] at rex regum Agamemnon, tempeſtate in Cretam inſulam rejectus, tres ibi urbes ſtatuit; [9] duas à patriæ nomine; unam à victoriæ memoriâ, Mycenas, Tegeam, Pergamum, idem mox, [10] ſcelere patruelis fratris Ægiſthi, [11] hereditarium exercentis in eum odium, [12] & facinore uxoris oppreſſus, occiditur, regni potitur Ægiſthus per annos ſeptem, hunc Oreſtes, matremque, [13] ſociâ conſiliorum omnium ſorore Electrâ virilis animi feminâ, obtruncat. Factum ejus à diis comprobatum, ſpa io vitæ, & felicitate imperii apparuit: quippe vixit annis nonaginta; regnavit ſeptuaginta: qui ſe etiam à Pyrrho, Achillis filio, virtute vindicavit. [b] Nam quòd [14] pactæ ejus, Menelai

INTERPRETATIO.

b *Nam quia priùs duxerat uxorem Hermionen, filiam Menelaì atque Helenæ, ſibi promiſſam, eum occidit Delphis.*

NOTÆ.

4 *Salamina.*] Telamonis, Ajacis, & Teucri patria fuit Salamis, inſula inter Peloponneſum & Atticam. Huic inſulæ cognominis urbs in Cypro, de quâ hîc ſermo, poſtea, teſte Stephano, dicta eſt *Conſtanza*: teſte Nigro, *Famagoſta*.

5 *Pyrrhus.*] Neoptolemus cognominatus eſt, quòd adoleſcens primum in bello Trojano tyrocinium militiæ poſuiſſet.

6 *Epirum.*] Græciæ regio inter Ionium mare & Theſſaliam, ac inter Macedoniam & Achaiam. Nunc Albania inferior à multis dicitur.

7 *Ephyram.*] Urbs Theſprotorum in Epiro, ad ſinum Glycym: deinde, teſte Strabone, dicta *Cichyrus*.

8 *At Rex Regum.*] Dux Ducum, quia conſenſu omnium, qui cum aliquo imperio erant, exercitus imperator electus.

9 *Duas à patria nomine.*] Hic hærent, quorum extant in Velleium notæ. An, inquiunt, Agamemnoni duplex patria fuit? Alii corruptum locum putant, de Tegeâ, quid illa ad Agamemnona, neſcientes quidquam. Alii ex Stephano docent Tegeam non ab Agamemnone quidem, ſed à Talthybio ejus præcone extructam: & ſic Agamemnona dici non immeritò potuiſſe hujus urbis fundatorem. Hujus ego loci ſenſum eſſe putem: Agamemnona in Cretam inſulam tempeſtate rejectum, tres urbes ibi extruxiſſe, Mycenas, Tegeam, Pergamum; duas à nomine totidem urbium Peloponneſi patriæ ſuæ: alteram à captæ Trojæ memoria.

10 *Scelere patruelis.*] Vocantur patrueles, vulgò, *Couſins germains*, qui ſunt fratrum filii. Erant autem Ægiſthus & Agamemnon: ille Thyeſtis, iſte Atrei filius.

11 *Hereditarium.*] Thyeſtes peſſimè ſemper oderat Atreum fratrem. Cauſæ odii, tum quòd Atreus fratrem in exilium ejeciſſet; meritò quidem; nam uxori ſuæ ſtuprum intulerat: tum quòd illi, ab exilio revocato, ſuſceptum ex adulterio filium epulandum appoſuiſſet.

12 *Facinore uxoris.*] Clytæmneſtræ. Nimirum cum Ægiſtho in viri cædem conſenſerat: imò etiam parato convivio, quo ſuum conſilium meliùs tegeret.

13 *Socia conſiliorum.*] Electra Oreſti necem parari prævidens, eum clam materno odio ſubduxerat, educandumque Strophio Phocenſium principi, Pyladis patri, crediderat. Apud quem Oreſtes aliquot annos moratus, & Argos rediens grandior, ſorore reditûs fraterni participe, cùm ſub ſpecie Phocenſium, quos Strophius mittebat Oreſtis mortem nuntiaturos, intromiſſus eſſet ad Clytæmneſtram, hanc unà cum adultero in vindictam patris occidit. Ob id ſcelus furiis agitatus eſſe dicitur.

14 *Pactæ ejus.*] *Pactus* paſſivè, pro *promiſſus*. Cic. ad Att. l. 5. ep. 21. *Nec dubitat Dejotarus, cujus filio pacta eſt Artavaſdis filia.* Ovid. Triſt. l. 5. el. 2.

Sic ad pacta tibi ſidera tardus eas.

atque Helenæ filiæ Hermiones nuptias occupaverat, [15] Delphis eum interfecit. Per hæc tempora Lydus, & Tyrrhenus fratres cùm regnarent in [16] Lydia, sterilitate frugum compulsi, sortiti sunt, uter cum parte multitudinis patriâ decederet. Sors Tyrrhenum contigit, pervectus in Italiam, & loco, & incolis, & mari nobile, ac perpetuum à se nomen dedit. Post Orestis interitum, filii ejus, Penthilus, & Tisamenus, regnavere triennio.

II. Tum, fere anno octogesimo post Trojam captam, centesimo & vigesimo, quam Hercules ad deos excesserat, [1] Pelopis progenies, quæ omni hoc tempore [2] pulsis Heraclidis, Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur, duces recuperandi imperii fuere, Temenus, Cresphontes, [3] Aristodemus; quorum [4] atavus fuerat. Eodem fere tempore [5] Athenæ sub regibus esse

NOTÆ.

15 *Delphis.*] In templo Apollinis. Delphi tam pro oppido, quàm pro oppidanis plurali tantum numero. Urbs Phocidis in Achaia ad Parnassum: nunc viculus, *Salona*, teste Nigro.

16 *Lydia.*] Asiæ minoris regio inter Ioniam ad occasum, & Phrygiam magnam ad ortum.

1 *Pelopis progenies.*] Pelops Tantali filius fuit. Hic cum Hospitio deos excepisset, experiundi causâ an essent Dii, discerptum membratim Pelopem in convivio comedendum iis apposuit. Sed à nefandis epulis abstinuere omnes præter Cererem, quæ humerum pueri voravit. Vitam Pelopi pariter, & humerum eburneum Jupiter reddidit: Tantalum verò detrusit ad inferos. Cum postea Pelops adolevisset, in Elidem se contulit, ubi Hippodamiam Oenomai filiam uxorem duxit; ac demum regno potitus, universæ regioni Peloponnesi nomen dedit. Peloponnesus enim quasi πέλοπος νῆσος, hodie, *la Morée.*

2 *Pulsis Heraclidis.*] Id non interpretandum quasi Pelopidæ primi ejecissent Heraclidas è Peloponneso; hoc enim tribuendum Eurystheo Mycenarum regi, sub quo Hercules vixit: sed eo sensu, quòd Heraclidas postea Peloponnesum repetere conantes repulerint.

3 *Aristodemus.*] Nonnulli Velleium erroris reprehendunt, cum tradunt ex Apollodoro Aristodemum, dum apparabatur reditus, fulmine tactum periisse: ac in ejus locum venisse liberos Eurystheum & Proclem. At immerito: atque ex reconditiore scientia Velleius, cum quo sic Herodotus docet *lib. 6.* Lacedæmonios, nemini Poëtarum assentientes, tradere, se ab Aristodemo regnante, qui fuit Aristomachi, qui Cleodæi, qui Hylli, in hanc regionem, quam nunc obtinent, fuisse reductos; non autem ab Aristodemi liberis.

4 *Atavus.*] Puto legendum, *abavus*, nec posse probari, *atavus*; nam hujusmodi stemma est, quod ex Herodoto, Pausania, & Diodoro petivimus. Aristomachus pater, Cleodæus avus, Hyllus proavus, Hercules abavus fuit. Nec verò ferendi nonnulli, qui *abavus* & *atavus* nullo discrimine usurpari posse dicunt. Nam diversi omnino sunt isti cognationis gradus. Abavus quartum gradum, atavus quintum signat.

5 *Athenæ.*] Hodie, *Setines.* Omnium disciplinarum inventrices, in ea Achaiæ parte, quæ, quòd littoralis est, olim Acte, nunc Attica quasi Actica, nuncupatur. Hanc Cecrops primus condidit, à quo Cecropia dicta est: ac postmodum à Minerva Athenæ. Quod sic contigisse ferunt. Cum Neptunus, & Minerva de hujus urbis nomine contenderent, ita tandem inter se convenerunt, ut, qui utilius hominibus donum edidisset, urbi nomen imponeret. Neptunus equum, oleam Minerva edidit. Vicit Minerva: eoque urbem suo nomine appellavit. Nam Græcis Ἀθηνᾶ Minerva dicitur.

desierunt : quarum ultimus rex fuit Codrus, Melanthi filius, vir non prætereundus : quippe, cum Lacedæmonii gravi bello Atticos premerent, respondissetque [6] Pythius, quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores; deposita veste regiâ, pastoralem cultum induit; immistusque castris hostium, [a] de industria, [7] imprudenter, rixam ciens, interemptus est. Codrum cum morte æterna gloria, Athenienses secuta victoria est, quis eum non miretur, qui iis artibus mortem quæsierit, quibus ab ignavis vita quæri solet? Hujus filius Medon primus [8] Archon Athenis fuit, ab hoc posteri apud Atticos dicti Medontidæ, sed ii, insequentesque Archontes, usque ad Charopem, dum viverent, eum honorem usurpabant. Peloponnesii, digredientes finibus Atticis, Megaram, [b] mediam Corintho Athenisque urbem, condidere, [c] eâ tempestate & Tyria classis, plurimùm pollens mari, in ultimo Hispaniæ tractu, in extremo nostri orbis termino insulam circumfusam Oceano, perexiguo à continenti divisam [9] freto, [10] Gades condidit : ab iisdem post paucos annos in Africa [11] Utica condita est. Exclusi ab Heraclidis Orestis liberi, ja-

INTERPRETATIO.

a *Jurgium movens deditâ operâ, interfectus est, non agnitus.*

b *Urbem æque distantem Corintho, & Athenis,*

c *Illo tempore & classis Tyriorum, multùm mari potens, condidit Gades in insula circumdata Oceano, separata à terra parvo freto, in ultimis oris Hispaniæ, in extremis finibus nostri imperii.*

NOTÆ.

6 *Pythius.*] Apollinis cognomen. Quod alii ducunt à Pythone : Python autem dictus est serpens ex putredine terræ, post Deucalionis diluvium, natus, quem sagittis Apollo adhuc puer interemit. Alii ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, à consulendo : unde & Pythiarum Phœbi sacerdotum nomen. Alii ἀπὸ τοῦ πύθειν, à putrescendo, quod nihil nisi vi caloris putrescat.

7 *Imprudenter.*] Hæc imprudentia Lacedæmoniorum est. Non enim Apollinis responsum ignorabant. Ac præterea lege cautum fuerat, ne quis Codrum appeteret telo, aliave ratione. Auditâ Codri morte Lacedæmonii, non ausi pugnare, recesserunt.

8 *Archon.*] Summus Athenis magistratus. Ut Suffes Carthagine, Romæ Dictator, & Consul. Novem erant Archontes, nempe Rex, Archon, Polemarchus, & Thesmothetæ sex, id est, legislatores. Omnis authoritas penes eos erat. Judiciis, Comitiis, Sacris, reique bellicæ præerant.

9 *Freto.*] Angustior est maris locus. Hoc Europa ab Africa dirimitur. Est septingentorum non amplius pedum : ac dicitur Gaditanum, *Gibraltar.* Aliter Herculeum, aut Columnarum fretum, ab Herculis columnis : quæ nihil aliud sunt in sententia communi, quam duo promontoria quæ Hercules excidit, aut etiam aggestâ humo excitavit.

10 *Gades.*] Urbs primaria insulæ cognominis. Vulgo *Cals.* Insulæ nomen multiplex. 1. Gadira quasi γῆς δειρὰ collum terræ. 2. Erithia. 3. Cotinusa ab Oleastris. 4. Tartessus. Hodie vero *Galiz.* Illic regnasse fertur Geryon notissimus ex fabulis. Postea Tyriis, deinde Pœnis, denique Romanis cessit, quibus Columellam rusticæ rei scriptorem dedit.

11 *Utica.*] Urbs Africæ, clara morte Catonis, Uticensis dicti, quod sibi mortem in ea consciverit.

ctatique cum variis casibus, tùm sævitiâ maris, quintodecimo anno sedem cepere circa Lesbum insulam.

III. Tum Græcia maximis concussa est motibus: Achæi, ex Laconica pulsi, [1] eas occupavere sedes, quas nunc obtinent: [2] Pelasgi Athenas commigravere: acerque belli juvenis, nomine Thessalus, natione Thesprotius, cum magna civium manu, eam regionem armis occupavit, quæ nunc ab ejus nomine [3] Thessalia appellatur, antea [4] Myrmidonum vocitata [5] civitas, [a] quo nomine, mirari convenit eos, qui, Iliaca componentes tempora, de ea regione ut Thessalia commemorant, quod cum alii faciant, Tragici frequentissimè faciunt, quibus minime id concedendum est, [6] nihil enim ex persona poëtæ, sed omnia sub eorum, qui illo tempore vixerunt, dixerunt, quod si quis à Thessalo, Herculis filio, eos appellatos Thessalos di-

INTERPRETATIO.

a *Qua de causa equum est mirari eos, qui, describentes res Trojanas, loquuntur de ea regione* sub nomine *Thessalia.*

NOTÆ.

1 *Eas sedes.*] Peloponnesi regionem intellige, quam nunc Achæi incolunt, id est, Achaiam.

2 *Pelasgi.*] Gens vaga. Dicti sunt vel à Pelasgo rege: vel, ut quibusdam placet, quasi πελαργοί, id est, ciconiæ. Quòd, ut ciconiæ, turmatim Græcas & barbaricas per urbes quondam erraverunt.

3 *Thessalia.*] Achaiæ ad Meridiem, & Epiro ad Occasum confinis, ad sinum Pelasgicum, & Maliacum.

4 *Myrmidonum.*] Æginæ insulæ populi. Quorum nomen ductum est à nomine Græco, μύρμηκες formicæ. Inde enim Μυρμιδὼν, sive, συνοικία τῶν μυρμήκων, formicarum contubernium, hoc est, multitudo formicarum una domicilium & sedes habentium. Hesychius autem Doriensibus Μυρμιδόνας ait esse τοὺς μύρμηκας formicas. Unde Æginetæ dicti fuerunt Myrmidones, quoniam formicarum modo terram eruentes locis petrosis inspergebant, ut colere ea possent, nec non in foveis habitabant, lateribus parcentes, ut Strabo docet *lib.* 8. Ubi rejicit fabulam quæ Μυρμιδόνας vult ex eo dictos esse, quod olim sublato peste populo, Æaci precibus, formicæ in homines mutatæ sint.

5 *Civitas.*] Dicitur pro tota regione, cujus incolæ iisdem legibus utuntur, vulgo, *l'Etat de*, *&c.* Sic civitas Allobrogum, Helvetiorum, apud Sallustium, & apud Cæsarem. Interdum sumitur pro jure civium. Hinc passim apud authores, civitate donare, civitatem promittere, usurpare civitatem. Id præterea observandum est ex Cicerone, civitatem nonnunquam accipi pro incolis, & urbem pro ædificiis. Ita 4. *Academic. Aristoteles & Xenocrates non dubitavissent, quin & prætor ille esset, & Roma urbs, & eam civitas incoleret.*

6 *Nihil enim ex persona Poëta.*] Affert causam, propter quam minime ferendi sunt tragici poëtæ, in quorum tragœdiis res aguntur, ut sunt poëtæ tempora, non ut eorum, quos dat in scenam. Et sane hæc causa præcepti loco esse potest. Tragicis igitur dicendum nihil est tanquam ex se, sive secundùm mores, quibus suo tempore vivitur. Sed in illorum poëmatis oportet omnia fieri, & dici ex persona, atque ex more tum vivendi, tum loquendi eorum, qui eo tempore vixerunt, quo acta sunt, quæ exhibentur. Cujus rei rationem istam Plato attulit, quod Comœdiæ & Tragœdiæ sola constent imitatione, & actione personarum, quibus conveniens sermo tribui debet.

cet: reddenda erit ei ratio, cur numquam ante hunc insequentem Thessalum ea gens id nominis usurpaverit. Paulò antè [7] Aletes, sextus ab Hercule, Hippotis filius, * [b] Corinthum, quæ antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, [8] in Isthmo condidit. Neque est, quod miremur ab Homero nominari Corinthum, nam ex persona poëtæ & hanc urbem, & quasdam Ionum colonias iis nominibus appellat, quibus vocabantur ætate ejus, multo post Ilium captum conditæ.

IV. Athenienses in [1] Eubœa Chalcida Erethriam colonis occupavere; Lacedæmonii in Asia [2] Magnesiam. Nec multò post Chalcidenses, orti, ut prædiximus, Atticis, Hippocle, & Megasthene ducibus, [3] Cumas in Italia condiderunt, hujus classis cursum esse directum, alii columbæ antecedentis volatu ferunt, [a] alii [4] nocturno æris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet. Pars horum civium mag-

INTERPRETATIO.

b *Restituit in Isthmo Corinthum, appellatam antea Ephyram, quæ claudit aditum Peloponnesi.*

a *Alii nocturno sonitu* instrumenti *Ænei, qualis excitari solet in sacrificiis Cereris.*

NOTÆ.

7 *Aletes.*] Hoc nomen cum Græcis sine aspiratione scripsimus. Aletem verò cum iis non sextum, sed quintum ab Hercule facimus. Quod rectè Lipsio observatum est ex Apollodoro, & ex Pausania *lib.* 2.

* *Corinthum.*] Hodie *Coranto.* Urbs Peloponnesi in ea parte, quæ ab ea Corinthia dicta fuit, & nunc, *Duché de Clarence.* Totius Græciæ lumen, in Isthmi faucibus sita. Unde dicta Peloponnesi porta, & bimaris, quia Ionio mari per Corinthiacum sinum, & Ægæo per Saronicum alluitur.

8 *Isthmo.*] Isthmus est angustia terræ inter duo maria. Isthmo opponitur porthmus, *id est*, fretum inter duas continentes. Isthmorum celeberrimus est Peloponnesiacus, duarum tantum leucarum spatio Ægæum mare ab Ionio summovens. Hunc quatuor principes suffodere conati sunt, Demetrius, Julius Cæsar, Caligula, Nero; atque etiam Herodes Atticus privatus homo: sed irrito conatu. Unde triviale istud (*Isthmum perfodere.*) quando quis molitur quidpiam multo, sed irrito conatu.

1 *Eubœa.*] Insula Ægæi maris, vulgo *Negrepont.* Angusto admodum Euripi tractu à Bœotia divisa, hodie *Le detroit de Negrepont.*

2 *Magnesiam.*] Magnesia duplex: una Cariæ ad Mæandrum fluvium; altera Lydiæ ad montem Sypilum in Asia minore, Sardibus proxima. Quam intelligendam esse puto.

3 *Cumas.*] Urbs Campaniæ ad mare, juxta Puteolos. Hanc Strabo docet appellari Cumas ab Cuma Æolidis urbe, ex qua profectus est Hippocles, qui Megastheni Chalcidensi in ea condenda adjutorem se præbuit, hac inter utrumque conventione facta, ut coloniæ quidem jus penes Chalcidenses, imponendi verò nominis potestas penes Cumæos esset.

4 *Nocturno æris sono.*] Hæc Cereris sacra noctu fiebant, cum clangore, & clamore præcipue matronarum. Instituta fuerant à Triptolemo, Eleusii, vel juxta Pausaniam, Celei Eleusini filio, quòd ferendarum frugum à Cerere rationem edoctus esset. Eadem dici à Plinio Thesmophoria reperies, à Cerere Thesmophora, hoc est, legum latrice. His in sacris nefas erat vinum adhibere. Unde *Plaut. in Aulul.* cum ad Megadori nuptias vini nihil afferretur, ait jocans, eum sacra Cereri facere.

no post intervallo [5] Neapolim condidit, utriusque urbis eximia semper in Romanos fides facit eas nobilitate, atque amœnitate suâ dignissimas, [b] sed aliis diligentior ritus patrii mansit custodia: Cumanos [6] Osca mutavit vicinia. [c] Vires autem veteres earum urbium, hodieque magnitudo ostendat mœnium. Subsequenti tempore magna vis Græcæ juventutis, abundantia virium sedes quæritans, in Asiam se effudit, [7] nam & Iones, duce Ione, profecti Athenis, nobilissimam partem regionis maritimæ occupavere, quæ hodieque appellatur Ionia; urbesque constituêre, Ephesum, Miletum, Colophona, Prienen, Lepedum, Myuntem, Erythram, Clazomenas, Phocæam; multásque in Ægæo, atque Icario occupavere insulas, Samum, Chium, Andrum, Tenum, Pharum, Delum, aliasque ignobiles. Et mox Æolii, eâdem profecti Græciâ, longissimisque acti erroribus, non minùs illustres obtinuerunt locos; clarasque urbes condiderunt, Smyrnam, Cymen, Larissam, Myrinam, Mitylenemque, & alias urbes, quæ sunt in Lesbo insula.

V. Clarissimum deinde [1] Homeri illuxit ingenium, sine exemplo maximum: qui magnitudine operum, & fulgore carminum so-

INTERPRETATIO.

b *Sed alii servaverunt diligentiùs morem patria: Cumani mutati sunt ob propinquitatem Oscorum.*

c *Amplitudo murorum harum urbium ostendit etiam nunc* earum *antiquam potentiam.*

NOTÆ.

5 *Neapolim.*] *Naples*, regni cognominis caput, cum hoc epitheto (*la noble:*) quòd in ea commoretur totius fere regni nobilitas. Antea Parthenope: deinde dicta Neapolis, quasi *nova urbs*. Cùm enim eversa esset à Cumanis, ne Cuma desereretur; ab iisdem, jubente Apollinis oraculo, splendidiùs restituta est ibi, ubi nunc Neapolis. Nihil rorâ plagâ, quæ Campania felix, seu terra Leborina dicitur, cœlo mollius, nihil uberius solo, quod bis in anno floribus vernat.

6 *Osca vicinia.*] Osci antiqui sunt in Italia populi, qui maritimum Campaniæ tractum tenuerunt: sic dicti ab oris fœditate, spurcarumque libidinum usu. Unde obscena verba, quasi *oscena*.

7 *Nam & Iones.*] Hic Velleius erroris arguitur ab aliquibus, cum in personis, tum in tempore. Non enim Ion hujus coloniæ dux fuit. Ita Strabo, Pausænias, Plutarchus, Ammianus. Neque verò esse potuit: cùm Ion, Xuthi filius, ducentis pene annis major hac demigratione fuerit. Ergo historiæ veritatem ex Strabone petimus *lib.* 8. ubi duas Ionum demigrationes distinguit pro duobus diversis temporibus. Primum est, quo Ion, Xuthi filius, Athenis imperans, Ionum coloniam in Peloponnesum emisit. Unde Ægialeiæ nomen in Ioniæ appellationem transivit. Alterum est post Heraclidarum reditum, quo Iones pulsi ab Achæis, & Athenas redire coacti, rursus Athenis Ionicam coloniam in Asiam, duce Nileo cum Codri filiis, deduxerunt: ubi tot urbes statuerunt, quot antea in Peloponneso obtinuerant.

1 *Homeri.*] De ejus patria, ac parentibus nihil certi traditur. Fecit verò claritas ejus nominis, ut quem vivum ob inopiam agnoverit nemo, nunc certatim sibi vendicent septem Græciæ urbes,

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin,
Chius, Argos, Athenæ.

lus appellari Poëta meruit, in quo hoc maximum est, [2] quod neque ante illum, quem ille imitaretur, neque post illum, qui eum imitari posset, inventus est, [a] neque quemquam alium, cujus operis primus auctor fuerit, in eo perfectissimum, præter Homerum & [3] Archilochum, reperiemus. Hic longiùs à temporibus belli, quod composuit, Troici, quàm quidam rentur, abfuit, nam ferme ante annos nongentos quinquaginta floruit, intra mille natus est, quo nomine, non est mirandum, quod sæpe [4] illud usurpat, * [5] hoc enim ut hominum, ita sæculorum notatur differentia, quem si quis [6] cæcum genitum putat, omnibus sensibus orbus est.

VI. Insequenti tempore imperium Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant annis [1] mille septingentis, translatum est ad Medos, ab-

INTERPRETATIO.

a *Nec inveniemus ullum alium, præter Homerum, & Archilochum, qui perfectissimus fuerit in eo opere, cujus fuerit inventor.*

NOTÆ.

2 *Quod neque ante illum.*] Id verum Lipsius putavit. Ego (pace ejus dixerim) non item. Nec Petavius dissentit mihi. Si enim Æliano fides est aliqua *lib.* 14 *cap.* 21. constat non Orpheum modò & Musæum antiquiores Homero fuisse: sed extitisse etiam post eos quemdam poëtam, nomine Syagrum, qui primus bellum Trojanum cecinit, maximum argumentum ausus carmine tractare. A nonnullis additur ad historiam suppressum ab Homero opus Syagri, tanquam proprium atque suum belli hujus argumentum cuperet, aut sua furta deprehendi à posteris nollet. Verùm istud postremum cum Petavio facile crediderim ad Homeri invidiam à malevolis confictum.

3 *Archilochum.*] Poëta Lacedæmonius est, in primis mordax. Inventor iambici carminis, quod Archilochium ab eo vocatur. Hoc mordaci carmine Lycamben, ad suspendium adegisse creditur, eo quòd promissam sibi filiam non tradidisset. De quo Horat. *in art. Poët. Archilochum proprio rabies armavit iambo.* Hinc Cicer. *lib.* 2. *epist. ad Attic.* Archilochia edicta dixit pro contumeliosis mordacibus, injuriosis. *Archilochia in illum edicta Bibuli populo ita jucunda sunt, ut eum locum, in quo proponuntur, præ multitudine eorum, qui legunt, transire nequeamus.*

4 *Illud usurpat*.*] Hanc lacunam optime ursinus supplevit hoc hemistichio, quod Homerus in Iliade ter usurpat: *οἷοι νῦν βροτοί εἰσι. hoc est*, quales nunc mortales sunt. Quod etiam Virgilius sic expressit Æneid. 12.

Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

5 *Hoc enim ut hominum.*] Antiquiora sæcula ævo suo opponit: atque ex diversitate staturæ corporum, quæ olim vastiora procreabantur, significat etiam virtute præstantiores olim Trojanis temporibus homines fuisse, quàm sua ætate essent.

6 *Cæcum genitum.*] Ubi illi qui Homerum sic dici ob cæcitatem tradiderunt, invenisse beati quòd Cumæi, Ionesque captos oculis *ὁμήρους* vocabant: tum quod Homerus Melesigenes priùs diceretur? Certè Suidas sub historica fide tradidit, totum illud congenitæ cæcitatis figmentum inde natum esse, quòd Homerus cupiditatis, quæ animum per oculos subit, totà vità victor extiterit.

1 *Mille septingentis.*] Hæc lectio manifestum habet errorem. Quare Justinum sequor, qui mille trecentos assignat, mediam sententiam tenens.

hinc

hinc annos fermè [2] feptingentos feptuaginta quippe Sardanapalum, eorum regem, mollitiis fluentem, & nimiùm felicem malo fuo, tertio & tricefimo loco ab Nino, & Semiramide, qui Babylona condiderant, natum, ita ut femper fucceffor regni paterni foret filius, [3] Pharnaces Medus imperio, vitâque privavit. Eâ ætate clariffimus Graii nominis [4] Lycurgus Lacedæmonius, [5] vir generis regii, fuit feveriffimarum juftiffimarumque legum auctor, & difciplinæ [6] convenientiffimæ vir; [a] cujus quamdiu Sparta diligens fuit, excelfiffimè floruit. Hoc tractu temporum ante annos quinque & fexaginta quàm urbs Romana conderetur, [7] ab Eliffa Tyria, quam quidam Dido autumant, Carthago conditur. Circa quod tempus [8] Caranus, vir generis regii, [9] fextus decimus ab Hercule, profectus Argis, regnum Macedoniæ occupavit, à quo Magnus Alexander cum fuerit [10] feptimus decimus, jure [11] materni generis Achille auctore, paterni

INTERPRETATIO.

[a] *Cujus* difciplinæ *quamdiu Sparta fuit amans, altiffimè coluit.*

NOTÆ.

2 *Septingentos feptuaginta.*] Hic quoque locus errore non caret. Lipfius addit centenarii notam, fcribitque 870. nos verò computatione noftrâ cum reliquis Vellei computationibus compofitâ, quatuor & nongentos annos numeramus.

3 *Pharnaces.*] Cum eruditis fcribe *Arbaces.* Ex Strabone, Diodoro, Athenæo.

4 *Lycurgus.*] Eunomi filius, Polydectæ frater. Quo mortuo, cum ejus uxor filii nece, quem in utero gerebat, pacifci cum Lycurgo nuptias vellet; is, prudenter elusâ fœminæ cupiditate, adhuc recentem à partu infantem deftinavit principem, tutoris nomine deinceps contentus. Charilao [nomen infantis id fuit] jam adulto; ut affectati regni purgaret invidiam, peregre profectus, variorum ex ufu populorum confectam legum, ac civilis difciplinæ formam, in patriam reportavit.

5 *Vir generis regii.*] Ducebat originem, non à Patrocle [qui error eft in textu apud Plutarchum:] fed ab Ariftodemi, de quo fupra, filio Procle, qui rex Spartæ fuit, & pofteri ejus.

6 *Convenientiffimæ vir.*] Lege *viris*, cum Lipfio & Grutero. Senfus enim eft, Lycurgi difciplinam ac leges hujufmodi fuiffe, ut viros valde decerent: vel, adeò rigidas fuiffe, ut verè facerent viros.

7 *Ab Eliffa Tyria.*] Pygmalionis fororerat, uxor Sichæi, quem cum Pygmalion vitâ privaviffet, ejus opibus inhians; Dido, gazâ omni clam in naves impofitâ, paucifque fugæ fociis comparatis, Tyro navigavit in Africam: ubi, ab Hyarba Maurufiorum regulo agrum mercata, oppidum condidit, quod Byrfam primùm, exinde Carthaginem vocarunt. Hinc vide, quàm parùm confentanea fit Virgilii ratio, qui æqualem Æneæ Didonem ftatuerit, quàm trecentis fere annis poftea vixiffe conftat. Nam licet Carthaginis conditum ante captam Trojam quidam ex antiquis adfcripferint: non hi tamen conditricem illius fuiffe Didonem, Pygmalionis fororem, putaverunt.

8 *Caranus.*] Frater Phidonis, regis Argivorum.

9 *Sextus decimus.*] Cum Scaligero lege, *undecimus* ab Hercule. Vide Freinfhemium *cap.* 5. *ad Q. Curt.*

10 *Septimus decimus.*] Juftino duodecimus eft. Eufebio vigefimus quartus; fed Velleium fequere.

11 *Materni generis Achille, &c.*] Per Olympiam, genus ad Neoptolemum, five Pyrrhum, Achillis filium, referebat.

„Hercule gloriatus eſt. ([12] Æmilius Sura de annis populi Romani, Aſ„ſyrii, principes omnium gentium, rerum potiti ſunt, deinde Medi, „poſtea Perſæ, deinde Macedones, exinde duobus regibus, Philippo, „& Antiocho, qui à Macedonibus oriundi erant, haud multò poſt Car„thaginem ſubactam, devictis, ſumma imperii ad populum Roma„num pervenit.)

VII. [1] Inter hoc tempus, & initium Nini regis Aſſyriorum, qui princeps rerum potitus, interſunt anni mille nongenti nonaginta quinque. Hujus temporis æqualis Heſiodus fuit, [2] circa centum viginti annos diſtinctus ab Homeri ætate, vir perelegantis ingenii, & molliſſima dulcedine carminum memorabilis, otii quietiſque cupidiſſimus, [a] ut tempore tanto viro, ita operis auctoritate, proximus, [b] qui vitavit, ne in id, quod Homerus, incideret, [3] patriamque, [4] & parentes, teſtatus eſt: [5] ſed patriam, quia multatus ab ea erat, contumelioſiſſimè. [c] Dum in externis moror, incidi in

INTERPRETATIO.

a *Qui ut primus fuit tempore, poſt tantum virum; ita primus quoque præſtantiâ carminum.*

b *Qui cavit, ne incideret in eandem* incuriam, in *quam Homerus* inciderat.

c *Dum hæreo in hiſtoriâ peregrinâ, occurrit mihi res patria, in quâ valde erratum eſt, & opiniones ſcriptorum multum diſſentiunt.*

NOTÆ.

12 *Æmilius Sura.*] Dubitatur à doctis, an hæc Velleiana ſint. Sunt, qui affirment in Margine libri adſcripta ab antiquario, poſtea autem à librariis recepta eſſe. De Æmilio Sura nihil, quod ſciam, habemus. Plinio quidem laudatur Manlius, aut Manilius Sura. Verùm conſenſus librorum jubet *Æmilium* retineri.

1 *Inter hoc tempus.*] Ne illud intelligas, quo Philippus, & Antiochus devicti ſunt: ſed quo mors illorum contigit, à quâ Macedonia, & Syria ſic jacuerunt, ut Romanis utramque funditus evertere facile fuerit. Ab eo verò tempore ſurſum ad Ninum computando, optime Vellei calculus congruit. Quanquam nonnulli ne hæc quidem verba Velleiana eſſe cenſent.

2 *Circa centum viginti annos.*] Quidam Heſiodum Homero coævum faciunt: alii, priorem illo ut Lipſius & Scaliger. Eo quòd alterum ab altero ſumpſiſſe verſus conſtet; in Heſiodo verò major ſimplicitas, & rudior antiquitas appareat. Verùm id è longinquo petitum, & critici Grammatici magis, quam diligentis Chronologi eſt. Crede Velleio, cum quo Euſebius, & plerique Chronologi conſentiunt, qui Heſiodum Carani temporibus coævum docent.

3 *Patriamque.*] Natus eſt Cumis Æolicis. Unde ejus pater, propter æs alienum, ſolum vertens, Aſcram Bœotiæ vicum migravit: ubi educatus Heſiodus, Aſcræus dictus eſt, quamvis eſſet verè Cumæus.

4 *Et parentes.*] Pater, Dius, Ampelidis filius: mater verò Pycimede.

5 *Sed patriam.*] Aſcram intellige, ubi educatus eſt. Unde exulare quoque, ob æs alienum, coactus fuerat. Ecce quos verſus in eam conſcripſit, ἔργων β'.

Νάσσατο δ' ἄγχ' Ἑλικῶνος ὀϊζυρῇ ἐνὶ κώμῃ
Ἄσκρῃ, χεῖμα κακῇ, θέρει ἀργαλέῃ, οὐδέποτ' ἐσθλῇ.

Habitavit autem prope Heliconem, miſero in vico
Aſcrâ, hyeme malo, æſtate moleſto, nunquam bono.

rem domesticam, maximique erroris, & multùm discrepantem auctorum opinionibus. Nam quidam, hujus temporis tractu, aiunt, à Tuscis [6] Capuam, [7] Nolamque conditam, ante annos fere octingentos triginta, quibus equidem assenserim, sed Marcus Cato quantùm differt? qui dicat, Capuam ab eisdem Tuscis conditam, ac subinde Nolam: stetisse autem Capuam, antequam à Romanis caperetur, annis circiter ducentis sexaginta, quod si ita est; cum sint à Capua capta anni ducenti quadraginta; [d] ut condita est, anni sunt fere quingenti. Ego (pace diligentiæ Catonis dixerim) vix crediderim, tam maturè tantam urbem crevisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.

VIII. Clarissimum deinde omnium ludicrum certamen, & ad exercitandam corporis animique virtutem efficacissimum, [1] Olympiorum [2] initium habuit, auctore [3] Iphito Elio is eos ludos, [4] mercatumque [5] instituit ante annos, quàm tu, M. Vinici, consulatum inires, [6] nongentos quatuor, hoc sacrum eodem loco instituisse fertur,

INTERPRETATIO.

d *Ex quo ædificata est.*

NOTÆ.

6 *Capuam.*] Quàm incertum tempus, quo Capua condita est, tàm ambigua ejus nominis est ratio. Livius *lib.* 4. ait quidem Capuam à Tuscis conditam, sed olim dictam esse Vulturnum: postea verò à Samnitibus captam, ab ipsorum duce Capy; vel, quod propius vero esse putat, ab agro campestri Capuam esse appellatam. Sita est in Campania felici, ad Vulturnum fluvium, & ad radices Tifatæ montis, inter ipsam & Nolam extensi.

7 *Nolam.*] Urbs pariter ac Capua regni Neapolitani. Sic hodieque dicta. Ubi adhuc multa vetustatis monumenta visuntur.

1 *Olympiorum.*] Ludorum. Quod nomen ductum est ab Olympia Elidis urbe, circa quam hi ludi primùm celebrati sunt. Horum celebritas quinquennalis erat: per quam exercebat se juventus quinque gymnasticis certaminibus; cæstibus, cursu, saltu, disco, & palæstrâ. Qui victor erat, oleâ coronabatur; domumque, non per urbis portas, sed per mœnium ruinas, sublimis curru, revehebatur.

2 *Initium habuit auctore.*] Hæc est Aldi lectio, cùm in editione prima legeretur, *initium habuit auctorem Iphitum.* Illam secutus est Lipsius. Ad quam Acidalii conjectura accedit, *initium habuit, & auctorem Iphitum.* Quomodocumque legatur, id erit semper accipiendum, quatenus Iphitus Olympios ludos iniit longo post eorum institutionem intervallo.

3 *Iphito.*] Iphitus Praxonidæ filius, rex Elidis fuit, unde dictus Elius. Hæc porro Iphiti Olympica periodus celebris est: & ab ea initium est verioris, certè distinctioris, apud scriptores historiæ.

4 *Mercatum.*] Id aptissimâ voce, πανήγυριν, appellant Græci, hoc est, Conventum, *Assemblée.* Interdum mercatus accipitur pro nundinis, *la Foire.* Interdum pro foro, vel emporio, *le Marché.*

5 *Instituit.*] Si hoc verbum ad *ludos* referatur, legendum est potiùs, *restituit.* Si ad *mercatum*, retinendum est, *instituit.* Si ad utrumque, tolerari utcumque potest, hoc sensu: instituit perpetuos, & statos, ut quinto quoque ineunte anno recurrerent.

6 *Nongentos quatuor.*] Scribe octingentos quatuor. Nam prima Olympias Iphitæa præcedit duntaxat urbis natalem (ex Vellcii sententia mox subtexenda) annis 22. Sunt autem ab illo ad Vinicii consulatum 792. Itaque clarum est scribi debere 804. detractâ centenarii notâ.

abhinc annos ferme mille ducentos quinquaginta, [7] Atreus: cum [8] Pelopi patri funebres ludos faceret, quo quidem in ludicro omnis generis certaminum Hercules victor extitit. [9] Tum Athenis perpetui Archontes esse desierunt, cum fuisset ultimus Alcmæon [10] cœperuntque in denos annos creari, quæ consuetudo in annos septuaginta mansit; ac deinde annuis commissa est magistratibus respublica. Ex iis, qui denis annis præfuerunt, primus fuit Charops, ultimus [11] Eryx; ex annuis, primus Creon. Sextâ Olympiade, post duos & viginti annos, quàm prima constituta fuerat, [12] Romulus, Martis filius, [13] ultus injurias avi, Romam urbem [14] Parilibus [15] in Palatio condidit, à quo tempore [16] ad vos Consules anni sunt septingenti septuaginta duo, id actum post Trojam captam annis [17] quadringentis triginta septem, id gessit Romulus, adjutus legionibus [18] Latini, avi sui:

NOTÆ.

7 *Atreus.*] Vide supra cap. 1.

8 *Pelopi.*] Vide supra cap. 2. Cæterùm quod ad ludos Olympicos pertinet, valde dubius est illorum auctor. Ecce Petavii sententia, quæ reliquas facilè conciliat. Supponit, quod inter omnes constat, multos extitisse, Herculis nomine insignes. Ex quibus, qui inter Idæos Dactylos (nomen id fuit Cybeles Sacerdotum) censetur, is ludos primus istos instituit. Quos ab aliis subinde repetitos Pelops; nec non Atreus, ac deinde Hercules, Alcmenæ filius, celebravit. Ab Iphito demum stati, ac perpetui esse cœperunt

9 *Tum Athenis.*] Id est, annis post aliquot: nisi quis hiatum hic esse cum Lipsio velit, ac periisse, quæ à primâ Olympiade ad sextam Velleius interseruit. Tantùm enim Olympiade quintâ exeunte desierunt Archontes.

10 *Cœperuntque in denos annos.*] Hinc erroris argue Justinum, qui *lib. 2. cap. 7.* tradiderit, administrationem reipublicæ, post Codrum, annuis magistratibus esse commissam.

11 *Eryx.*] Scribe Eryxias.

12 *Romulus.*] Natus est ex Sylviâ, Numitoris filiâ, anno secundo exeunte Olympiadis secundæ. Adhuc à partu recens jussione Amulii regis, cum fratre Remo expositus, clam à Faustulo pastore educatus est.

13 *Ultus injurias avi.*] Numitoris, in quem geminam injuriam Amulius frater intulerat. 1. Invaserat regnum, quod ad ipsum ætatis jure pertinebat. 2. Sylviam ejus filiam, ne qua spes posteritatis esset, Vestalem fecerat. Utramque Romulus ultus est. Cum enim adolevisset, occiso Amulio, avum in regnum restituit. Deinde Romam condidit, anno Amulii regni secundo, qui juxta Varronem, quem sequitur Velleius, incidit in annum tertium Olympiadis sextæ: juxta alios, in secundum ejusdem Olympiadis.

14 *Parilibus.*] Aut Palilibus; hoc est, die festo Palis deæ, quem idcirco Palilia patres dixerunt. Hic porro dies celebrabatur à pastoribus, tum pro pecoris partu, tum ad lupos arcendos, morbosque à pecore depellendos. Prima Romuli Palilia incidunt in annum mundi 3961.

15 *In Palatio.*] In Palatino monte, qui unus est ex septem Urbis collibus, sic dictus à Palantia, Evandri filia. Etiam nunc Romæ dicitur, *Monte Palatino.*

16 *Ad vos.*] At tuum, Vinici, & Cassii Longini consulatum.

17 *Quadringentis triginta septem.*] Qui largissimè computant, annos efficiunt tantùm 432. imò plerique reperiunt pauciores. Quare è textu tollenda est, meo judicio, septenarii nota.

18 *Latini avi sui.*] Visus est quibusdam Velleius sentire cum Dionysio Halicarn. qui tradidit natum esse Romulum ex Electra, Latini filia. Sed hæc sententia paucorum est. Sequimur eos, qui avum Romuli fuisse Numitorem dicunt. Non tamen Lipsium audimus legentem, *legionibus Latinis*, id est è Latio. Nam quid vetat Numitorem, ab suo Principatu, Latinum vocari? quod certè fit inter principes.

libenter enim iis, qui ita prodiderunt, accesserim; cum aliter firmare urbem novam, tam vicinis Veientibus, aliisque Etruscis, ac Sabinis, cum imbelli, & pastorali manu vix potuerit, quamquam, [19] jam Asylo facto inter duos lucos, [20] auxit. Hic centum homines electos appellatosque Patres, instar habuit consilii publici, hanc originem nomen Patriciorum habet. [21] Raptus virginum Sabinarum.

IX. * * * * * * * * * * * *

[1] quam timuerat hostis, expetit, nam [2] biennio adeò variâ fortunâ [3] cum Consulibus conflixerat, ut plerumque [4] superior fuerit, magnamque partem Græciæ in societatem suam perduceret. Quin [5] Rhodii quoque, fidelissimi antea Romanis, tum dubiâ fide, [a] speculati fortunam, proniores regis partibus fuisse visi sunt, & rex [6] Eumenes in

INTERPRETATIO.

a *Considerantes*, quò, *fortuna* se verteret, *visi sunt procliviores in causam regis.*

NOTÆ.

19 *Jam asylo.*] Asylum templum est, aliusve quivis locus, ad quem qui confugiunt, sunt in tuto. Asylum, quasi ἄσυλον, Servius deducit à verbo σύρω *traho*, quod avelli inde quemquam nefas esset. Primum Asylum Athenis statuerunt sibi Herculis posteri, veriti vim eorum, quos Hercules vivens vexavisset. Hos deinde Romulus imitatus est. Sed deinde Asylorum jus, ac morem abolevit Tiberius Imperator. *Suet. in Tib. cap.* 37.

20 *Auxit.*] Intellige tum manum illam pastoralem, tum Romuli potentiam, quæ, ab initio exigua, mirum in modum, constituto asylo, crevit.

21 *Raptus virginum Sabinarum.*] Ingens hic hiatus, qui Romanos omnes Reges, omnes Consules, Tribunosque militum absorbet, usque ad annum 582. Hunc hiatum, & aliquot alios accurate replevit *V. C. J. Doujat* in Velleio Paterculo, quem edidit Gallicè ann. 1672. cum diligenti Chronologia ad Vellei historiam, usque ad annum decimum sextum Imperii Tiberii.

* * * * * * * * * * *

1 *Quam timuerat hostis, expetit.*] Sermo erat de Perseo rege Macedonum, qui grave in Romanos bellum gerebat. Cum enim hujus belli initia prospera Perseo fuissent, ait Velleius, eum multò graviorem hostem fuisse, quàm populus Romanus exspectasset. Itaque rectè, meo judicio, Lipsius legit, *extitit*, pro *expetit*: quasi Velleius diceret: Perseus populo Romano gravior, quam timuerat, hostis extitit.

2 *Biennio.*] Quatriennium tenuit Macedoniæ bellum. Rectè tamen, *biennio.* Nam ex his quatuor annis, duobus tantùm postremis Romani paulò meliore fortunâ usi sunt.

3 *Cum Consulibus.*] Licinio Crasso, & Appio Claudio.

4 *Superior fuerit.*] Acidalius legit *foret*: Gruterus verò delet, *fuerit*, & copulam, *magnamque*, expungit. Uterque bene.

5 *Rhodii.*] Incolæ Rhodi. Insula est inter Asiaticas tertia, in mari Carpathio, & Cariæ adjacens, cum urbe cognomine, quæ toti insulæ nomen fecit. Rodii à Colosso, qui illic erat, etiam vocati sunt Colossenses. Ad eos D. Paulus epistolam scripsisse vulgò falsò creditur.

6 *Eumenes.*] Eumenem secundum intellige, Attali primi ex Apolloniade filium natu maximum, regem Pergami. Is in bello Macedonico animum inter Romanos, & Perseum partitus est. Nam licet se Romanorum amicum profiteretur: tamen veriore studio in Perseum ferebatur. Sic neque respondit tractatis rebus

eo bello [b] medius fuit animo, neque fratris initiis, neque suæ respondit consuetudini. Tum Senatus populusque Romanus Lucium Æmilium Paullum, qui & prætor, & consul [7] triumphaverat, [c] virum in tantum laudandum, in quantum intelligi virtus potest, consulem creavit, filium ejus Paulli, [d] qui ad [8] Cannas quàm tergiversanter perniciosam reipublicæ pugnam inierat, tam fortiter in ea mortem obierat, is [9] Perseum ingenti prælio apud urbem nomine [10] Pydnam in Macedonia, fusum, fugatumque, castris exuit; [11] deletisque ejus copiis, destitutum omni spe coëgit è Macedonia profugere: quam ille linquens, in insulam [12] Samothraciam profugit, [13] templique se religioni supplicem credidit, ad eum Cnæus Octavius prætor, qui classi præerat, pervenit; & ratione magis, quàm vi, persuasit, ut se Romanorum fidei committeret, ita Paullus maximum, nobilissimumque regem in triumpho duxit, quo anno & Octavii prætoris, [14] navalis; & Anicii; [15] regem Illyriorum Gentium ante currum agentis triumphi fuere celebres. Quàm sit assidua eminentis fortunæ comes invidia, altissimisque adhæreat, etiam hoc colligi potest, quòd, cum Anicii, Octaviique triumphum nemo interpellaret; [16] fuere, qui Paulli impedire obniterentur: [e] cujus tantum prio-

INTERPRETATIO.

b *Animum partitus est.*

c *Virum dignum tantis laudibus, quantis virtus* ipsa *intelligi potest* digna.

d *Qui mortuus erat in pugnâ Cannensi, tàm fortiter, quàm invitè eam commiserat,* utpotè *damnosam reipublicæ* futuram.

e *Cujus* triumphus *adeò superavit priores, sive* propter *potentiam regis Persei, sive* propter *pulchritudinem simulacrorum, sive* propter *copiam pecuniæ, ut, &c.*

NOTÆ.

ab Attalo, fratre suo minore, qui, initio belli Romam missus, illum Senatui de occulti in Perseum favoris suspicione purgaverat: neque suæ consuetudini semper amplectendi reipublicæ partes.

7 *Triumphaverat.*] In præturâ de Hispanis: atque, si Livium audimus, de Lusitanis. In priore consulatu, de Liguribus, *des Genois.*

8 *Ad Cannas.*] Vicus est in Apulia.

9 *Perseum.*] Erat Philippi filius natu major. Ultimus rex Macedoniæ fuit: à Carano, qui primus illic regnavit, unde quadragesimus.

10 *Pydnam.*] Hodie *Chitro*, prope ostia Aliacmonis, & sinum Thermaïcum.

11 *Deletis ejus copiis.*] In eo prælio Macedonum cæsa sunt ad viginti millia, capta undecim: Romanorum autem non plus centum cecidere.

12 *Samothraciam.*] Est Thraciæ, in mari Ægeo, contra Hebri ostia: inclyta religionibus, atque, Plutarcho & Livio testibus, inviolati soli insula, ubi nobilissimum Junoni templum fuit.

13 *Templique.*] Sensus est. In insulam Samothraciam profugit, ubi templi sanctitate se defendit, ratus securum se fore propter loci reverentiam.

14 *Navalis.*] Qui triumphi, gestis mari feliciter rebus, decernebantur, ii dicebantur navales: ut terrestres, à rebus terrâ feliciter gestis.

15. *Regem Illyriorum.*] *Des Esclavons.* Gentius à Perseo in periculi societatem per fraudem inductus, hujus triumphi L. Anicio prætori materiam dedit.

16 *Fuere, qui.*] Sulpitius Galba tribunus militum, & Æmilius privatim inimicus. Criminabantur optimum ducem, ut *imperiosum*, ob militaris disciplinæ ob-

res excessit, vel magnitudine regis Persei, vel specie [17] simulacrorum; vel modo pecuniæ, ut [18] bis millies centies sestertiûm [19] ærario contulerit, & omnium anteactorum comparationem amplitudine vicerit.

X. Per idem tempus, cum Antiochus Epiphanes, [a] qui Athenis Olympicum inchoavit, tum rex Syriæ, [1] Ptolemæum puerum [2] Alexandriæ obsideret; [3] missus est ad eum legatus Marcus Popilius Lænas, qui juberet incepto desistere; mandataque exposuit; & regem, deliberaturum se dicentem, circumscripsit virgulâ, jussitque, priùs responsum reddere, quàm egrederetur [b] finito arenæ circulo, [c] sic cogitationem regiam Romana disjecit constantia; obeditumque imperio. Lucio autem Paullo, [4] magnæ victoriæ compoti, quatuor filii fuere, ex iis duos, natu majores, unum Publio Scipioni, Publii Africani filio, nihil ex paterna majestate præter speciem nominis, vigoremque eloquentiæ, retinenti, in adoptionem dederat; alterum Fabio Maximo: duos, minores natu, [5] prætextatos, quo tempore victoriam adeptus est, habuit. Is cum in concione extra urbem, more majorum, ante triumphi diem, ordinem actorum suorum commemoraret, deos immortales precatus est; ut, si quis eorum invideret

INTERPRETATIO.

a *Qui incepit Athenis templum* Jovis *Olympici.*

b *Descripto circulo arenæ.*

c *Sic constantia Romana dissipavit cunctationem regis.*

NOTÆ.

servantiam: ut *malignum*, ob prædam pareiùs, quàm cupiditas militum speraverat, distributam.

17 *Simulacrorum.*] Præter solita spolia, urbium etiam devictarum, montium, ac fluminum simulacra præferebantur.

18 *Bis millies.*] *Deux cent dix millions de sesterces*: qui si ad usum nostratis pecuniæ subducantur, erunt *six millions d'or, & trois cent mille écus.* Sestertius apud Romanos erat moneta argentea. Vide Budæum, *De asse.*

19 *Ærario contulerit.*] Tradidit Plinius lib. 33. populum Romanum ab eo tempore pendere tributum desiisse.

1 *Ptolemæum.*] Ægypti regem, Ptolemæi Philometoris fratrem natu minorem, qui Physcon etiam dictus est.

2 *Alexandriæ.*] Urbs est Syriæ, & emporium celebre, vulgo *Alexandrette.*

3 *Missus est.*] A Senatu, rogatu Evergetis, & Cleopatræ sororis, qui Romam legatos ante miserant opem Senatûs contra Antiochum imploraturos.

4 *Magnæ victoriæ.*] Quam ex Macedonibus retulerat.

5 *Prætextatos.*] Qui gerebant togam prætextam, id est, quam circum prætexta purpura erat. Hàc togâ utebantur 1 pueri nobiles usque ad decimum septimum annum. 2. Magistratus omnes urbani. 3. Omnes Senatores, cum sacros diis celebrabant dies. 4. Collegiorum Magistri, (ut *Paul. Manut.* observavit *in orat. pro Sext.*) dum ludos agebant compitalitios, id est, in compitis fieri solitos. Prætexta porro erat quoddam vestimenti genus oblongum, ac talare. Hinc pueri prætextati dicti sunt. Annos etiam pueritiæ, per quos usus erat prætextæ, prætextatos vocavit Plinius lib. 33. sed observandus est omninò alius hujus vocis usus cum tribuitur *moribus*: ut apud Juven. *Sat. 2. Sic prætextatos referunt Artaxata mores.* Intelliguntur enim mores lascivi, & obsceni.

operibus, ac fortunæ suæ, in ipsum potiùs sævirent, quàm in rempublicam: quæ vox, veluti oraculo emissa, magnâ parte eum spoliavit sanguinis sui, nam alterum ex iis, quos in familia retinuerat, liberis [6] ante paucos triumphi, alterum post pauciores amisit dies. Aspera circa hæc tempora censura Fulvii Flacci, & Postumii Albini fuit. Quippe Fulvii censoris frater, [7] & quidem consors, Cnæus Fulvius senatu motus est ab iis censoribus.

XI. Post victum, captumque Perseum, qui quadriennio post [1] in libera custodia [2] Albæ decessit, [3] Pseudophilippus, à mendacio simulatæ originis appellatus, qui se Philippum, regiæque stirpis, ferebat, cum esset ultimæ, armis occupatâ Macedoniâ, adsumptis regni insignibus; brevi temeritatis pœnas dedit. Quippe Quintus Metellus prætor, cui ex virtute Macedonici nomen inditum, præclarâ victoriâ ipsum gentemque superavit, & immani etiam Achæos, rebellare incipientes, fudit acie. Hic est Metellus Macedonicus; qui porticus, quæ fuere circumdatæ [a] duabus ædibus [4] sine inscriptione positis, quæ nunc [5] Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat; [b] quique hanc turmam statuarum equestrium, quæ frontem ædium spectant, hodieque maximum ornamentum ejus loci ex Macedonia detulit, cujus turmæ hanc causam referunt: Magnum Alexandrum impetrasse à [6] Lysippo, singulari talium auctore operum, [c] ut eorum

INTERPRETATIO.

a *Duobus templis.*

b *Et qui deportavit ex Macedonia hanc multitudinem statuarum equestrium, quæ respiciunt frontem templorum, etiam nunc maximum ornamentum hujus loci.*

c *Ut effingeret ad vivum equites suæ turmæ, qui casi fuerant apud flumen Granicum, & se quoque* Alexandrum *poneret inter eos.*

NOTÆ.

6 *Ante paucos triumphi.*] Quarto ante triumphum die. Alter vero in triumpho conspectus post tertium diem obiit.

7 *Et quidem consors.*] Lipsius interpretatur, κοινόβιος, hoc est, ejusdem mensæ, atque ejusdem tecti.

1 *In libera custodia.*] Ubi non adimitur libertas eundi, redeundi, & quibuscum libet congrediendi.

2 *Albæ.*] Urbs Latii est. Nunc jacet in ruinis: sed ei adjacet Albanum; quæ urbs ex alterius ruderibus crevit, & nunc *Albano* dicitur.

3 *Pseudophilippus.*] Falsus Philippus, à nomine Græco ψευδὴς. Ubi tamen observabis, hâc voce, si nominibus propriis jungatur, non tam falsitatem, quàm omnimodam similitudinem significari. Hic Pseudophilippus à Floro *Andriscus* nominatur. Causa fuit belli Macedonici tertii, quod an. U. C. 606. confectum est ingenti clade Pseudophilippi exercitûs, occisis ex ejus copiis viginti quinque millibus.

4 *Sine inscriptione.*] Hominis, non numinis. Horum enim templorum alterum Jovi, alterum Junoni inscriptum erat: sed sine inscriptione, quæ notaret vel artificum, vel ejus qui dedicaverat, nomen.

5. *Octaviæ porticibus.*] Duæ porticus sic Romæ vocabantur. Quarum alteram Octavia, Augusti soror, fecit: alteram Cn. Octavius, filius Cnæi illius prætoris, qui navali triumpho de rege Perseo triumphavit.

6. *Lysippo.*] Clarissimus erat statuarius, patriâ Sycionius.

equitum,

equitum, qui ex ipsius turma apud [7] Granicum flumen ceciderant, expressâ similitudine figurarum, faceret statuas, & ipsius quoque iis interponeret. Hic idem, primus omnium Romæ [8] ædem ex marmore in iis ipsis monumentis molitus, vel magnificentiæ, vel luxuriæ princeps fuit. Vix ullius gentis, ordinis hominem inveneris, cujus felicitatem fortunæ Metelli compares. Nam, præter excellentes triumphos, honoresque amplissimos, [d] & principale in republica fastigium, extentumque vitæ spatium, & acres, innocentesque pro republica [9] cum inimicis contentiones, quatuor filios [e] sustulit, omnes adultæ ætatis vidit, omnes reliquit superstites, & honoratissimos. [f] mortui ejus lectum [10] pro Rostris sustulerunt quatuor filii, unus consularis, & censorius, alter consularis, tertius consul, quartus [11] candidatus consulatus, quem honorem adeptus est. Hoc est nimirum magis, feliciter de vita migrare, quàm mori.

XII. Universa deinde, ut prædiximus, [a] instincta in bellum Achaia, cujus pars magna, ejusdem Metelli Macedonici virtute, armisque fracta erat, maxime Corinthiis in arma, cum gravibus etiam [1] in Romanos contumeliis, [b] instigantibus, destinatus ei bello gerendo consul Mummius. Et sub idem tempus, magis, quia volebant Romani, quidquid de Carthaginiensibus diceretur, credere quàm quia credenda afferebantur, statuit Senatus Carthaginem excidere. Ita, eodem tempore Publius Scipio Æmilianus, vir avitis Publii Africani, paternisque Lucii Paulli virtutibus simillimus, omnibus belli, ac togæ dotibus, ingenisque ac studiorum eminentissimus sæculi sui, qui nihil in vita, nisi laudandum, aut fecit, aut dixi, ac sensit: quem Paullo genitum,

INTERPRETATIO.

d *Et primum gradum in republica.*
e *Genuit.*
f *Post ejus mortem quatuor* ejus *filii* extra *tulerunt ad rostra lectum*, ubi jacebat.
a *Incitata.*
b *Impellentibus.*

NOTÆ.

7 *Granicum.*] Phrygiæ minoris fluvius est, ex Ida monte in propontidem se exonerans.

8 *Ædem.*] Interpretor, *templum* eum Lipsio: non autem, *privatam* domum, cum Grutero. Ædes enim pro *privata domo* vix aliter usurpatur, quàm numero multitudinis. Cum Lipsio tamen haud putem, hoc templum ipsi urbi Romæ, veluti deæ, dedicatum; non verò in urbe extructum dici.

9 *Cum inimicis.*] Cum Scipione Africano, cæterisque urbis optimatibus.

10 *Pro rostris sustulerunt.*] Ex quo loco mortui filius, aut alius ex ipsis genere, quæ in vita præclarè gessisset, oratione laudabat. Rostra dicebatur locus, seu templum in foro, navium rostris adornatum. Ex quo ad populum concio haberi solebat.

11 *Candidatus.*] Sic dicebantur, qui magistratus petebant, à togâ candidâ, quam per id tempus induebant. Inde rerum etiam aliarum petitores candidati vocati sunt.

1. *In Romanos contumeliis.*] Dubium est, an manu: at certè oratione ipsorum legati violati sunt, & Achæorum furorem antevertere fugâ coacti sunt.

adoptatum à Scipione, Africani filio, diximus, [2] ædilitatem petens consul creatus est. Bellum Carthagini jam ante biennium [3] à prioribus consulibus illatum, majore vi intulit; cum antè in Hispania [4] murali coronâ, in Africa obsidionali donatus esset; [e] in Hispania verò etiam ex provocatione, ipse modicus virium, immanis magnitudinis hostem interemisset. Eámque urbem, magis invidiâ imperii, quam [5] ullis ejus temporis noxis, invisam Romano nomini, funditùs sustulit, fecitque suæ virtutis monumentum, quod fuerat avi ejus clementiæ. [6] Carthago diruta est, cùm stetisset annis sexcentis sexaginta septem; abhinc annos centum septuaginta septem, Cnæo Cornelio Lentulo, Lucio Mummio Consulibus. Hunc finem habuit Romani imperii Carthago æmula; cum qua bellare majores nostri cœpère Claudio, & Fulvio Coss. ante annos ducentos nonaginta sex, quàm tu, Marce Vinici, consulatum inires. Ita per annos centum quindecim, aut bellum inter eos populos, aut belli præparatio, aut infida pax fuit: neque se Roma, jam terrarum orbe superato, securam speravit fore, si nomen usquam stantis maneret Carthaginis. Adcò odium certaminibus ortum, ultra metum durat, & ne [7] in victis quidem deponitur, neque [8] ante invisum esse desinit, quàm esse desiit.

XIII. Ante triennium, quàm Carthago deleretur, Marcus Cato, [a] perpetuus diruendæ ejus auctor, Lucio Censorino, Marco Manlio Consulibus, mortem obiit. Eodem anno, quo Carthago concidit, Lucius Mummius Corinthum, post annos octingentos quinquaginta duos, quàm ab Halete, Hippotis filio, erat condita, funditus eruit.

INTERPRETATIO.

e Præterea in Hispania interfecisset, in singulari prælio, hostem immodica staturæ, ipse mediocrium virium.

a Continuus suasor illius subvertendæ.

NOTÆ.

2 *Ædilitatem.*] Dignitas erat Romana, primus ad alias gradus. Ædilis hæ partes erant, urbem tueri, curare annonam, exhibere ludos, publica & privata ædificia procurare. Curulis dicebatur, à sellâ Curuli, quâ soli Ædiles utebantur.

3 *A prioribus consulibus.*] Manilio, & Censorino.

4 *Murali.*] Quòd murum urbis obsessæ prior conscendisset. *Obsidionali*, quod obsessas cohortes Romanas liberasset hæc erat graminea, inde decerpto gramine, ubi obsessæ tenebantur. Erat omnium longè nobilissima.

5 *Ullis ejus temporis noxis.*] Correctionem Lipsianam secutus sum. Sensus est: ullis noxis, quæ objici illi cùm possent, cum adversus eam bellum decretum est.

6 *Carthago diruta est.*] Incendio. Quod, teste Floro, per septemdecim dies extingui tamen vix potuit.

7 *In victis.*] Lego cum plerisque, *invictos.*

8 *Ante invisũ.*] Lipsius legit *invisa.* At id necesse non est. Hunc enim textus efficit sensum, qui verus est. Adeò quod semel invisum fuit, non antè invisum esse desinit, quàm omninò esse desiit.

uterque Imperator, devictæ à se gentis nomine honoratus, alter Africanus, alter appellatus estAchaicus,[b] nec quisquam [1] ex novis hominibus prior Mummio cognomen virtute partum vindicavit. Diversi imperatoribus mores, diversa fuêre studia: [2] quippe Scipio tam elegans liberalium studoirum, omnisque doctrinæ & [3] auctor, & admirator fuit, ut [4] Polybium, [5] Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiæque secum habuerit. [c] Neque enim quisquam hoc Scipione elegantiùs intervalla negotiorum otio dispunxit: semperque aut belli, aut pacis serviit artibus, semper inter arma, ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit. Mummius tam rudis fuit, ut captâ Corintho, cùm maximorum artificum perfectas manibus tabulas, ac statuas in Italiam portandas locaret, juberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, novas eos reddituros. [d] Non tamen puto dubites, Vinici, quin magis pro republica fuerit, manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quàm in tantùm ea intelligi; & quin hâc prudentiâ illa imprudentia decori publico fuerit convenientior.

XIV. Cùm faciliùs cujusque rei in unum contracta species, quàm divisa temporibus, oculis, animisque inhæreat; statui priorem hujus Voluminis, posteriorémque partem, non inutili rerum notitiâ in artum contractâ, distinguere, atque huic loco inserere, quæ quóque tempore, post Romam à Gallis captam, deducta sit [1] colonia jus-

INTERPRETATIO.

b *Nec ullus inter novos homines sibi tribuit ante Mummium, cognomen acquisitum fortitudine.*

c *Nam nemo meliùs, quàm hic Scipio, distinxit otio spatia vacua negotiis.*

d *Tamen*, ut *puto, non dubitabis, Vinici quin utilius futurum fuisset reipublicæ mentes* nostras *adhuc manere ignaras* operum *Corinthiorum, quàm adeò peritas esse in his æstimandis.*

NOTÆ.

1 *Ex novis hominibus.*]Novi dicuntur, quorum majores obscuri fuerunt: sed qui incipiunt ipsi clari esse per se, & magistratus in civitate assequi.

2 *Quippe Scipio.*]Sensus est. Scipio adeò liberalia studia, atque omne doctrinarum genus coluit, ut scripserit ipse elegantissimè: tantíque fecit doctos viros, ut semper habuerit secum, tam in urbe, quàm in castris, Polybium, & Panætium, viros præstantissimi ingenii.

3 *Auctor.*] Lipsius existimat hanc laudem pro Scipione esse nimiam: unde scribi vellet, *fautor.* Verùm ea laus videri nimia non debet. Cùm Scipio is sit, ad quem Terentii scripta (insigne elegantioris doctrinæ monumentum) teste Fabio, à veteribus referuntur. Quam tamen opinionem à Donato impugnari scio.

4 *Polybium*) Insignis est historicus, ex Megalopoli Arcadiæ urbe. HistoriamRomanam libris quadraginta conscripsit.

5 *Panætium.*] Stoïcæ sectæ Philosophum, patriâ Rhodium.

1 *Colonia.*] Coloniæ oppida fuerunt, quò populus Romanus suos cives ad incolendum ab urbe deduxit. Qui plura scire de coloniis volet, adeat Sigonium *de antiq. jure Italiæ lib.* 2.

ſu ſenatus. [a] Nam [2] militarium & cauſæ, [3] & auctores, & ipſarum præfulgent nomina. Huic rei per idem tempus [4] civitates propagatas auctumque Romanum nomen communione juris, haud intempeſtivè ſubtexturi videmur. Poſt ſeptem annos, quàm Galli urbem ceperunt, [5] Sutrium deducta colonia eſt & poſt annum [6] Setina, novemque interjectis annis [7] Nepe; deinde, interpoſitis duobus & triginta, [8] Aricini in civitatem recepti. Abhinc annos autem trecentos quinquaginta, Spurio Poſtumio, Veturio Calvino conſulibus, [9] Campanis data eſt civitas, [10] partique Samnitium [11] ſine ſuffragio: & eodem anno [12] Cales deducta colonia. Interjecto deinde triennio [13] Fundani, & Formiani in civitatem recepti, eo ipſo anno, quo [14] Alexandria condita eſt. Inſequentibuſque Conſulibus à Spu-

INTERPRETATIO.

a *Nam de militaribus coloniis, nota ſunt & ipſarum nomina, & cauſa, & auctores.*

NOTÆ.

2 *Militarium.*] Militares coloniæ, vel fuerunt agri bello capti, qui inter veteranos milites dividebantur; vel etiam oppida, quò iidem mittebantur, ut præliorum diuturnitate feſſi aliquando præmium laborum ſuorum caperent. Quod autem Velleius facturum ſe negat, ut pluribus colonias militares perſequatur: ſtudioſè Sigonius executus eſt *de antiq. jure Italiæ lib.* 3. Ubi de militaribus coloniis fusè diſſerit.

3 *Et auctores.*] Intelligit L. Sullam, C. Cæſarem, Dictatores: M. Antonium M. Lepidum, & C. Octavianum, Triumviros: ipſummet imperatorem Auguſtum: qui omnes, partâ civili victoriâ, hoſtium agros militibus, per quos vicerant, diviſerunt.

4 *Civitates propagatas.*] Hujus loci ſenſus eſt: huic rei ſubtexturi videmur oppida, quibus per idem tempus civitas data eſt. Quæ idcircò totidem ſunt veluti *Romæ* propagatæ in provincias; ubi Romanum nomen auctum eſt communione juris.

5 *Sutrium.*] *Sutri*, in Etruriâ: ditionis Pontificiæ.

6 *Setina.*] Lege cum Manutio, cæteriſque Geographis, *Setia*, hodie *Sezza*, in Latio.

7 *Nepe.*] Ita lego cum multis: etſi Cluverius vult legi *Nepete.* Nunc *Nepi* in Etruria.

8 *Aricini.*] Pro *Aricià* in Latio: nunc *La Riccia.*

9 *Campanis.*] Idem narrat Livius lib. 8. ſed diſcedere à Velleio videtur. Nam 1. id narrat tantùm de equitibus Campanis. 2. Id refert ad L. Furii, & C. Mœvii conſulatum, quadriennio ante Vellei notam. Verum componi cum Livio Velleius poteſt, ſi dicatur, datam eſſe civitatem primùm equitibus Campanis, deinde Campanis univerſis, ſeu urbi Capuæ, Campaniæ capiti: eò quòd rebellare cum Latinis noluiſſet.

10 *Parti Samnitium.*] Pars illa nunc dicitur, *Duché de Benevent.*

11 *Sine ſuffragio.*] *Id eſt*, eâ conditione, ut in comitiis nec ſuffragium ferrent, nec magiſtratus adipiſcerentur: Honoris tamen causâ iis concedebatur, ut tanquam cives Romani in legione, non in auxiliariis copiis, velut ſocii, militarent. Quibus autem civitas cum ſuffragio dabatur, primùm cives Romani fiebant: ac prætereà poterant magiſtratus aut alieno ſuffragio conſequi, aut ſuo alteri obtinere.

12 *Cales.*] *Calvi*, in Campaniâ, *Dans la terre de Labour.*

13 *Fundani.*] *Fondi.* Formiani, *Mola*: quibuſdam *Formies.*

14 *Alexandria, &c.*] Ab Alexandro magno, in Ægypto.

rio Postumio, Philone Publio censoribus, [15] Acerranis data civitas, & post triennium [16] Tarracinam deducta colonia, interpositóque quadriennio, [17] Luceria, ac deinde, interjecto triennio, [18] Suessa Aurunca, & Saticula, interamnáque post biennuim. [b] Decem deinde hoc munere anni vacaverunt. Tunc Sora, atque Alba deductæ coloniæ, & [19] Carseoli post biennium. At Quincto Fabio quintum, Decio Mure quartùm consulibus, quo anno [20] Pyrrhus regnare cœpit, [21] Sinuessam, Minturnasque missi coloni; post quadriennium [22] Venusiam, interjectoque biennio, Manio Curio, & Rufino Cornelio consulibus, Sabinis sine suffragio data civitas. Id actum ante annos fermè trecentos viginti. [23] At Cossam, & Pæstum abhinc annos fermè trecentos, Fabio Dorsone, & Claudio Canina consulibus, interjecto quinquennio, Sempronio Sopho, & [24] Appio Cæci filio consulibus, [25] Ariminum, Beneventum coloni missi; & suffragii ferendi jus Sabinis datum, at initio primi belli Punici [26] Firmum, & Castrum colonis occupata, & post annum * Æsernia, postque viginti duos annos Æsulum, & Alsium, Fregellæque post biennium; proximóque anno, Torquato, Semproniόque Consulibus Brundusium, & post triennium Spoletium: quo anno [27] Floralium ludorum factum est initium.

INTERPRETATIO.

b *Decem annis consequentibus hac cura cessavit.*

NOTÆ.

15 *Acerranis.*] *La Cerra*, in Campania.

16 *Tarracinam.*] Volscorum oppidum in Latio. Antea dicebatur *Anxur*: nunc *Terracina.*

17 *Luceria.*] *Lucera*, urbs Apuliæ Dauniæ, *dans la Pouille, ou Capitanate.*

18 *Suessa Aurunca.*] *Sezza*, in Campania.] Saticula, *Caserta*, ibid.] Interamna, nunc *Torre di Termine*; quibusdam, *l'Isola*, prope Vulturnum fluvium.

19 *Carseoli.*] *Arsoli* in Latio.

20 *Pyrrhus.*] Rex Epirotarum, is, cui de bello adversus Romanos Apollinem consulenti, responsum est vulgatum illud propter ambiguitatem Oraculum: Aio te, Æacida, Romanos vincere posse.

21 *Sinuessam.*] Quibusdam *Sezza*, sed error est. Aliis *Rocca di Mandragone* non procul à Liri fluvio.] Minturnas, ibidem: nunc *La Barca del Garigliano*: quòd ibi Liris scaphâ traijciatur.

22 *Venusiam.*] Nunc *Venosa*, Horatio alumno nobilis.

23 *At Cossam.*] Sigonius, & Cluverius rectè emendaverunt, *Cosam*, in Etruria, nunc *Ansedonia.*] Pæstum, nunc *Pesti* in Lucania. Jacet in ruinis.

24 *Appio cæci filio.*] Appii Claudii, cognomento cæci, quòd reverà esset.

25 *Ariminum.*] *Rimini*, in Romandiola.] Beneventum, *Benevent.* in agro Neapolitano.

26 *Firmum.*] *Fermo*, in Marchià Anconitanà.) Castrum, *Castro* in Tuscia.

* *Æsernia.*] *Isergna*, in Samnio, *dans l'Abruzze.*] Æsculum, lege cum aliis. Asculum, *Ascoli* in Piceno.) Alsium, *Palo*, in Ducatu Braciani.] Fregellæ, *Ponte Corvo*, in campania.] Brundusium, *Brindisi*, in agro Hydruntino, *Dans la terre d'Otrante.*

27 *Floralium ludorum.*] In Floræ honorem institutorum: ob ingentem pecuniæ vim, quam hæreditate populo Romano reliquerat. Quod cùm postea flagitiosum senatui videretur (nam eas opes meretricio quæstu Flora paraverat) pu-

postque biennium deducta [28] Valentia, &, sub adventum in Italiam Hannibalis, Cremona, atque Placentia.

XV. [a] Deinde neque dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis post excessum ejus annis, vacavit Romanis colonias condere; cùm esset in bello conquirendus potius miles, quàm dimittendus, & post bellum vires refovendæ magis, quàm spargendæ. Cnæo autem Manlio Volsone, & Marco Fulvio Nobiliore Consulibus [1] Bononia deducta Colonia, abhinc annos fermè ducentos septemdecim; & post quadriennium. [2] Pisaurum, ac Potentia; interjectóque triennio, Aquileïa, & Gravisca, & post quadriennium [3] Luca. Eodem temporum tractu (quamquam apud quosdam ambigitur) [4] Puteolos, Salernumque, & Buxentum missi coloni: [5] Auximum autem in Picenum, abhinc annos fermè centum octuaginta septem ante triennium, quàm Cassius censor, [b] à [6] Lupercali in Palatium versus, [7] theatrum facere instituit: cui in [8] demoliendo eximia civitatis severitas, & consul Cæpio restitère, quod ego inter clarissima

INTERPRETATIO.

a *Deinde, neque dum Hannibal constitit in Italiâ, neque primis annis post ejus discessum, integrum fuit Romanis deducere Colonias.*

b *A Lupercali versus montem Palatinum.*

NOTÆ.

dendæ rei dignitatem quærere placuit. Ergo Floram Deam esse patres finxerunt: quæ floribus præesset: quæque esset placanda, fruges ut feliciter provenirent.

28 *Valentia.*] Nunc *Bivona* non procul à *Monteleone* ulteriorisCalabriæ.]Cremona, non procul à Mantuâ: Placentia, *Plaisance*, utraque Galliæ Cisalpinæ ad Padum.

1 *Bononia.*) Sita est propeRhenum amnem, in dominio Pontificio:Pinguis soli: unde nobis dicitur, *Boulogne la grasse.*

2 *Pisaurum.*) *Pesaro* Ducatus Urbini, in ditione Pontificiâ, & in orâ Adriatici maris.] Potentia, urbs Piceni, excisa, cujus nomen superest in proximâ Abbatiâ, quæ sanctæ Mariæ dicitur, non procul à portu Recitenensi, *Recanati.*] Aquileia, *Aquilée*, aliàs perampla: nunc ob aëris inclementiam deserta.] Gravisca, in Etruriâ: nunc excisa, cujus ex ruinis crevit Cornetum, *Corneto*, in provinciâ Patrimonii S. Petri.

3 *Luca.*) Urbs munitissima, nunc sui juris, & Respublica libera, *Lucques.*

4 *Puteolos.*] Incolis *Pozzuolo*: nobis *Pouzol.* In orâ littorali Provinciæ Terræ Laboris, cum portu celeberrimo.) Salernum, *Salerne*, in regno Neapolitano, Principatus Citerioris caput; cum arce, & portu,in orâ Tyrrheni maris.) Buxentum *Policastro*, ibidem.

5 *Auximum.*)*Osimo*,non*Osmo*;ut multi perperam scripserunt. Paret summo Pontifici.

6 *Lupercali.*) Locus erat sub monte Palatino, Pani, Arcadiæ Deo,Sacer.Hinc Sacerdotes Panis dicti sunt Luperci.

7 *Theatrum.*] Lapideum: cum antea theatra, quemadmodum vocant temporaria, ex ligno struerentur.

8 *Demoliendo.*) Mendo non caret hic locus. Nam quod Boëcletus ait *demoliri*, sumi pro *moliri*: id dicit prorsus gratis, cum sine ullius exempli appositionedicat. Manutius locum, haud dubiè corruptum, sic restituit: *in moliendo.* Adderem equidem in *eo* moliendo, *de* mutatis in *eo*; quas literulas corrumpere pronum librariis fuit. Sic autem sensus optimus efficitur.

[9] publicæ voluntatis argumenta numeraverim. Cassio autem Longino, & Sextio Calvino (qui [10] Salluesapud [11] Aquas, quæ ab eo Sextiæ appellantur, devicit) Consulibus, [12] Fabrateria deducta est, abhinc annos fermè centum quinquaginta septem; & post annum [13] Scylacium, Minervium, Tarentum, Neptunia, Carthagóque in Africa prima, ut prædiximus extra Italiam, colonia condita est. [14] de Dortona ambigitur. [15] Narbo autem Martius in Gallia, Marco Porcio, Quinto Marcio consulibus, abhinc annos circiter centum quinquaginta tres, deducta colonia est, [16] post tres & viginti annos in [17] Vagiennis [18] Eporædia, Mario sexies, Valerioque Flacco consulibus. [e] Neque facilè memoriæ mandaverim, quæ, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit.

XVI. Cùm hæc particula operis velut formam propositi excesserit: quamquam intelligo, mihi, in hac tam præcipiti festinatione, quæ me, rotæ [a] pronive gurgitis, [1] ac verticis modo nusquam pati-

INTERPRETATIO.

e *Neque facilè prodiderim scriptis, an ulla alia* colonia, *quam militaris, missa sit post hoc tempus.*
a *Et rapidi gurgitis.*

NOTÆ.

9 *Publicæ voluntatis.*) Propensionis ad veteres mores retinendos.

10 *Sallues.*) *Les Provençaux.* Salyi, & Salyes Plinio, Livio Salvii, Saluvii Marcelliano dicuntur.

11 *Aquas, quæ ab eo Sextiæ.*) Urbs est Galliæ Narbonensis, vulgo *Aix*, totius provinciæ Parlamenti sedes.

12 *Fabrateria.*) Nunc *Falvaterra*, Volscorum pagus in Latio, prope Lirim, in ditione Pontificiâ.

13 *Scylacium.*] Nunc *Squillace*, Calabriæ ulterioris. Minervium, *Minerbino*, aut *Monervino*, regni Neapolitani, in provinciâ Barianâ, in ipso limite Basilicatæ, versus montes.] Tarentum, *Tarente*: aliàs magnæ Græciæ, in Calabriâ: hodie verò regni Neapolitani, in terra Hydruntinâ.] Neptunia, oppidum fuit magnæ Græciæ, apud Scylacium, ad montis Moscii radices. Verùm illud video hodie ignorari.

14 *De Dortona.*] *Tortone.* Urbs probè munita, in Mediolanensi tractu, sub Hispanorum dominio.

15 *Narbo Martius.*] *Narbonne*, in Occitaniâ provinciâ, juxta ramum fluvi Atacis (*de l'Aude*) manu ductum aliàs à Romanis, nunc *La Robine.* dictum, non procul ab ora Mediterranei maris. At unde Martius dicitur? Ex eo, quod ex legione Martiâ Cæsar eò colonos deduxerit. Certè plurimæ coloniæ: à legionibus, quæ in iis erant collocatæ, nomen sibi pepererunt, ut Sextanorum, Secundanorum, Decumanorum, &c. Scribendum verò est *Martius*, non *Marcius*, ut apud Sigonium *de Ant. jure Provinc. lib. 1. cap. 6.* testatur vetus aræ inscriptio. PRO COLONIS. INCOLISQUE. COL. JUL. PATERN. NARB. MART.

16 *Post tres & viginti annos.*] Aliter legit Vossius, Authoribus Pighio in *Annal. Roman.* Et Philippo Cluverio *in Italiâ antiquâ.* Sic legit: *Deducta colonia, & post duo de viginti annos in Bagiennis Eporedia.* Quòd distinctionem mutaverit, & pro *est*, reposuerit, *&*, facilè probo: quod verò tollat *Vagiennis*, & *Eporædia*, ut reponat *Bagiennis*, & *Eporedia*, tantùm fero: nam utrumque dicitur.

17 *Vagiennis.*] Populi fuerunt Liguriæ montanæ, seu Galliæ subalpinæ, propè fontes Padi.

18 *Eporædia.*] Nunc *Yvrée*, in Pedemontio, ad Duriam fluvium.

1 *Verticis.*[Quintilianus lib. 8. cap. 2. ait verticem esse, quicquid in se verti-

tur consistere, pænè magis necessaria prætereunda, quàm supervacua amplectenda, [b] nequeo tamen temperare mihi, quin rem, sæpè agitatam animo meo, neque ad liquidum ratione perductam, signem stylo. [c] Quis enim abundè mirari potest, quod eminentissima cujusque professionis ingenia, [2] in eam formam, & in idem arctati temporis congruens spatium; & quemadmodum clausâ [3] capsâ, alióque septo diversi generis animalia, nihilominùs separata alienis, in unum quoq; corpus congregantur; ita cujusque clari operis capacia ingenia in similitudinem & temporum, & profectuum, semet ipsa ab aliis separaverunt? Una, neque multorum annorum spatio divisa, ætas, per divini spiritus viros [4] Æschylum, [5] Sophoclem, Euripidem, illustra-

INTERPRETATIO.

b *Tamen non possum me tenere, quin mandem scriptis rem, de quâ sæpe cogitavi, & qua* nondum *clarè demonstrata est* ullo *argumento.*

c *Nam quis potest satis mirari, quòd ingenia præstantissima in qualibet arte convenerint in idem spatium angusti temporis, & in eundem modum* quærendi perfectionem suæ artis? *&, sicut animalia diversa speciei*, licet *inclusa* eodem *capso, aut quolibet claustro, ita separantur inter se, ut una quæque* species *coëat in unum gregem: sic homines capaces præstantis alicujus operis, conjuncti inter se similitudine temporum & studiorum, segregaverint se ab aliis.*

NOTÆ.

tur: explicandum tamen esse maximè de contortâ in se aquâ: *un tournant d'eau.*

2 *In eam formam.*] Corruptissimus, ac difficillimus locus: in quo restituendo Vossium secuti sumus. Hunc ita castigatum ex integro nobis reliquit. *Quis enim abunde mirari potest, quod eminentissima cujusque professionis ingenia, in eandem formam, & in idem arctati temporis congruerint spatium? Et quemadmodum clausa capso aliòve septo diversi generis animalia, nihilominùs, separata alienis, in unum quæque corpus congregantur; ita cujusque clari operis capacia ingenia in similitudinem & temporum, & profectuum semetipsa ab aliis separaverint?* Lucem attulit quidem Vossius: at non omnino sensum patefecit. Quem vide in interpretatione.

3 *Capsa.*] Vossius profitetur, pro *capsâ*, se restituisse *capso*, fide codicis Ms. significat autem *capsus*, vallum, claustrum, seu locum sudibus septum, ac munitum.

4 *Æschylum.*] Athenis floruit Olympiade 70. juxta Eusebium: 60. juxta alios vixit annos 65 Hieronis Siciliæ regis tempore, ac in ipsa Sicilia, ut perhibent, mortuus: sed miro fato. Ei prædictum fuerat, ipsum casu domûs interiturum. Quare mediis in agris degebat. Non tamen vim fati declinavit. Nam cùm fortè aperto, quod calvum erat, capite sederet, aquilam hàc prætervolare contigit: quæ testitudinem in Æschyli caput illisit, rata saxum esse propter ejus calvitiem. Quo ictu Poëta interiit. Ita Ælian. & Valer. Maxim.

5 *Sophoclem.*] Sophili filium, Æschylo 17. annis juniorem. Annos natus 95. obiit; acino, teste Luciano, strangulatus. [*Euripidem*, natus est Salamine in Atticæ insulâ cognomine; quo anno Xerxes in Græciam irrupit. Ei Mnesarchus pater fuit; mater verò Clito. Obiit annos natus 75. diro mortis genere. Cùm enim cænatus ab Archelao Macedoniæ rege, à quo unicè diligebatur, noctu rediret, à canibus laceratus est.

vit

vit tragœdiis: una priscam illam, & veterem sub [6] Cratino, Aristophane, & Eupolide comœdiam: ac novam comicam [7] Menandrus, æqualesque ejus ætatis magis, quàm operis, [8] Philemon, ac Diphilus, & invenêre intra paucissimos annos neque imitanda reliquêre. [d] Philosophorum quoque ingenia, Socratico ore defluentia, omnium quos paulò antè enumeravimus, quanto post Platonis, Aristotelisque mortem floruêre spatio? Quid ante Isocratem, quid post ejus auditores, eorumque discipulos clarum in Oratoribus fuit? [e] adeò quidem artatum angustiis temporum, ut nemo memoriâ dignus alter ab altero videri nequiverint.

XVII. Neque hoc in Græcis, quàm in Romanis, evenit magis. [a] Nam, nisi aspera, ac rudia repetas, & inventi laudanda nomine, [1] in Attio, circaque eum Romana tragœdia est: dulcesque Latini leporis facetiæ per [2] Cæcilium [3] Terentiumque, &

INTERPRETATIO.

d *Philosophi quoque, quos paulò antè recensuimus, profecti ex disciplinâ Socratis, &c.*

e *Certè* id totum *comprehensum fuit adeò exiguo spatio temporis, ut nullus fuerit memorabilis, quin potuerit videri alter ab altero.*

a *Nam nisi revoces inculta, & impolita, &* solùm *laudabilia propter inventionem, Romana tragœdia continetur in operibus Attii, & illius coætaneorum.*

NOTÆ.

6 *Cratino.*] Atheniensi, Callimedis filio. Adeo amans vini fuit, ut ob ruptum vas, & effusum vinum, dolore perierit.] *Aristophane*, ex Lindo Rhodi oppido] *Eupolide*, Athenis, in patriâ sua floruit, in mare dejectus est ab iis, in quos scripserat: dubitatur, an jussu Alcibiadis, quem versibus perstrinxerat.. Certè tùm Alcibiades edicto cavit, ne quis in alios fabulas scriberet. Ex quo factum est, ut apud Athenienses primùm, ac subinde apud Romanos priscæ Comœdiæ acerbitas in leniorem formam mutata sit.

7 *Menandrus.*] Atheniensis: annos natus 55. submersus est, dum in Piræo portu natarer.

8 *Philemon.*] Damone patre natus est Syracusis, juxta Suidam: Pompeiopoli in Ciliciæ urbe, juxta Strabonem. Risu corruit exanimis, asinum ficos mandentem intuens, ita post Lucianum Valer. Max.] *Diphilus*, Sinopensis fuit, dictus *χρωμαχρόμενος, id est,* maxime comicus.] De Socrate, Platone, Aristotele, & Isocrate multa passim traduntur apud Scriptores, quæ afferre supervacaneum, esset.

1 *Attio.*] Quibusdam legitur *Accio*: qui Serrano, & Mancino consulibus, jam sene Pacuvio insigni tragico, floruit. Cicero scripsit, eum ita Decio Bruto gratum fuisse, ut ejus solùm versibus templorum, aliorumque ædificiorum frontem exornari juberet.

2 *Cæcilium.*] Gallus insuper fuit, Ennii contubernalis: genere servus. Unde dictus est Statius: quod apud antiquos nomen servile fuit.

3 *Terentium.*] Carthaginiensem, Terentii Lucani libertum. A quo cum propter ingenium, ac formam liberaliter esset institutus, manuque maturè missus, brevi in amicitiam venit nobilium: maximéque Lælii, ac Scipionis. Quorum operâ in scribendo usus esse, propter sermonis elegantiam, creditur. Cujus opinionis invidia illi in Græciam navigandi causa fuit. Unde cùm rediret, naufragio periit, cum octo & centum Menandri fabulis, quas Latino sermone donaverat. Aliqui tamen eum Romam rediisse, sed tædio, propter amissas fabulas, extinctum esse prodiderunt.

[4] Afranium ſuppari ætate nituerunt. Hiſtoricos, [b] [ut & Livium quoque priorum ætati adſtruas] præter Catonem, & quoſdam veteres, & obſcuros, minùs octuaginta annis circumdatum ævum tulit, ut nec Poëtarum in antiquius, citeriuſve proceſſit ubertas. At oratio, ac vis forenſis, perfectumque [5] proſæ eloquentiæ decus, ut idem ſeparetur Cato [pace Publii Craſſi, Scipioniſque, & Lælii, & Gracchorum, & Fannii, & Sergii Galbæ dixerim] [c] ita univerſa ſub principe operis ſui erupit Tullio: ut delectari ante eum pauciſſimis, mirari verò neminem poſſis,, niſi aut ab illo viſum, aut qui illum viderit. Hoc idem eveniſſe grammaticis, [6] plaſtis, pictoribus, ſcalptoribus, [d] quiſquis temporum inſtiterit notis, reperiret, & eminentia cujuſque operis artiſſimis temporum clauſtris circumdata. [e] Hujus ergo præcedentiſque ſæculi, ingeniorum ſimilitudines congregantis & in ſtudium par, & in emolumentum, cauſas cum ſemper requiro, numquam reperio, quas eſſe veras confidam, ſed fortaſſe veriſimiles, inter quas has maximè. Alit æmulatio ingenia: & nunc invidia, nunc admiratio [7] incitationem accendit: [8] naturáque, quod ſummo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum: [f] difficiliſque in perfecto mora eſt, naturaliterque, quod procedere non poteſt, recedit: & ut primo ad conſequendos, quos priores ducimus, accendimur: ita, ubi aut præteriri, aut æquari eos poſſe deſperavimus, ſtudium cum ſpe ſeneſcit, &, quod aſſequi non poteſt, ſequi deſinit: &, velut occupatam relinquens materiam, quærit novam: præteritoque eo, in quo eminere non poſſumus, aliquid, in quo nitamur, con-

INTERPRETATIO.

b *Etiamſi numerares Livium inter antiquos.*

c *Ita omnis extulit ſe ſub Cicerone, peritiſſimo ſuæ artis, &c.*

d *Quiſquis obſervabit tempora.*

e *Ergo cùm inveſtigo cauſas*, propter quas *hoc ſæculo, & ſuperiore homines amplexi ſint* omnes *eadem ſtudia, & eoſdem progreſſus, &c.*

f *Et difficile eſt hærere in eo, quod perfectum eſt.*

NOTÆ.

4 *Afranium.*] Id unum de illo ſcitur, quod Cicero tradidit: eum in togatis, & attellanis ſcribendis excelluiſſe, *hoc eſt*, Comœdiis, in quibus humiles, ac ridiculæ perſonæ inducebantur.

5 *Proſa.*] Orationis liberæ, nulliſque numeris adſtrictæ. Quâ voce, præter Velleium, Quintilianus, Suetonius, & Auſonius uſi ſunt.

6 *Plaſtis.*] Statuariis. Nam inter alias ſtatuariæ partes numeratur etiam Plaſtice, quæ argillam tractat.

7 *Incitationem.*] Acidalius cum pleriſque vult legi, *imitationem.* Sed pace illorum retineo, *incitationem.* Nam primum vox latina eſt deinde facilis ejus ſenſus: æmulatio alit ingenia: & nunc invidia; nunc admiratio accendit, quæ jam æmulatio incitaverat.

8 *Naturaque.*] Lege potius *maturè*, id eſt, *citò.* Quod etiam aliis obſervatum eſt.

quirimus: [g] sequiturque, ut frequens ac mobilis transitus maximum perfecti operis impedimentum sit.

XVIII. Transit admiratio [1] ad conditionem temporum, & ad urbium. [2] Una urbs Attica pluribus annis eloquentiæ, quàm universa Græcia, operibusque floruit: adeò ut corpora gentis illius separata sint in alias civitates, ingenia verò solis Atheniensium muris clausa existimes. Neque ego hoc magis miratus sim, quam, neminem Argivum, Thebanum, Lacedæmonium Oratorem, aut, dum vixit, auctoritate, aut post mortem memoria dignum existimatum. [3] Quæ urbes, & multæ aliæ, talium studiorum fuêre steriles, nisi [4] Thebas unum os Pindari illuminaret. Nam [5] Alcmana Lacones falsò sibi vindicant.

INTERPRETATIO.

g Atque hinc fit, ut transitus creber ab unâ re ad aliam plurimum obsit perfectioni operis.

NOTÆ

1 *Ad conditionem.*] Lipsius & Schegkius scribunt *à conditione temporum*: quod sanè sensus postulat.

2 *Una urbs Attica.*] Ecce variorum lectiones ad hunc locum: *Manutii*, una urbs Attica pluribus annis eloquentiâ, quam universa Græcia, operibusque floruit. *Lipsii*, pluribus annis eloquentiâ, quàm universa Græcia, uberiúsque floruit. *Acidalii*, pluribus annis eloquentiâ, quàm universa Græcia operibus, (rebus gestis) floruit. *Schegkii*, una urbs Attica pluribus annis eloquentiæ, quam universa Græcia, operibus floruit. Harum lectionum, quam velis, elige: sensus is esse mihi videtur. Solæ Athenæ diutiùs floruerunt, atque pluribus eloquentiæ operibus quàm universa Græcia.

3 *Quæ urbes & multa alia.*] Ms. lectio erat: *existimatumque urbes, & initalia talium studiorum fuere steriles.* Unde Vossius legit: *existimatum. Quæ urbes etiam, ut alia, talium*, &c. Quam lectionem amplector, & sic explico. Cujus rei causam putarem esse, quia istæ urbes, ut aliæ, nullos habuerunt, qui talibus studiis operam dederint; nisi Pindarus, suis carminibus, insignes Thebas redderet.

4 *Thebas.*] Thebani, Lyricorum principis. De quo tam eleganter Horat. lib. 4. carm. Od. 2.

Pindarum quisquis studet æmulari,
Iule, ceratis ope Dædaleâ
Nititur pennis, vitreo daturus
nomina ponto.

In eâdem Ode Dircæus cygnus dicitur. Cygnus quidem suavitate carminis: Dircæus autem à Dirce, fonte Thebano. Olympiade 76. floruit, Æschyli tempore. Obiit annum agens 55.

5 *Alcmana.*] Eum ferè omnes ex Lydiâ Messenium fecerunt. Spartæ tamen educatus, usus est Dorica lingua, quæ Lacedæmoniorum erat: eoque nomine, Spartæ civis habitus est. Lyricorum poëtarum primus fuit.





C. VELLEII PATERCULI HITORIÆ ROMANÆ AD M. VINICIUM COS.

LIBER SECUNDUS.

1 POTENTIÆ Romanorum [1] prior Scipio viam aperuerat, luxuriæ posterior aperuit. Quippe, remoto Carthaginis metu, sublatâque imperii æmulâ, non gradu, sed præcipiti cursu à virtute descitum, ad vitia transcursum; vetus disciplina deserta, nova inducta; in somnum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negotiis in otium conversa civitas. [2] tùm [3] Scipio Nasica in Capitolio porticus, tùm, quas prædiximus, Metellus, tùm in Circo Cnæus Octavius multò amœnissimam moliti sunt: publicamque magnificentiam secuta privata luxuria est. Triste deinde, & contumeliosum bellum in Hispaniâ, duce latronum [4] Viriatho, secutum est: quod ita variâ fortunâ gestum est, ut sæpiùs Romanorum gereretur adversâ: sed, interempto Viriatho [5] fraude magis, quàm virtute, Servilii Cæpionis, Numantinum gravius exarsit. Hæc urbs nunquam plura, quàm

NOTÆ.

1 *Prior Scipio.*] Uterque dictus Publius Cornelius Africanus. Sed prior, Africanus major: posterior autem, Æmilianus, & Africanus minor; Pauli quidem Æmilii filius: at per adoptionem Scipionis Africani majoris nepos.

2 *Tum.*] Ante eversam Carthaginem annis ferme decem.

3 *Scipio Nasica.*] Erat Africani frater patruelis. Is est, ut infra videbitur, qui Vir Optimus à Senatu judicatus est. Has porticus Censor in Capitolio posuit: Metellus prope circum Flaminium: Cn. Octavius in hoc ipso circo, juxta Plinium. Quam Cn. Octavius posuit, invenies Corinthiam dici à structura; Macedonicam, ob regem Perseum devictum.

4 *Viriatho.*] Ex venatore latro, ex latrone dux Lusitanorum factus adversus Romanos, eos cecidit non semel. Vicit prætores duos: Vetilium, quem etiam captum, ex Appiano, trucidavit, & Cn. Plancium.

5 *Fraude magis, quam, &c.*] Cùm enim Q. Fab. Max. Servilianus à Viriatho circumventus opprimi posset, pacem præoptanti æquis conditionibus dedit. Quâ postea neglectâ, Q. Servilius Cæpio ann. 614. Viriathum tepente adortus, corruptis ejus legatis, ipsum interemit. Atque hæc est fraus Cæpionis.

decem millia, propriæ juventutis, armavit, sed, vel ferocia ingenii, vel inscitia nostrorum ducum, vel fortunæ indulgentia, cum alios duces, tùm Pompeium, magni nominis virum, ad turpissima deduxit fœdera, (hic primus è Pompeiis Consul fuit) nec minùs turpia ac detestabilia [6] Mancilum Hostilium Consulem: [a] sed Pompeium gratia impunitum habuit, Macinum [7] verecundia, [b] quippe, non recusando perduxit huc, ut per [8] Feciales nudus, ac post tergum religatis manibus, dederetur hostibus: quem illi recipere se negaverunt, sicut quondam [9] Caudini fecerunt, dicentes, publicam violationem fidei non debere unius lui sanguine.

II. [a] Immanem deditio Mancini civitatis movit dissensionem: quippe Tiberius Gracchus, Tiberii Gracchi, clarissimi, atque eminentissimi viri, filius, Publii Africani ex filiâ nepos, quo Quæstore & auctore id fœdus ictum erat, nunc graviter ferens aliquid à se factum infirmari, nunc similis vel judicii, vel pœnæ metuens discrimen, tribunus plebis creatus, vir alioqui vitâ innocentissimus, ingenio florentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta & naturâ & industriâ, mortalis conditio recipit, Publio Mucio Scævolâ, Lucio Calpurnio Consulibus, abhinc annos centum sexaginta duos, descivit à bonis; pollicitusque toti Italiæ civitatem, simul etiam promulgatis [1] agrariis le-

INTERPRETATIO.

a *Sed favor exemit Pompeium pœnâ; reverentia Mancinum.*

b *Quippe consentiendo adduxit eò, ut traderetur hostibus per, &c.*

a *Traditio Mancini* hostibus *excitavit in urbe ingentem discordiam.*

NOTÆ.

6 *Mancinum Hostilium.*] Eo duce triginta Romanorum millia fusa à Numantinorum millibus quatuor. Quam ignominiam consecuta pax erat adeo turpis, ut senatus eam habere ratam noluerit, tanquam sine sua authoritate factam.

7 *Verecundia.*] Hic accipitur pro reverentia. Ita *Livius lib.* 34. nisi verecundia pudoris, ac majestatis matronarum me tenuisset. Ergo reverentia Mancini clarissimi viri, alioqui culpam agnoscentis, nec pœnam recusantis obfuit, ne puniretur à Senatu. At, inquies, si hostibus deditus; quomodo impunitus fuit? Hoc sensu ait Boëclerus; 1. quia non receptus, 2. Quia restitutus in pristinam dignitatem. 3. Quia admissus ad novos honores. 4. Quia eam deditionis contumeliam ipse minime loco pœnæ habuit: quippe qui teste Plinio, statuam sibi eodem habitu, quo erat deditus hostibus, erexerit.

8 *Feciales.*] Vulgo, *Herauts d'armes.* Sic dicti à faciendo: quod bello, pacique faciendæ præessent. Bellum imprimis non licebat gerere, nisi feciales illud, & justâ causâ susceptum declaravissent, & priùs indixissent.

9 *Caudini.*] Samnites. Sp. Posthumium, quem vinctum Senatus ipsis dediderat, recipere noluerunt. Dicti sunt Caudini ab oppido Caudio, apud quod contra Romanos adeò pugnaverunt feliciter, ut eorum legiones sub jugum miserint. Unde Caudinæ fauces, aut Furcæ: nunc *Stetto di Arpaia.*

1 *Agrariis legibus.*] Jubebant, ut agri, qui olim populi fuissent; nunc autem ad privatos pertinerent, iterum populo dividerentur.

gibus, [2] omnibus statum concupiscentibus, [b] summa imis miscuit; & in præruptum, atque anceps periculum adduxit rempublicam, Octavioque collegæ, pro bono publico stanti, imperium abrogavit: Triumviros agris dividendis, [3] coloniisque deducendis creavit se, socerumque suum consularem Appium, & Gracchum fratrem, admodum juvenem.

III. Tùm Publius Scipio Nasica, ejus qui [1] optimus vir à senatu judicatus erat, nepos; ejus, qui censor porticus in Capitolio fecerat, filius; pronepos autem Cnæi Scipionis, celeberrimi viri, Publii Africani [2] patrui, privatusque, [3] & togatus, cum esset consobrinus Tiberii Gracchi, patriam cognationi præferens, [a] &, quidquid publicè salutare non esset, privatim alienum existimans (ob eas virtutes primus omnium absens pontifex maximus factus est) [4] circumdatâ lævo brachio togæ laciniâ, ex superiore parte Capitolii, summis gradibus insistens, hortatus est, qui salvam vellent rempublicam, se sequerentur. Tum optimates, senatus, atque equestris ordinis pars melior, & major, [b] & intacta perniciosis consiliis plebs, inruere in

INTERPRETATIO.

b *Susque deque vertit omnia.*

a *Et judicans non esse suum, quicquid non esset utile reipublicæ.*

b *Et plebs, quæ non erat particeps in his exitiosis consiliis.*

NOTÆ.

2 *Omnibus statum concupiscentibus.*] Lipsius sic emendavit: *omnium statum* (id est, fortunas) *concutientibus*: quia agrariæ leges jam diu possessos agros iterum vindicabant in publicum, & priscis dominis auferebant. Verùm hæc emendatio necessaria non est. Cum enim status sit conditio vitæ certa, atque stabilis: rectè Velleius, cum Tib. Gracchum dicit agrariam promulgavisse legem omnibus conditionem vitæ certam, atque stabilem cupientibus. De hac lege *Cicer. in Orat. pro Sext.* Agrariam Tib. Gracchus legem ferebat: grata erat populo: fortunæ tenuiorum constitui videbantur.

3 *Coloniisque.*] Lego cum Lipsio *colonisque deducendis*, *id est*, mittendis divisorum agrorum cultoribus: non autem cum Grutero, *Coloniis*, contra Historiæ fidem. Nusquam enim legitur, deductas esse à Tib. Gracchò colonias.

1 *Optimus vir à senatu.*] In eo, quod electus à Senatu fuisset, ut simulacrum matris Deûm, è Phrygia allatum, domi suæ haberet, dùm ei templum fieret.

2 *Patrui.*] Vulgo, *patruus*. Ita optime primus emendavit Erasmus. Sed quem Africanum intelliges? Africanum majorem, cujus patruus fuit Cn. Scipio, hic qui Velleio, vir celeberrimus appellatur, abavus hujus Scipionis, quo authore Tib. Gracchus interfectus est.

3 *Et togatus.*] Id est, qui cum Urbanarum dignitatum contemptor esset, tantum vulgarem, & à populo gestari solitam induebatur togam. Toga porro id apud Romanos erat, quod apud Græcos pallium, vulgaris nimirum, & plebeia vestis.

4 *Circumdata.*] Moris erat repentinis in turbis Consulem, exerto brachio dextro, togæ laciniam in lævam & tergum ita rejicere, ut ipsum revocata cingeret. Atque hunc habitum *cinctum Gabinum* vocabant. Quo habitu Consul utebatur bellum indicturus. Ita Virgil. 7. Æneid.

Ipse quirinali trabeâ, cinctuque Gabino,
Insignis reserat, stridentia limina consul.

Gracchum, stantem in areâ cum catervis suis, [c] & concientem pænè totius Italiæ frequentiam. Is fugiens, decurrensque clivo Capitolino, fragmine subsellii ictus, vitam quam gloriosissimè degere potuerat, immaturâ morte finivit. [d] Hoc initium in urbe Roma civilis sanguinis, gladiorumque impunitatis fuit. Inde jus vi obrutum, potentiorque habitus prior; [e] discordiæque civium, antea [5] conditionibus sanari solitæ, ferro dijudicatæ; bellaque non causis inita, sed prout eorum merces fuit, quod haud mirum est. Non enim ibi consistunt exempla, unde cœperunt, sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissimè evagandi sibi viam faciunt: &, ubi semel recto deerratum est, in præceps pervenitur: nec quisquam sibi putat turpe, quod alii fuit fructuosum.

IV. Interim, dum hæc in Italiâ geruntur, [1] Aristonicus, mortuo rege Attalo, à quo Asia populo Romano hæreditate relicta erat, sicut relicta postea est à Nicomede Bithynia, mentitus regiæ stirpis originem, armis eam occupat. Is, victus à Marco Perperna, [2] ductusque in triumpho, sed Manio Aquillio [3] capite pœnas dedit; cum, initio belli, [4] Crassum Mucianum, virum juris sapientissimum decedentem ex Asiâ proconsulem interemisset. [5] Et Publius Scipio Africanus Æmilianus, qui Carthaginem deleverat, post tot acceptas circa Numantiam clades, creatus iterum consul, missusque in Hispaniam fortunæ [a] virtutique [6] expertæ in Africâ, respondit in Hispaniâ; & intra

INTERPRETATIO.

c *Et concitantem multitudinem totius Italiæ.*

d *Tum primum in urbe Roma fusus fuit sanguis civium, & cœperunt arma sumi impunè.*

e *Et dissensiones civium, quæ solebant antea pacari conventionibus, finita* sunt *gladiis.*

a *Et exploratæ fortitudini.*

NOTÆ.

5 *Conditionibus.*] Gallicè, *par des accommodemens.* Conditionem sic definit Donatus *in Andr.* Pactio certam in se legem continens.

1 *Aristonicus.*] Eumeni ex pellice Ephesiâ, citharistæ cujusdam filiâ, genitus erat.

2 *Ductusque in triumpho.*] Hic locus viros doctos valde vexavit. Sequor Vossium, qui illum sic distinguit, *ductusque in triumpho, sed Manio Aquillio, capite pœnas dedit.* Tria concurrunt, quamobrem hanc distinctionem probem. 1. Quia Perperna minimè triumphavit, quippe mortuus in suâ provinciâ. 2. Quia datus ei successor Man. Aquillius, confectis belli reliquiis, egit triumphum, quem Perperna meruerat. 3. Quia Velleius in verbis passivis sæpè reticet præpositionem *à*.

3 *Capite pœnas dedit.*] Jussu Senatûs in carcere strangulatus est.

4 *Crassum Mucianum.*] Strabo & Florus eum prælio victum, & interemptum esse narrant. Præterea prætor à Floro nominatur: neque tamen cum Velleio pugnat, à quo proconsul dictus est. Nam, juxta Vossium, appellatio prætoris & proconsulis accipi promiscuè solet.

5 *Et.*] Omnium consensu delenda est hæc copula, haud dubiè repetita ex ultimâ vocis præcedentis syllabâ.

6 *Experta.*] Participium sumptum aliquando passivè *Tibull. lib.* 4. Bella experta cano. *Plin. lib.* 6. *cap.* 13. Experta pro-

annum, ac tres menses, quàm eò venerat, circumdatam [7] operibus [8] Numantiam, excisamque æquavit solo, nec quisquam ullius gentis hominum ante eum clariore urbium excidio nomen suum perpetuæ commendavit memoriæ. Quippe, excisâ Carthagine, ac Numantiâ, ab alterius nos metu, alterius vindicavit contumeliis. Hic, eum interrogante tribuno Carbone, quid de Tiberii Gracchi cæde sentiret, respondit: si is occupandæ reipublicæ animum habuisset, jure cæsum. Et, cùm omnis concio acclamasset: Hostium, inquit, armatorum toties clamore non territus, quî possum vestro moveri [b] quorum noverca est Italia? Reversus in urbem, intra breve tempus, M. Aquillio, C. Sempronio Coss. abhinc annos centùm quinquaginta, post duos consulatus, duosque triumphos, [c] & bis excisos terrores reipublicæ, mane in lectulo repertus est mortuus, ita ut quædam elisarum faucium in cervice reperirentur notæ. De tanti viri morte nulla habita est quæstio: ejusque corpus velato capite elatum est, cujus opera super totum terrarum orbem Roma extulerat caput: seu [9] fatalem, ut plures, seu conflatam insidiis, ut aliqui prodidêre memoriæ, mortem obiit: [d] vitam certè dignissimam egit, quæ nullius ad id temporis, præterquam avito fulgore vinceretur. Decessit anno fermè quinquagesimo sexto: de quo si quis ambiget, recurrat ad priorem consulatum ejus, in quem creatus est anno trigesimo sexto: ita dubitare desinet.

V. [a] Ante tempus excisæ Numantiæ, præclara in Hispaniâ militia [1] Auli Bruti fuit, qui penetratis omnibus Hispaniæ gentibus, ingenti vi hominum, urbiumque potitus numero, [2] aditis quæ vix audita erant, [3] Gallæci cognomen meruit. [b] Et ante eum paucis annis

INTERPRETATIO.

b *Quibus Italia non est mater.*

c *Et dirutas duas* urbes, *quæ reipublicæ terrori erant.*

d *Sanè duxit vitam gloriosissimam, quæ huc usque nullius gloriâ superaretur, præterquam avi.*

a *Antequam Numantia diruta fuit. Aulus Brutus gessit præclarè bellum in Hispania.*

b *Et paucis ante annis eum Quintus ille Macedonicus præfuit* exercitui Romano *in his regionibus cum tantâ severitate, ut &c.*

NOTÆ.

dimus, id est, usu cognita. *Tacit. lib.* 3. Proponit centuriones virtutis expertæ. Hinc *inexpertus*, ne quid inexpertum moritura relinquat. *Virg.* 4 *Æneid.*

7 *Operibus.*] Opera in re militari significant cuniculos, vallum, fossas, denique omne propugnaculorum genus, quibus defenduntur, aut expugnantur urbes. Vulgo, *des travaux, des ouvrages.*

8 *Numantiam.*] Urbs erat Hispaniæ Tarraconensis, ad Durium fluvium. Nunc ejus rudera, *Puente Garay* dicuntur, & sunt in Castellâ veteri.

9 *Fatalem.*) Deducitur à *fatum*. Fatum autem pro natura sæpe accipitur. Sic fatalis mors dicitur, quæ ex fato, seu natura accidit; vulgò, *mort naturelle.*

1 *Auli Bruti.*] Non Aulus, sed Decimus à Cicerone, & ab aliis nominatur.

2 *Aditis.*] Quod verbum passivè usurpat etiam Cicero 2. *Tuscul.* Illa pericula adeuntur in præliis.

3 *Gallæci.*] A Gallæciâ Hispaniæ regno; *Gallice*.

tam.

tam severum illius Quinti Macedonici in his gentibus imperium fuit, ut, cùm urbem, [5] Contrebiam nomine, in Hispaniâ oppugnaret, pulsas præcipiti loco quinque cohortes legionarias eodem protinus subire juberet: [c] facientibusque omnibus [6] in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus proposito, perseverantia ducis, quem moriturum miserat, militem victorem recepit, tantum effecit mistus timori pudor, spesque desperatione quæsita. [d] Hic virtute, ac severitate facti; at Fabius Æmilianus, Pauli exemplo, [7] disciplinæ in Hispaniâ fuit clarissimus.

VI. Decem deinde interpositis annis, qui Tiberium Gracchum, idem Caium, fratrem ejus, occupavit furor, tam virtutibus ejus omnibus, quàm [1] huic errori similem, ingenio etiam, eloquentiâque longè præstantiorem, [a] qui cùm, summâ quiete animi, civitatis princeps esse posset, vel vindicandæ fraternæ mortis gratiâ, vel præmuniendæ regalis potentiæ, ejusdem exempli tribunatum ingressus, longè majora, [2] & acriora repetens, dabat civitatem om-

INTERPRETATIO.

c *Cumque omnes jàm jàm pugnaturi testamenta facerent, tanquam ituri ad mortem inevitabilem, dux propterea non dejectus est à proposito; sed in* proposito *constans tandem recepit, &c.*

d *Hic insignis fuit in Hispaniâ ob fortitudinem, & ob severitatem* hujus *actionis; at Fabius Æmilianus ob observantiam disciplina* militaris, *exemplo* Æmilii *Pauli.*

a *Qui cum posset, in maximâ tranquillitate mentis, primus esse urbis*, tamen *sive ut ulcisceretur mortem fratris, sive ut strueret sibi iter ad potestatem regiam* occupandam, *cum inivisset tribunatum, sequens* fratris *exempla, & renovans multò majora ac difficiliora, communicabat jus civitatis omnibus Italia oris, &c.*

NOTÆ.

5 *Contrebiam.*] *Tortosa*, teste Brietio, urbs est Carpetanorum supra Gualaiaram in Castellâ novâ.

6 *In procinctu.*] Id est, cum instrueretur acies. Procinctus dicitur præparatio quævis ad agendum quidlibet; à verbo *procingo*, hoc est, *instruo*, *apparo*. Hinc procincta classis, pro armatâ ponitur: procinctus pompæ, pro apparatu: procincti milites, pro paratis ad pugnam, quòd pugnaturi Gabino ritu prius cingerentur. Atque hinc testamenta in procinctu facta, *id est*, à militibus ad pugnam ituris. Inde etiam in procinctu facere aliquid, pro expeditè & celeriter facere. Ita Ovid. 2. de Pont. eleg. 9.

Hac in procinctu carmina facta puta.

7 *Disciplina.*] Aliqui cum Lipsio malè sic distinguunt: *Fabius Æmilianus, Pauli, exemplo disciplina.* Nam præterquam quòd veterum nullus in prosâ oratione latinâ dixit, Fabius Æmilianus Pauli, *pro* Pauli filius: accedit etiam quòd vulgata lectio, *disciplina clarissimus*, multò magis ad gustum Velleii sit: apud quem passim occurrunt, *latus animi*, *acer belli*, *munificentia effusissimus*, *&c.* Quo modo etiam loquuntur Virg. 4. Æneid. ubi *furens animi*, & Terent. Eunuch. act. 2. sc. 3. ubi *falsus animi*, legitur: & Horatius passim.

1 *Huic errori.*] Error hoc loco significat Gracchi imprudentiam in eo positam, quòd in urbe principatum assequi tumultuando vellet, ratus, fore ut ad se plebis, sociorúmque studia converteret, si, nova moliens, aliàs inconcessa permitteret. In quo valde aberrabat à rectà civilium dignitatum viâ.

2 *Et acriora.*] Fortè, quod notat Lipsius, *acrior: id est*, ardentiore studio.

nibus Italicis, extendebat eam pænè usque Alpes, dividebat agros; vetabat quemquam civem plus quingentis jugeribus habere: quod aliquando lege Liciniâ cautum erat: nova constituebat [3] portoria; novis coloniis replebat provincias; judicia à senatu transferebat ad equites; frumentum plebi dare instituerat; nihil immotum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat, [b] quin alterum etiam continuavit tribunatum, hunc Lucius Opimius consul, qui prætor Fregellas exciderat, persecutus armis, unaque Fulvium Flaccum, consularem, ac triumphalem virum, æquè prava cupientem, quem Caius Gracchus in locum Tiberii fratris Triumvirum nominaverat, eumque socium regalis assumpserat potentiæ, morte afficit, [c] id unum nefariè ab Opimio proditum, quòd capitis non dicam Gracchi, sed civis Romani pretium se daturum, [4] idque auro repensurum proposuit. Flaccus, in Aventino armatos ad pugnam ciens, cum filio majore jugulatus est. Gracchus profugiens, cùm jam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cervicem Euporo servo præbuit, qui non segniùs se ipse interemit, quàm domino succurrerat. Quo die singularis Pomponii, equitis Romani, in Gracchum fides fuit, qui, more [5] Coclitis, sustentatis in ponte hostibus, ejus gladio se transfixit. Ut Tiberii Gracchi antea corpus, ita Caii, mirâ crudelitate victorum, in Tiberim dejectum est.

VII. Hunc Tiberii Gracchi liberi, Publii Scipionis Africani nepotes, vivâ adhuc [1] matre Corneliâ, Africani filiâ, viri optimis ingeniis malè usi, vitæ, mortisque habuêre exitum: [a] qui si civilem dignitatis concupissent modum, quidquid tumultuando adipisci gesInterpretatio.

INTERPRETATIO.

b *Præterea prorogavit sibi tribunatum altero anno.*

c *Opimius id unum sceleratè fecit, quòd proposuit se remuneraturum eum, qui amputaret caput, non dicam Graccho, sed civi Romano, & se illud compensaturum auro.*

a *Qui si* solum *ambivissent dignitates, quantum licebat in urbe* liberâ, *respublica obtulisset illis nihil laborantibus, quidquid acriter cupierunt consequi, faciendo turbas.*

NOTÆ.

3 *Portoria.*] Portorium, naulum est, sive merces, quæ datur iis, qui viatores trans amnem vehunt. Vulgò, *le peage.* Hinc portitor dicitur, qui trans amnem trajicit.

4 *Idque auro repensurum.*] *Et qu'il la payeroit au poids de l'or.*

5 *Coclitis.*] Horatii, qui Porsenæ regi Sublicio ponte Romam transire conanti solus restitit, hostiumque sustinuit impetum: donec à tergo pons frangeretur à sociis. Quo rupto armatus in Tiberim prosiliit, & ad suos redivit.

1 *Matre Corneliâ.*] Non omittam fœmineæ constantiæ exemplum. Consolantibus, miseramque dicentibus, quòd Tib. Gracchum & Caium (quos etiam qui bonos viros negaverit, magnos fatebitur) occisos & insepultos vidisset: nunquàm, inquit, non felicem me dicam, quæ Gracchos peperi. *Senec. de consolat. ad Martiam.*

tierunt, quietis obtulisset respublica. [b] Huic atrocitati adjectum scelus unicum. Quippe juvenis, specie excellens, necdum duodevicesimum transgressus annum, immunisque delictorum paternorum, Fulvii Flacci filius, quem pater legatum [2] de conditionibus miserat, ab Opimio interemptus est, quem cum [3] haruspex Tuscus, amicus, flentem in vincula duci vidisset. Quin tu hoc potius, inquit, facis? protinusque inliso capite [4] in pontem lapideum januæ carceris, effusoque cerebro expiravit. [c] Crudelesque mox quæstiones, in amicos, clientesque Gracchorum, habitæ sunt, [d] sed Opimium, virum alioqui sanctum, & gravem, [5] damnatum postea judicio publico, memoriâ ipsius sævitiæ, nulla civilis persecuta est misericordia. Eadem Rutilium, Popilliumque, qui Consules asperrimè in Tiberii Gracchi amicos sævierant, postea judiciorum publicorum merito oppressit invidia. [e] Rei tantæ parum ad notitiam pertinens interponetur. Hic est Opimius, à quo Consule celeberrimum [6] Opimiani vini nomen, quod jam nullum esse, spatio annorum colligi potest; cùm ab eo sint ad te, Marce Vinici, Consulem, anni centum quinquaginta & unus. Factum Opimii, quod inimicitiarum quæsita erat ultio, minor secuta auctoritas: & visa ultio, privato odio magis, quàm publicæ vindictæ, data.

VIII. Subinde, Porcio, Marcioque consulibus, deducta colonia, [1] Narbo Martius. Mandetur deinde memoriæ severitas judiciorum quippe Caius Cato Consularis, Marci Catonis nepos, Afri-

INTERPRETATIO.

b *Huic immanitati accessit crimen singulare.*

c *Mox severè inquisitum est in amicos, &c.*

d *Sed Opimium de cætero hominem probum, & gravem, postea damnatum judicio publico, nemo prosecutus est miseratione propter recordationem ejus crudelitatis.*

e *Tanta rei interseretur* alia *parum digna cognitione.*

NOTÆ.

2 *De conditionibus.*] Pour traitter d'accommodement.

3 *Haruspex.*] Qui Harugis, id est, hostiis inspectis futura prædicit. Hostiæ sic dictæ sunt ab harâ, in qua includuntur, & servantur.

4 *In pontem.*] Ita vulgò legitur. quod Aldus & Vossius, ex Valerio Maximo, lib. 9. cap. 11. Sic emendant: *in postem.*

5 *Damnatum.*] Propter acceptas à Jugurthâ pecunias: ac indignissime damnatum, si Ciceronem audimus *in orat. pro Sext.*

6 *Opimiani vini.*] Hoc vinum passim laudat Martialis. Verùm Plinius audiendus est lib. 14. *cap.* 4. *& cap.* 14. *L. Opimio consule*, inquit, *ea cæli fulsit temperies, quam cocturam vocant, & quâ optima vina nata sunt, habentia nomen consulis.* Opimiana vina adhuc ævo suo durare testatur ibidem, contra Velleii mentem. Sed cum Velleius, Plinio longè superior, asserat hoc vinum jam suo sæculo nullum fuisse; crediderim Plinii quidem ævo fuisse, qui se Opimiano vino jactarent: at falsò; quod ingens temporum intervallum facile arguit.

1 *Narbo Martius.*] Vide supra lib. 1. cap. 15. Not. 15.

cani sororis filius, [2] repetundarum ex Macedonia damnatus est; [3] cùm lis ejus quatuor millibus æstimaretur, [a] adeo illi viri magis voluntatem peccandi intuebantur, quàm modum: factaque ad consilium dirigebant, & quid, non in quantum admissum foret, æstimabant. Circa eadem tempora Marci [4] Metelli fratres uno die triumphaverunt. [b] Non minus clarum exemplum, & adhuc unicum Fulvii Flacci, ejus, qui Capuam ceperat, [5] filiorum, [6] sed alteriùs in adoptionem dati, in collegio consulum fuit, adoptivus in Acidini Manlii familiam datus, [c] nam censura Metellorum, patruelium, non germanorum fratrum fuit: quod solis contigerat [7] Scipionibus. [8] Tum Cimbri & Teutoni transcendere Rhenum, multis mox nostris, suisque cladibus

INTERPRETATIO.

a *Adeò illi homines spectabant magis voluntatem peccandi, quàm magnitudinem* ipsius peccati: *& metiebantur actiones intentione* facientis, &c.

b *Exemplum filiorum Fulvii Flacci, ejus, qui expugnaverat Capuam, non fuit minùs illustre*, *&* est *adhuc unicum. Collegæ fuerunt in consulatu. Tamen alter datus fuerat in adoptionem, & adoptione transierat in familiam Acidini Manlii.*

c *Nam duo Metelli fuerunt* quidem *simul censores: at erant patrueles, non fratres germani.*

NOTÆ.

2 *Repetundarum ex Macedoniâ.*] Ob pecuniam, quam, Macedoniæ præfectus, ab incolis acceperat. Repetundæ dicuntur pecuniæ à sociis, & à provincialibus per magistratus exactæ, aut etiam acceptæ præter legem: Gallicè, *des concussions.* Prima repetundarum lex à L. Pisone, cognomento Frugi, lata fuit: deinde, cum exolevisset, à D. Julio relata. Eâ lege cautum erat, ne quis, in provinciam missus, in anno, doni loco, plus acciperet, quàm quod esset aureorum centum.

3 *Cum lis ejus.*] Id est, cum summa, quæ causa litis erat, æstimaretur tantùm quatuor millibus festertiorum: qui, juxta Budæum, vix sunt ducentæ libræ nostratis pecuniæ.

4 *Metelli fratres.*] Marcus, & Caius à Vossio nominantur. Unde sic legit: *M. & C. Metelli fratres.* Alter ex Sardiniâ, alter verò ex Thraciâ triumphasse dicitur ab Eutropio; Marcus post annum, quàm consul fuisset: Caius autem in ipso consulatu.

5 *Filiorum.*] Lucius & Quintus vocabantur. At in quo exemplum illorum unicum fuit? In eo, quod in consulatu collegæ fuerunt.

6 *Sed alterius in adoptionem.*] Langlæus semestr. 7. 3. disquirit: an fratribus in eodem Ædilium, Prætorum, Consulumve collegio esse licuerit apud Romanos. Negat autem. Quam fortasse ob causam Velleius subjecit: (*sed alterius in adoptionem dati*) quod allati exempli minuit admirationem. Non enim ampliùs ejusdem familiæ censendus esse videtur, qui in aliam adoptione transierit.

7 *Scipionibus.*] Lucio, & Publio, qui Hannibalem postea devicit. Ambo Ædilitatem eodem anno gesserunt.

8 *Tum Cimbri & Teutoni.*] Cimbri ex eâ parte Daniæ venerant, quæ nunc Jutia dicitur, *Jutlande.*] Teutoni, prope Cimbros, venerant ex insulis Fioniâ (*Fuinen*;) & Selandiâ, *Selande.* Cujus inter urbes est Hafnia [*Koppenhagen*] insulæ caput, totiusque regni Daniæ primaria, & regia sedes. Quanquam Germani hodie Teutoni vocentur: Cimbros tamen ac Teutonos apud Sallustium reperies appellari Gallos. Haud dubiè quòd Celtarum nomine Gallos pariter ac Germanos antiqui intellexerint.

nobiles. Per eadem tempora clarus ejus Minucii, qui porticus, quæ hodieque celebres sunt, molitus est, [9] ex Scordiscis triumphus fuit.

IX. Eodem tractu temporum nituerunt oratores Scipio Æmilianus, Læliusque, Sergius Galba, duo Gracchi, Caius Fannius, Carbo Papirius. Nec prætereundus Metellus Numidicus, & Scaurus, & ante omnes Lucius Crassus, & Marcus Antonius, quorum ætati, ingeniisque successêre Caius Cæsar Strabo, Publius Sulpicius, [1] namque Mucius juris scientiâ, quàm propriæ eloquentiæ nomine, celebrior fuit. [a] Clara etiam per idem ævi spatium fuêre ingenia, in [2] Togatis Afranii, in Tragœdiis Pacuvii, atque Attici, usque in Græcorum ingeniorum comparationem evecti, magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum; adeò quidem, ut in illis limæ, in hoc pænè plus videatur fuisse sanguinis. [b] Celebre & Lucilii nomen fuit, qui sub Publio Africano, Numantino bello, eques militaverat, quo quidem tempore juvenis adhuc Jugurtha, ac Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem castris didicêre, quæ postea in contrariis facerent. Historiarum auctor jam tum Sisenna erat juvenis, sed opus belli civilis Sullani post aliquot annos ab eo seniore editum est. Vetustior Sisennâ fuit Cœlius, æqualis Sisennæ [3] Rutilius, Claudiusque Quadrigarius, & Valerius Antias. Sanè, non ignoremus, eâdem ætate fuisse [4] Pomponium, [c] sensibus celebrem, verbis rudem, & novitate inventi à se [5] operis commendabilem.

INTERPRETATIO.

a *Per idem spatium temporis extiterunt insignes ingenio, Afranius in Togatis, in Tragœdiis Pacuvius, atque Attius, qui* in his *adeò excelluit, ut comparetur cum Græcis, & inter eos ejus scripta teneant honorificum locum; adeò quidem, ut illi videantur habuisse plus elegantiæ, hic pænè plus roboris.*

b *Fama Lucilii fuit quoque ingens.*

c *Sententiis commendabilem.*

NOTÆ.

9 *Ex Scordiscis.*] Populi sunt origine Galli. Nunc Illyriæ & Thraciæ fines incolunt.

1 *Namque Mucius.*] Manutius legit, *nam Q. Mucius.* Sed quid hìc sibi vult, *propria*? Hoc multos vexavit: ecce mentem meam, quam paulò fusiùs explico: etsi Mucius jurisperitorum eloquentissimus habitus est: [*ita Cicer. in Brut.*] tamen longè clarior fuit ipsâ juris cognitione, quàm nomine eloquentiæ, quæ juris peritiæ propria esse potest: vel, quæ ipsi Mucio singularis erat.

2 *Togatis.*] Comœdiis Romanis. Sic dictæ sunt à Romanâ actorum togâ: quemadmodum suas Græci Palliatas dixerunt à pallio.

3 *Rutilius.*] Is est, teste Vossio, quem Athenæus lib. 4. historiam Romanam Græcè scripsisse testatur: infrà autem damnatum videbimus. De quo Ovid. *lib.* 1. *de Ponto.*

Et grave magnanimi robur mirare Rutili,
Non usi reditûs conditione dati.
Smyrna virum tenuit.

4 *Pomponium.*] Errant, qui illum putant inter historicos à Velleio numerari, eò quòd Velleius historicorum nomina superiùs attulerit. Nam temporum, non studiorum similitudinem spectabat.

5 *Operis.*] Attellanas intelligit. Attellanæ autem dramata sunt, ab Attellâ oppido Campaniæ sic dicta. De quibus qui plura volet, adeat Turneb. lib. 3. cap. 17.

X. Persequamur [1] notam severitatem censorum, Cassii Longini, Cæpionisque, qui abhinc annos centum [2] quinquaginta septem [3] Lepidum Ælium, [4] augurem, quòd [5] sex millibus ædes conduxisset, [6] adesse jusserunt, at nunc, si quis [7] tanti habitet, vix ut senator agnoscitur: adeò maturè à rectis in vitia, à vitiis in prava, à pravis in præcipitia pervenitur. Eodem tractu temporum & Domitii [8] ex Arvernis, & Fabii ex Allobrogibus victoria fuit nobilis. Fabio, [9] Paulli nepoti, ex victoriâ cognomen Allobrogico inditum. Notetur Domitiæ familiæ peculiaris quædam, &, ut clarissima, ita artata numero felicitas, [10] uti ante hunc, nobilissimæ simplicitatis juvenem, [11] Cnæum Domitium, fuêre singulis omnino parentibus geniti, sed omnes ad consulatum, sacerdotiaque, ad triumphi autem pænè omnes pervenerunt insignia.

XI. Bellum deinde [1] Jugurthinum gestum est per Quintum Metellum, nulli secundum sæculi sui, hujus legatus fuit Caius Marius, quem prædiximus, [2] natus equestri loco, hirtus atque horridus, vi-

NOTÆ.

1 *Notam.*] Quæ jam cognita est ex iis, quæ de Caio Catone prædiximus.

2 *Quinquaginta septem.*] Alii numerant, quinquaginta quatuor: alii tantùm quinquaginta.

3 *Lepidum Ælium.*] Æmilium lege. Constat enim, teste Manutio, non Æliæ, sed Æmiliæ gentis cognomen fuisse *Lepidum.*

4 *Augurem.*] Qui ex avium volatu, pastu, cantu, futura divinat.

5 *Sex millibus.*] Annuorum sestertiorum. Si sestertius decem & octo denariolos valeat, [quæ sententia media est,] sex millia sestertiorum rediguntur ad centum quinquaginta nummos nostratis pecuniæ.

6 *Adesse.*] Verbum fori solemne, quo significatur citatio ad judices.

7 *Tanti habitet.*] Sensus est: at nunc, si quis sex millibus sestertiorum annuorum ædes conduceret, senator vix agnosceretur.

8 *Ex Arvernis.*] Arverni, & Allobroges transalpini sunt populi: vulgò, *Les Auvergnats, & les Savoyards.*

9 *Paulli.*] Æmilii.

10 *Uti.*] Scribendum est, *IV. ante hunc*, id est, quatuor ante hunc; ut sententia sit, in unâ familiâ fuisse quatuor singulis parentibus genitos; ipsosque singulos [nam illud rarum, quod Velleius intelligit] ex unicis semper unicos natos: & eos omnes ad consulatum pervenisse. Ergo velim scribi *singuli*, non *singulis* parentibus geniti: quod clarius est ad hanc sententiam exprimendam. A nobis est Suetonius in Domitiano stemmate: ubi enumerat ab Domitio Allobrogico quatuor è parentibus suis unicos ad Domitium usque, patrem Neronis, qui est ille ipse Velleianus nobilissimæ simplicitatis juvenis. Atqui omnes isti consules. Sed de triumpho quid? An is etiam ad omnes pertinet? Minime. Sed dumtaxat ad tres. Quorum duo triumphaverunt, Domitius Allobrogicus, & Domitius Calvinus de Hispanis: alter verò Domitius, avus Neronis, sub Augusto donatus est ornamentis triumphalibus, ex Germanico bello. Quam notulam Lipsio debemus.

11 *Cn. Domitium.*] Qui postea Neronis pater fuit.

1 *Jugurthinum.*] Adversùs Jugurtham Numidiæ regem. Quod bellum fusè descripsit Sallustius.

2 *Natus equestri loco.*] Lege cum Vossio, *agresti loco.* Nam nemo non humilem ei tribuit originem. Sanè sub historiæ suæ finem Velleius ait, Marium obscuro loco natum esse. Quin ipse Marius, apud Sallustium, se hominem novum vocat. Atque hinc odium & invidia nobilitatis in Marium, ac vicissim Marii in nobiles.

tìque sanctus, quantùm bello optimus, tantùm pace pessimus, [a] immodicus gloriæ, insatiabilis, impotens, semperque inquietus, hic per publicanos, aliosque in Africa negotiantes, criminatus Metelli lentitudinem, trahentis jam in tertium annum bellum, & naturalem nobilitatis superbiam, morandique in imperiis cupiditatem, effecit, ut, cùm, [b] [3] commeatu petito, Romam venisset, consul crearetur, bellique, penè patrati à Metello, qui bis Jugurtham acie fuderat, summa committeretur sibi. [c] Metelli tamen & triumphus fuit clarissimus, & meritum; virtutique cognomen Numidici inditum. Ut paulò antè Domitiæ familiæ, ita Cæciliæ notanda claritudo est: quippe intra duodecim ferme annos hujus temporis consules fuère Metelli, aut censores, aut triumpharunt [4] ampliùs duodecies: ut appareat, quemadmodum urbium, imperiorumque, ita gentium nunc florere fortunam, nunc senescere, nunc interire.

XII. At Caius Marius, Lucium Sullam, jam tunc, [1] ut præcaventibus fatis, copulatum sibi quæstorem habuit, [a] & per eum missum ad regem [2] Bocchum, Jugurthâ rege, abhinc annos fermè centum triginta octo, potitus est: designatusque iterum consul, in urbem reversus, secundi consulatus initio Kalendis Januariis eum in triumpho duxit. [b] Effusa, ut prædiximus, immanis vis Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris, ac Teutonis erat, cum Cæpionem, Manliumque Consulem, & ante Carbonem, Silanumque fu-

INTERPRETATIO.

a *Ardens nimiâ cupiditate gloria.*

b *Petitâ abeundi veniâ.*

c *Tamen triumphus Metelli fuit pulcherrimus, & ejus meritum* ingens: *atque tributum est* ei, *propter fortitudinem, cognomen Numidici.*

a *Et habuit Jugurtham in suâ potestate, abhinc annos fermè centum triginta octo, operâ L. Sulla, quem miserat ad Bocchum.*

b *Ingens multitudo nationum Germanarum egressa suis finibus.*

NOTÆ.

3 *Commeatu petito.*] Accipitur etiam commeatus pro cibariis ad alimoniam militum, aut cujuslibet alterius multitudinis. Hinc miles, qui in stipendii partem alimenta accipit ex commeatu, commeatilis dicitur.

4 *Amplius duodecies.*] Lipsius vellet legi, *undecies*; idque probat altero verius esse, quia intra duodecim annos, quos Velleius numerat, tantùm in Cæciliâ gente reperiuntur consules quinque, censores duo, triumphales quatuor.

1 *Ut præcaventibus fatis.*] Ut intelligatur hic locus; observa cum Cicerone tantam semper fuisse necessitudinem inter consulem & quæstorem, quanta patrem inter & filium solet esse. Atqui consul Marius: Sulla verò quæstor erat. Quo prænotato facilis est sensus: L. Sulla quæstor in hoc bello fuit Marii consulis, quasi fata jam tunc prævidissent, atque istâ conjunctione antevertere voluissent mala, id est, bella civilia, quæ tantorum hominum discordiæ concitaturæ erant.

2 *Bocchum.*] Mauritaniæ regem. Ad eum, utpotè viciniorem sibi, fusus, prælioque fugatus Jugurtha confugerat. Ergo missus ad Bocchum Sulla fuerat, ut ab eo Jugurtham repeteret.

dissent, fugassentque in Galliis, & exuissent exercitu; Scaurumque Aurelium [3] Consulem, & alios celeberrimi nominis viros trucidassent, populus Romanus non alium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem, quàm Marium, est ratus, [4] tum multiplicati consulatus ejus. Tertius in apparatu belli consumptus, quo anno Cnæus Domitius tribunus plebis legem tulit, ut sacerdotes, [c] quos antea collegæ sufficiebant, populus crearet. Quarto, trans Alpes circa [5] Aquas Sextias cum Teutonis conflixit, ampliùs centum quinquaginta millibus hostium, priore, ac postero die, ab eo trucidatis, gensque excisa Teutonum. Quinto, citra Alpes in campis, quibus nomen erat [6] Raudiis, ipse consul, & proconsul Quintus Lutatius Catulus fortunatissimo decertavêre prælio, cæsa, aut capta ampliùs [7] centum millia hominum. Hâc victoriâ videtur meruisse Marius, [8] ne ejus nati rempublicam pœniteret, [9] ac bona malis repensasse. Sextus consulatus veluti præmium ei meritorum datus. Non tamen hujus consulatus fraudetur gloriâ; [d] quo Servilii Glauciæ, Saturninique Apuleii furorem, continuatis honoribus rempublicam lacerantium, & gladiis quoque, & cæde comitia discutientium, Consul armis compescuit; hominesque exitiabiles [10] in Hostilia curia morte multavit.

XIII. Deinde, interjectis paucis annis, tribunatum iniit Marcus Livius Drusus, vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, meliore in omnia ingenio, animoque, quàm fortunâ usus: qui, cùm senatui priscum restituere cuperet decus, & judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem; (quippe, eam potestatem nacti equites

INTERPRETATIO.

c *Quos antea collegæ sibi substituebant.*
d *Per quem, authoritate consulis coërcuit armis furorem Servilii Glauciæ, & Saturnini Apuleii*, qui *lacerabant rempublicam prorogando* sibi *dignitates*, & qui *dissipabant etiam comitia ensibus & cæde* adstantium.

NOTÆ.

3 *Consulem.*] Manutius rectè legit *consularem*. Nam ex epitome Livianâ patet M. Sc. Aurelium legatum fuisse tum, cùm captus & occisus est; & triennio antè consulatum gessisse. Pro Manutio sentit Orosius his verbis: in eâ pugnâ M. Aurelius consularis captus, & interfectus est.

4 *Tum multiplicati.*] Sensus est: propterea consulatus ei datus est quatuor deinceps annis.

5 *Aquas Sextias.*] Vulgò, *Aix*. Vide *lib.* 1. *cap.* 15.

6 *Raudiis.*] Propè Vercellas [*Verceil*] in Pedemontio.

7 *Centum millia.*] Plerique tradunt cæsa esse ducenta millia.

8 *Ne ejus nati.*] Ne rempublicam pœniteret, quòd esset natus, & eum habuisset civem.

9 *Ac bona malis repensasse.*] Commodiùs, fortè etiam veriùs legeretur: *ac mala bonis repensasse*; id est, ac bonis, quæ tum reipublicæ attulit, compensasse mala, quorum exinde causa fuit.

10 *In Hostiliâ curiâ.*] Sic dicta est ab Hostilio, Romanorum rege, qui primus illam extruxit.

Gracchanie.

Gracchanis legibus, cùm in multos clarissimos, atque innocentissimos viros sævissent, tum Publium Rutilium, [a] virum non sæculi sui, sed omnis ævi optimum, [1] interrogatum lege repetundarum, maximo cum gemitu civitatis, damnaverant) in iis ipsis, quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit adversarium, non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, [2] veluti inescandæ, illiciendæque multitudinis causâ fieri, [b] ut, minoribus perceptis, majora permitteret. Denique ea fortuna Drusi fuit, ut malefacta collegarum, quàm ejus optimè ab ibso cogitata, senatus probaret magis; & honorem, qui ab eo deferebatur, sperneret; injurias, quæ ab aliis intendebantur, æquo animo reciperet; & hujus summæ gloriæ invideret, illorum modicam ferret.

XIV. [a] Tum conversus Drusi animus, quando bene cœpta malè cedebant, ad dandam civitatem Italiæ. Quod cùm moliens revertisset è foro, immensâ illâ, & incognitâ, quæ eum semper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus suæ [1] cultello percussus, qui affixus lateri ejus relictus est, intra paucas horas decessit. Sed, cùm ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium, mœrentiúmque frequentiam, effudit vocem, [2] convenientissimam conscientiæ suæ: Ecquando, inquit, propinqui, amicíque, similem mei civem habebit respublica? Hunc finem clarissimus juvenis vitæ habuit: [b] cujus morum minimè omittatur argumentum. Cùm ædificaret domum [c] in palatio in eo loco, ubi est, quæ quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilii Sisennæ est; promitterétque ei architectus, ita se eam ædificaturum, uti libera à conspectu, immunis ab omnibus arbitris esset, neque quisquam in eam [3] despicere posset: Tu verò,

INTERPRETATIO.

a *Hominem optimum non* solum *sui temporis, sed qui unquam fuit.*

b *Ut ipsa, perceptis minoribus* commodis, *concederet majora* nobilitati.

a *Tùm cogitationes Drusi conversæ sunt ad, &c.*

b *Non est prætermittendum testimonium* innocentiæ *ejus morum.*

c *In Palatino monte.*

NOTÆ.

1 *Interrogatum lege repetundarum.*] Interrogari lege, nihil aliud est, teste Asconio, quàm reum fieri, accusari: Gallicè *accusé de concussion.*

2 *Veluti inescandæ.*] Veluti oblatâ escâ capiendæ. Quæ metaphora ducitur à piscibus & avibus, quæ inescari propriè dicuntur, cùm escam captantes capiuntur. Hâc metaphorâ utitur *Terent. in Adelph. Nunquam rem facies: abi, nescis inescare homines.*

1 *Cultello percussus.*] Percussorem Cicero nominat *Varium*, hominem importunissimum. Florus tamen eum dicit interiisse dolore rerum à se temerè motarum.

2 *Convenientissimam conscientiæ suæ.*] Id est, convenientissimam integritati suæ mentis, ac suorum consiliorum, cujus erat sibi conscius.

3 *Despicere.*] Ab alto inspicere. Atque hinc utimur hoc verbo pro *contemnere*, quia, quos contemnimus, infra nos quasi positos aspicimus. Unde despi-

inquit, si quid in te artis est, ita compone domum meam, ut, quidquid agam, ab omnibus perspici possit.

XV. In legibus Cracchi inter perniciosissima numeraverim, quod extra Italiam colonias posuit. [a] Id majores (cum viderent tantò potentiorem [1] Tyro Carthaginem, [2] Massiliam Phocæâ, [3] Syracusas Corintho, Cyzicum ac Byzantium Mileto, genitali solo) diligenter vitaverant, ut cives Romanos [4] ad censendum ex provinciis in Italiam revocaverint. Prima autem extra Italiam colonia Carthago condita est. Mors Drusi, [b] jam pridem [5] tumescens, bellum excitavit [6] Italicum, Quippe Lucio Cæsare, Publio Rutilio consulibus, abhinc annos [7] centum viginti, cum id malum in universa Italia [8] ab Asculanis esset, (quippe Servium Prætorem, Fonteiumque legatum [9] occiderant) ac deinde, [10] à Marsis exceptum, in omnes penetrasset

INTERPRETATIO.

a *Majores nostri id evitaverant diligenter, cùm observarent Carthaginem fuisse multò potentiorem Tyro, Massiliam Phocaâ, Syracusas Corintho, Cyzicum ac Bizantium Mileto, ubi nati erant primi illarum incolæ: ita ut* semper *revocaverint in Italiam ex provinciis cives Romanos, ad profitendum suos reditus.*

b *Jamdudùm erupturum.*

NOTÆ.

cientia rerum humanarum pro *contemptu*. Contra sic usurpatur *suspicere*, pro venerari, magni facere. Non est omittenda hujus verbi (*despicere*) rarior acceptio: tamen ciceroniana, ut sit: oculos avertere, visum aliò detorquere. *Cicer. pro S. Rosc. Amer.* 34. Simul atque ille despexerit, aliquid hujuscemodi moliuntur.

1 *Tyro.* Urbs est Syriæ in Phœniciâ, in orâ maris mediterranei: hodie *Sur*, sub dominio Turcarum. Unde olim colonia deductaCarthaginem de quâ supra *lib.* 1.

2 *Massiliam Phocaâ.*] Massilia, vulgò, *Marseille*, urbs est in orâ Provinciæ, emporio celebris. Massilienses olim luxûs notati sunt. Unde apud Suidam (Massiliam navigas, è Massiliâ venis) de nimiùm cultis dicitur.] Phocæa urbs Æolidis est, in Asia minori, nunc *Fochia Vecchia*.

3 *Syracusas.*] In Sicilia, nunc *Saragosse.*] *Cyzicum.*] Urbs est Mysiæ in Asiâ, nunc *Chizico.*]*Bysantium*, Turcis *Stamboul*; nobis *Constantinople*. Sedet juxtà Bosphorum Thracium, inter Pontum-Euxinum, & Propontidem è regione Asiæ minotis.] *Mileto.*] Sita est ad Cariæ & Ioniæ fines, hodie *Milazo.*

4 *Ad censendum.*] Est hoc loco censere, apud censores, cùm ab iis census agitur, profiteri sua bona. Est item censere, facultates æstimate, & in censum tedigere: quod quinto quoque anno facere censotes solebant.

5 *Tumescens.*] Quo sensu Cicero *ad Attic. lib.* 14. dixit: tument negotia, *pro* jam jam eruptura sunt.

6 *Italicum.*) Sic dictum est, quia per omnes Italiæ oras diffusum; unde Floto Sociale nominatur.

7 *Centum viginti.*] Manutius legit CXIX. notâ unâ detractâ. Item, quod valde probo, legit: *universa Italia, cùm id malum ab Asculanis esset*(ortum)*quippe Servium*, &c. *Arma adversus Romanos cepit.*

8 *Ab Asculanis.*] Incolis Asculi, *d'Ascoli*, in agro Piceno.

9 *Occiderant.*] Inter ludos, quibus ambo legati intererant.

10 *A Marsis.*] Italiæ populis, sub Samnitibus: ubi nunc pars Aprutii ulterioris juxta lacum Fucinum in regno Neapolitano, & in limite ditionis Pontificiæ: etiam nunc *Ducato de Marsi*.

regiones; arma adversus Romanos cepit. Quorum ut Fortuna atrox; ita causa fuit justissima. [c] Petebant enim eam civitatem, cujus imperium armis tuebantur: [d] per omnes annos, atque omnia bella, duplici numero se [11] militum, equitumque fungi, neque in ejus civitatis jus recipi, quæ per eos in id ipsum pervenisset fastigium, per quod homines, ejusdem & gentis, & sanguinis, ut externos, alienosque fastidire posset. Id bellum ampliùs trecenta millia juventutis Italicæ abstulit. Clarissimi autem imperatores fuerunt Romani eo bello, Cnæus Pompeius, Cnæi Pompeii Magni pater, Caius Marius, de quo prædiximus, Lucius Sulla, anno antè præturâ functus, Quintus Metellus, Numidci filius, qui meritum cognomen Pii consecutus erat: quippe expulsum civitate à Lucio Saturnino tribuno plebis, quòd solus [12] in leges ejus jurare noluerat, pietate suâ, auctoritate senatus, consensu reipublicæ restituit patrem. Nec triumphis, honoribusque, quàm aut causâ exsilii, aut exsilio, aut reditu clarior fuit Numidicus.

XVI. Italicorum autem fuerunt celeberrimi duces, [1] Silo Poppædius, Herius Asinius, Insteius Cato, Caius Pontidius, Telesinus Pontius, Marius Egnatius, Papius Mutilius. [a] Neque ego, verecundiâ, domestici sanguinis gloriæ quidquam, dum verum refero, subtraham. Quippe multum Minatii Magii, atavi mei, Asculanensis, tribuendum est memoriæ: qui, nepos Decii Magii, [b] Campanorum principis, celeberrimi & fidelissimi viri, tantam hoc bello Romanis fidem præstitit, ut cum legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, [2] Herculaneum simul cum Tito Didio caperet, [3] Pompejos cum Lucio Sulla oppugnaret, [4] Cosamque occuparet, cujus de virtutibus

INTERPRETATIO.

c *Nam postulabant jus civitatis illius, cujus, &c.*

d *Singulis annis, atque in omnibus bellis se suppeditare duplum peditum & equitum, neque, &c.*

a *At ego nihil pudore detraham de gloriâ majorum meorum, dum, &c.*

b *Hominis inter optimates Capua celeberrimi & fidelissimi.*

NOTÆ.

11 *Militum.*] Etsi dicitur miles, quicumque militiam exercet: tamen usus voluit, interdum militem accipi pro *pedite*; ut hic accipitur: ut apud Cæsarem lib. 3. de bello civili: *cum ipsi numero militum, equitumque præstarent*: ut alibi passim apud scriptores plerosque.

12 *In leges ejus.*) Quas volebat ferre de divisione agrorum hujus Galliarum partis, unde Cimbros Marius expulerat.

1 *Silo Poppadius.*) Quantùm ad hæc nomina pertinet, legendum est; *Pompedius*, ex Diodoro & Orosio: *Hirnus Asinius*, *T. Vettius Cato*, *Papius Mutilus*, ex Appiano.

2 *Herculaneum.*] Nunc *Torre del Greco*: in orâ sinus Neapolitani.

3 *Pompejos.*] Urbs ad Sarni ostia, Holstenio dicitur *Civita*: Cluverio *Scafati*: Ferrario, *Torre dell' Annunciata*.

4 *Cosam.*] Teste Barrio dicitur *Cassano* regni Neapolitani in Calabriâ.

F. ij

cùm alii, tum maximè, dilucidéque, Quintus Hortensius in Annalibus suis retulit; cujus Pietati plenam populus Romanus gratiam retulit; [c] ipsum viritim civitate donando, duos filios ejus creando Prætores, [5] cum seni adhuc crearentur. Tam varia, atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut per biennium continuum duo Romani Consules, Rutilius, ac deinde Cato Porcius, ab hostibus occiderentur, exercitus populi Romani multis in locis funderentur, utque [6] ad saga iretur, diúque in eo habitu maneretur. Caput imperii sui Corfinium legerant, [7] quod appellarent Italicum. Paullatim deinde recipiendo in civitatem, qui arma aut non ceperant, aut deposuerant maturiùs, vires refectæ sunt, Pompeio, Sullâque, & Mario [8] fluentem, procumbentemque rempublicam restituentibus.

XVII. Finito ex maxima parte, [1] nisi quæ Nolani belli manebant reliquiæ, Italico bello, ([a] quo quidem Romani victis afflictisque, ipsi exarmati, quàm integris universis civitatem dare maluerunt) Consulatum inierunt Quintus Pompeius, & Lucius Cornelius Sulla, vir, qui neque ad finem victoriæ satis laudari, neque post victoriam abundè vituperari potest. Hic, natus familiâ nobili, [2] sextus à CornelioRufino, [b] qui belloPyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, [c] cùm familiæ ejus claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, ut nullam petendi consulatum cogitationem habere videretur. Deinde post prætu-

INTERPRETATIO.

c *Ipsum solum & seorsùm civem faciendo.*

a *Cujus quidem belli* sub finem *Romani ipsi, positis armis, maluerunt dare* seorsùm *civitatem* hostibus *victis & debilitatis, quàm omnibus simul, cùm eorum vires erant integræ.*

b *Qui fuerat unus ex clarissimis ducibus, belli* quod gestum est *adversùs Pyrrhum.*

c *Cùm ejus gentis splendor extinctus esset ab aliquo tempore.*

NOTÆ.

5 *Cum seni adhuc crearentur.*] Non frustra addidit, *seni*: quia non multò post, teste Lipsio, Sulla Dictator numerum auxit ad XII.

6 *Ad saga.*[Sagum vestimentum militare est, Græcis, Gallis, Germanis, Hispanisque commune cum Romanis. Illud Romæ moris erat in dubio periculosi belli eventu sumere. Sumptum autem, nisi lætiore spe, & meliore fortunâ non deponebatur. Ad id verò Senatus consulto, vel lege opus erat. Hujus porrò vestimenti tria erant genera. Unum lugubre, nigrum, pullum, de quo hoc loco sermo est. Alterum gregale, militum scilicet, densum atque villosum. Tertium imperatoris, quod propriè paludamentum.

7 *Quod appellarent Italicum.*] Rectè Burrerius emendavit, *appellarunt*. An item rectè Vossius, qui legit, *Italicam*? Utroque legi modo potest, & *Italicum*, & *Italicam* Corfinium. Urbs erat Pelignorum, ubi natus Silius Poëta; unde dictus est *Italicus*, id est, *Corfiniensis*. Nunc vicus est Aprutii citerioris; vulgò, *Pentina*. vel *S. Pelino*.

8. *Fluentem.*] Id est *ruentem*. Quò recidit Virgilianum illud:

Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaûm.

1 *Nisi quæ.*] Lipsius legit: *nisi quòd*; Vossius autem, *nisi quà* pro *quatenus*. Quod ciceronianum est.

2 *Sextus à Cornelio.*] Gallicè: *le sixiéme descendant de Cornelius.*

ram [d] illustratus bello Italico, & antè in Galliâ legatione sub Mario, quâ eminentissimos duces hostium fuderat, ex successu animum sumpsit; petensque consulatum, pænè omnium civium [3] suffragiis factus est: sed eum honorem unde quinquagesimo ætatis suæ anno assecutus est.

XVIII. Per ea tempora Mithridates, [a] Ponticus rex, [1] vir, neque silendus, neque dicendus sine curâ, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortunâ, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, [2] odio in Romanos Hannibal, occupatâ Asiâ, [3] necatisque in eâ omnibus civibus Romanis, quos quidem eâdem die, atque horâ, redditis civitatibus litteris, ingenti cum pollicitatione præmiorum interimi jusserat; quo tempore neque fortitudine adversus Mithridatem, neque fide in Romanos quisquam [4] Rhodiis par fuit. Horum fidem [5] Mitylenæorum perfidia illuminavit, qui Manium Aquillium, aliosque Mithridati vinctos tradiderunt; quibus libertas, in unius [6] Theophanis gratiam, postea à Pompeio restituta est. [b] Cum terribilis Italiæ quoque videretur imminere, forte obvenit Sullæ Asia provincia. Is, egressus urbe, cùm circa Nolam moraretur; (quippe ea urbs pertinacissimè arma retinebat, exercituque Romano obsidebatur, [c] velut pœniteret ejus fidei, quam omnium sanctissimam bello præstiterat Punico) Publius Sulpicius, tribunus plebis disertus, acer, opibus, gratiâ, amicitiis, vigore ingenii, atque animi celeberrimus, [d] cum antea, rectissimâ voluntate, apud populum maximam quæsisset dignitatem, quasi pigeret eum virtutum sua-

INTERPRETATIO.

d *Celebris effectus in bello Italico.*

a *Rex Ponti, vir de quo neque silendum est, neque loquendum leviter.*

b *Cum formidabilis etiam Italia videretur instare.*

c *Quasi eam pœniteret ejus fidei, quam servaverat omnium religiosissimè in bello Carthaginiensi.*

d *Cùm antea acquisivisset, rectissimâ voluntate, maximam apud populum famam.*

NOTÆ.

3 *Suffragiis factus est.*] Lege cum Grutero: *nactus est*, id est, *obtinuit.*

1 *Vir, neque silendus.*] Quippe, cùm vincendo Pyrrho tantùm quatuor, Hannibali septem & decem anni suffecissent, Mithridates annos quadraginta Romanis restitit.

2 *Odio in Romanos Hannibal.*] Id est, alter Hannibal, propter par ejus odium in Romanos. Hannibal Amilcaris filius fuit: quem adhuc impuberem jurejurando, ante aras, pater adstrinxit, ut, cùm primùm per ætatem liceret, adversus Romanos arma sumeret.

3 *Necatisque in ea omnibus, &c.* Memnon *de Tyrannis Heracl. Pont.* item Valer. Maxim. *lib.9.cap.* 2. tradunt octoginta millia cæsa esse. Augent numerum Plutarchus & Appianus: ille quidem usque ad centum & quinquaginta millia; hic verò ad centum & sexaginta millia. Sed Vossio Memnonis potior videtur authoritas.

4 *Rhodiis.*] Incolis insulæ Rhodi, de quâ suprà lib. 1. cap. 9. & mox infrà.

5 *Mitylenæorum.* Incolarum urbis Mitylenes, quæ Lesbi insulæ caput est.

6 *Theophanis.*] Historicus erat, Magni Pompeii rerum scriptor. *Cicer. pro Arch.* 24.

rum, & bene consulta ei malè cederent, subitò pravus, & præceps, Caio Mario, post septuagesimum annum, omnia imperia & omnes provincias concupiscenti addixit, legemque ad populum tulit, quâ Sullæ imperium abrogaretur, [c] Caio Mario bellum decerneretur Mithridaticum; aliasque leges perniciosas, & exitiabiles, neque tolerandas liberæ civitati, tulit: quin etiam Quinti Pompeii consulis filium, eundemque Sullæ generum, per emissarios factionis suæ interfecit.

XIX. Tum Sulla, contracto exercitu, ad urbem rediit, eamque armis occupavit, duodecim auctores novarum, pessimarumque rerum, inter quos Marium, cum filio, & Publio Sulpicio, urbe exturbavit, ac lege latâ, exules fecit. Sulpicium etiam assecuti equites, [1] in Laurentinis paludibus jugulavêre, caputque ejus erectum & ostentatum, pro rostris, velut omen imminentis proscriptionis fuit. Marius post sextum consulatum, annóque septuagesimo nudus, ac limo obrutus, oculis tantummodò, ac naribus eminentibus, extractus [2] arundineto, circa paludem [3] Maricæ, in quam se, fugiens consectantes Sullæ equites, abdiderat, injecto in collum loro, in carcerem Minturnensium, [4] jussu Duumviri, perductus est. Ad quem interficiendum missus cum gladio servus publicus, natione Germanus, [a] qui fortè ab imperatore eo, bello Cimbrico captus erat, ut agnovit Marium, magno ejulatu expromenti indignationem casus tanti viri, abjecto gladio, profugit è carcere. [b] Tùm cives, ab hoste, misereri paullò antè principis viri, docti, instructum eum [5] viatico, collatâque veste, in navem imposuerunt. At ille, assecutus circa [6] Ænariam filium, cursum in Africam direxit; inopemque vitam in

INTERPRETATIO.

c *Caius Marius præficeretur dux bello adversus Mithridatem.*

a *Qui in bello Cimbrorum fortè captus fuerat ab eo, cùm esset dux exercitus* Romani, *statim atque agnovit Marium, abjecto ense, profugit è carcere, cum magna ejulatione, qua indicabat ejus indignationem ob casum tanti viri.*

b *Tum cives, qui ab hoste didicerant misereſcere hominis, qui paullò antè primus fuerat* reipublicæ, *&c.*

NOTÆ.

1 *In Laurentinis.*] In paludibus circa Laurentum urbem Latii: nunc *S. Lorenzo.*

2 *Arundineto.*] Loco arundinibus abundanti. Sic rosetum, oleyetum, &c. pro locis, in quibus plurimæ rosæ, & oleæ sunt.

3 *Marica.*] Sylva est Latii novi (lucus à Livio dicitur) in Campaniæ confinio ad Lirim fluvium, apud Minturnas urbem excisam: sic dicta à Maricâ Nymphâ de quâ Virgil. *lib. 7. Æneid.*

Hunc Fauno, & Nymphâ genitum Laurente Maricâ.

4 *Jussu Duumviri.*] Ita vocabantur coloniarum magistratus, ut Romæ consules.

5 *Viatico.*) Id est, pecuniâ ad iter faciendum.

6 *Ænariam.*] Insula Campaniæ est, vulgò *Ischia.* Habet arcem munitissimam, cum arce in scopulo, ab insulâ quasi sejuncto. Ubi aliàs asylum Ferdinandi Regis Neapolitani, tempore Caroli VIII. Francorum regis, qui totum ejus regnum intra paucos dies ceperat.

tugurio ruinarum Carthaginensium toleravit; [7] cùm Marius, adspiciens Carthaginem, illa intuens Marium, alter alteri possent esse solatio.

XX. [a] Hoc primùm anno, sanguine Consulis Romani, militis imbutæ manus sunt: [1] quippe Pompeius, collega Sullæ, ab exercitu Cnæi Pompeii proconsulis, seditione, sed quam dux creaverat, interfectus est. Non erat Mario, Sulpicioque Cinna temperatior. [b] Itaque cum ita civitas Italiæ data esset, ut in octo tribus contribuerentur novi cives; ne potentia eorum, & multitudo veterum civium dignitatem frangeret; plusque possent recepti in beneficium, quàm auctores beneficii; Cinna, in omnibus tribubus eos se distributurum, pollicitus est. [c] Quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in urbem acciverat: è quâ pulsus, collegæ, optimatiumque viribus, cùm in Campaniam tenderet, ex auctoritate senatus, consulatus ei abrogatus est, suffectusque in ejus locum Lucius Cornelius Merula [2] flamen Dialis. [3] Hæc injuria homine, quàm exemplo, dignior fuit. Tum Cinna, corruptis primo centurionibus, ac tribunis, mox etiam, spe largitionis, militibus, ab eo exercitu, qui circa Nolam erat, receptus est. [d] Is, cùm universus in verba ejus jurasset, retinens insignia consulatus, patriæ bellum intulit, fretus ingenti numero novorum civium, è quorum delectu trecentas ampliùs cohortes conscripserat, [4] ac triginta legionum instar impleverat.

INTERPRETATIO.

a *Hoc anno manus militum primùm tincta sunt cruore consulis Romani.*

b *Itaque cùm jus civium Romanorum Italia datum esset eâ conditione, ut novi cives redigerentur in octo tribus, ne eorum potentia atque multitudo minueret decus veterum civium; & ne, qui recepissent* hoc *beneficium, potentiores fierent, quàm qui illud contulissent; &c.*

c *Quâ de causâ advocaverat in urbem ex tota Italiâ maximam multitudinem.*

d *Cum universus exercitus sacramentum ei dixisset, &c.*

NOTÆ.

7 *Cum Marius, &c.*] Exscribi dignum est ad hunc locum Lucani illud

——— *Solatia fati*
Carthago, Mariusque tulit, pariterque jacentes
Ignovere deis.

1 *Quippe Pompeius.* Cognomine Strabo, qui anno superiore collega Sullæ fuerat.

2 *Flamen Dialis.*] Sacerdos Jovis. Dialis dicitur ἀπὸ τοῦ Διὸς, à Jove, quasi Jovialis. Nam Flamines ab eo numine, cui sacra faciebant, assumebant sibi cognomen. Unde autem *Flamen* deducitur? A filo, inquit Servius, quo Sacerdotes, maximè æstivo tempore, caput cingebant. Cùm enim pileum ferre per æstum non possent, incedere vero nudo capite nefas esset, tantùm filo caput religabant. Ex quo dicti sunt Flamines; tanquam Filamines.

3 *Hac injuria.*] Sensus est: hanc quidem injuriam talis homo merebatur: at tale severitatis exemplum dandum non fuisset, quia periculosum esse poterat.

4 *Ac triginta legionum instar impleverat.*] Gallicè: *& il en forma trente corps, comme autant de legions.*

[5] Opus erat partibus, auctoritate, gratiâ; [6] cujus augendæ, Caium Marium, cum filio, de exilio revocavit, quique cum iis pulsi erant.

XXI. Dum bellum autem infert patriæ Cinna, Cnæus Pompeius, Magni pater ([a] cujus præclarâ operâ bello Marsico, præcipuè [1] circa Picenum agrum, ut præscripsimus, usa erat respublica, quique Asculum ceperat, circa quam urbem, cùm in multis aliis regionibus exercitus dispersi forent, quinque & septuaginta civium Romanorum, ampliùs sexaginta millia Italicorum unâ die conflixerant) frustratus spe continuandi consulatus, [b] ita se dubium, [2] mediumque partibus præstitit, ut omnia ex proprio usu ageret, temporibusque insidiari videretur, & huc atque illuc, unde spes major [3] affuisset potentiæ, se, exercitumque deflecteret; sed, ad ultimum, magno atrocique prælio, cum Cinna conflixit. Cujus commissi patratique sub ipsis mœnibus, [4] sociisque urbis Romanæ pugnantibus, spectantibusque, quàm fuerit eventus exitiabilis, vix verbis exprimi potest. Post hoc, cùm utrumque exercitum, velut parum bello exhaustum, laceraret pestilentia, Cnæus Pompeius decessit: [c] cujus interitus voluptas, amissorum aut gladio, aut morbo civium pænè damno repensata est: populusque Romanus, quam vivo iracundiam debuerat, in corpus mortui contulit. Seu duæ, seu tres Pompeiorum fuêre familiæ, primus ejus nominis, ante annos ferè centum sexaginta octo, Quintus Pompeius cum Cnæo Servilio consul fuit. Cinna & Marius, [d] haud incruentis utrimque certaminibus editis, urbem oc-

INTERPRETATIO.

a *Qui, ut supra scripsemus. eximiè de republicâ meritus fuerat in bello Marsorum, præsertim circa agrum Picenum.*

b *Ita se ambiguum, ac medium inter partes præbuit, ut omnia gereret ex sua utilitate, videreturque observare tempora, & se cum exercitu converteret, modò huc, modò illuc, ubi sperasset se fore potentiorem.*

c *Lætitia, quam attulit ejus mors, compensata est jacturâ civium, quos aut ensis, aut morbus abstulit.*

d *Post commissa prælia, quæ utrimque valdè cruenta fuerunt.*

NOTÆ.

5 *Opus erat.*] Sensus est: ad hæc omnia, necesse erat factionem conflare: opus erat authoritate, & gratiâ, ad quam augendam de exilio revocavit C. Marium, &c

6 *Cujus augendæ.*] Optima lectio, per hellenismum satis notum.

1 *Circa Picenum agrum.*] Picenum vulgo creditur esse, *la marche d'Ancone*, provincia ditionis Pontificiæ. Sed complectitur etiam Aprutii ulterioris partem, cum majori parte Marchiæ-Anconitanæ. Urbs ejus præcipua nunc est *Ancon*, in orâ Mediterranei maris.

2 *Mediumque partibus.*] Medii, teste Schoro, dicuntur, quos in contentionibus nullarum partium, sive neutros vocamus. Gallicè, *Neutres*,

3 *Affuisset.*] Aldus rectè reposuit: *affulsisset.*

4 *Sociisque urbis Romanæ.*] Lipsius legit: *oculisque.* Vossius: *focisque.* Uterque bene. Lipsianam tamen emendationem amplector. Ergo loci sensus est: exitus hujus prælii commissi, non ut alia procul à patriâ; sed apud Janiculum, sub ore, oculisque urbis Romanæ, quàm tristis funestusque fuerit, & pugnantibus & spectantibus, ægrè dici potest.

cupaverunt

cupiverunt: sed prior ingressus Cinna, de recipiendo Mario legem tulit.

XXII. Mox Caius Marius, [1] pestifero civibus suis reditu, intravit mœnia, nihil illa victoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset secuta, [a] neque licentiâ [2] in mediocres sævitum, sed excelsissimi quique eminentissimæ civitatis viri variis suppliciorum generibus affecti. In iis consul Octavius, vir lenissimi animi, jussu Cinnæ interfectus est. Merula autem, qui se sub adventum Cinnæ [3] consulis abdicaverat, incisis venis, superfusoque altaribus sanguine, quos sæpe pro salute reipublicæ Flamen Dialis precatus erat deos, eos in execrationem Cinnæ, partiumque ejus tum precatus, optimè de republica meritum spiritum reddidit. [b] Marcus Antonius, princeps civitatis, atque eloquentiæ, gladiis militum, quos ipsos facundiâ suâ moratus erat, jussu Marii Cinnæque confossus est. Quintus Catulus, & aliarum virtutum, & belli Cimbrici gloriâ, quæ illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, cùm ad mortem conquireretur, conclusit se loco, nuper calce arenâque perpolito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret, [c] simul exitiali hausto spiritu, simul incluso suo, mortem magis voto, quàm arbitrio inimicorum, obiit. [d] Omnia erant præcipitia in republica, nec tamen adhuc quisquam inveniebatur, qui bona civis Romani aut donare auderet, aut petere sustineret. Postea id quoque accessit, ut sævitiæ caussam avaritia præberet, [e] & modus culpæ ex pecuniæ modo constitueretur; & qui fuisset locuples, fieret nocens, sui quisque periculi merces foret; nec quidquam videretur turpe, quod esset quæstuosum.

XXIII. Secundum deinde consulatum Cinna, & septimum Marius, in priorum dedecus, iniit; cujus initio, morbo oppressus, decessit, vir in bello hostibus, in otio civibus infestissimus, quietis-

INTERPRETATIO.

a *Neque licentiâ actum est crudeliter in homines mediocres, sed, &c.*

b *Marcus Antonius nobilissimus, atque eloquentissimus urbis, &c.*

c *Partim hausto mortifero aëre, partim ademptâ respirandi potestate, extinctus est morte, magis ex hostium desiderio, quam ex* eorum *arbitrio.*

d *In republicâ omnia ruebant in extremum discrimen.*

e *Et magnitudo culpa æstimaretur ex copiâ divitiarum.*

NOTÆ.

1 *Pestifero civibus suis reditu.*] Sensus est: non multò post C. Marius ingressus est urbem, ubi, veluti quædam pestis, ejus reditus plurimos cives absumpsit.

2 *In mediocres.*] Vulgò *immediocri.* Verùm Acidalii & Rhenani lectionem, quæ visa mihi est commodissima, secutus sum.

3 *Consulis.*] Quamvis hæc lectio retineri possit, cum Cinna insignia consularia etiam gesserit, postquam consulatus ei abrogatus est à Senatu: tamen primùm Rhenano; deinde Gryphio atque Stephano editum est, *consulatu.* Quam editionem priore potiorem esse judicamus.

que impatientissimus. In hujus locum suffectus Valerius Flaccus, turpissimæ legis auctor, quâ creditoribus [1] quadrantem solvi jusserat: [2] cujus facti merita eum pœna intra biennium consecuta est. Dominante in Italia Cinna, major pars nobilitatis ad Sullam in Achaiam, ac deinde post in Asiam perfugit. Sulla interim, cum Mithridatis præfectis, circa Athenas, Bœotiamque & Macedoniam, ita dimicavit, [a] ut & Athenas reciperet, & plurimo circa multiplices [3] Piræei portûs munitiones labore expleto, ampliùs ducenta millia hostium interficeret, nec minus multa caperet. [b] Si quis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnatæ à Sulla sunt, imputat Atheniensibus, [4] nimirum veri, vetustatisque ignarus est, adeò enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, ut semper & in omni re, quidquid sincerâ fide gereretur, id Romani Atticâ fieri prædicarent. [c] Ceterùm tum oppressi Mithridatis armis homines miserrimæ conditionis, cum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis, & animos extra mœnia; corpora, necessitati servientes, intra muros habebant. Transgressus deinde in Asiam Sulla, [5] parentem ante omnia, supplicemque Mithridatem invenit, quem mulctatum pecuniâ ac parte navium, Asiâ, omnibusque aliis provinciis, quas armis occupaverat, decedere coëgit: captivos recepit: in perfugas noxiosque animadvertit: paternis, id est, Ponticis, finibus contentum esse jussit.

XXIV. Caius Flavius Fimbria, qui præfectus equitum ante adventum Sullæ, Valerium Flaccum, consularem virum, interfecerat,

INTERPRETATIO.

a *Ut & recuperaret Athenas, & post plurimos labores toleratos, ad diruendas varias munitiones Piræi portûs, interficeret, &c.*

b *Si quis imputat Atheniensibus hanc perduellionem*, & ea quæ acta sunt *tempore, quo Sulla Athenas oppugnavit, &c.*

c *Ceterùm Athenienses, oppressi armis Mithridatis, tum erant in miserrimo statu; cum enim essent in hostium potestate, obsidebantur ab amicis, &c.*

NOTÆ.

1 *Quadrantem.*] Id est, quartam debitorum partem, quâ solutâ debitores reliquis partibus liberarentur. Manutius de usurâ, non de credito rem explicat, aitque Flaccum, exempli causâ, ternos nummos ex centenis pendi quotannis usuræ nomine, voluisse. Hoc verò sensu, quo explicet modo *quadrantem* non admodùm liquet.

2 *Cujus facti merita.*] Cum enim propter avaritiam invisus esset exercitui suo, à C. Fimbria, summæ audaciæ viro, occisus est.

3 *Piræei portûs.*] Athenarum portus erat quadringentarum navium capax: olim Archelai operâ munitissimus. Deinde à Themistocle longissimo muro urbi conjunctus: vulgò, *Porto Leone*, à Leone marmoreo, qui ad littus jacet.

4 *Nimirum veri.*] Vossius legit: *nimiùm.* De Atheniensium verò fide aliter omninò Tacitus scripsit 2. *Ann.* ubi eos vocat, *Mithridatis adversus Sullam socios.*

5 *Parentem ante omnia.*] Acidalius legit: *in omnia*: quæ locutio Velleio prorsus familiaris est. Verùm Vossius nihil mutandum esse censet, vultque dici, *ante omnia*, pro *præcipuè*; quo modo Virgilius dixit *Georg.* 2. *Dulces ante omnia musæ.* Gallicè, *Disposé à une obeïssance absoluë.*

exercituque occupato imperator appellatus, [1] forte Mithridatem pepulerat prælio, sub adventum Sullæ se ipse interemit; adolescens, quæ pessimè ausus erat, fortiter executus. Eodem anno Publius Lænas tribunus plebis [2] Sextum Lucilium, qui priore anno tribunus plebis fuerat, [3] saxo Tarpeio dejecit; &, cum collegæ ejus, quibus diem dixerat, metu ad Sullam profugissent, [4] aquâ ignique iis interdixit. Tum Sulla, compositis transmarinis rebus, cum ad eum, [a] primum omnium Romanorum, Legati Parthorum venissent, [5] & in iis quidam magi ex notis corporis respondissent, cælestem ejus vitam, & memoriam futuram, revectus in Italiam, haud plura, quàm triginta armatorum millia adversum ducenta millia amplius hostium [6] exposuit Brundisii. Vix quidquam in Sullæ operibus clarius duxerim, quam quod, cum per triennium Cinnanæ, Marianæque partes Italiam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimulavit, nec, quod erat in manibus, omisit; existimavitque, ante frangendum hostem, quàm ulciscendum civem; [b] repulsoque externo metu, ubi, quod alienum esset, vicisset, superaret quod erat domesticum. Ante adventum Lucii Sullæ Cinna, seditione ortâ, ab exercitu interemptus est, vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quàm iracundiâ militum, de quo verè dici potest, Ausum eum, quæ nemo auderet bonus, perfecisse, quæ à nullo, nisi fortissimo, perfici possent; [c] & fuisse eum in consultando temerarium, in exequendo virum. Carbo, nullo suffecto collega, solus toto anno consul fuit.

XXV. Putares, Sullam venisse in Italiam, [1] non belli vindicem,

INTERPRETATIO.

a *Quod nemini Romanorum ante illum contigerat.*

b *Ejus vitam fore celebrem, & memoriam immortalem.*

c *Et eum fuisse simul temerarium in capiendis consiliis, & fortem in exequendis.*

NOTÆ.

1 *Forte.*] Id est, casu magis, quàm suâ virtute.

2 *Sextum Lucilium.*] Quidam ex Plutarcho *in Mario* legunt *Sextum Lucinum.* Imo ibidem tradit Plutarchus, hujus facti authorem esse Marium; atque illo ipso die, quo septimum consulatum Marius iniit, Sextum Lucinum de Tarpeiâ rupe præcipitatum esse. Ita Lucini mors antecederet biennio, quæ hoc anno acta esse Velleius refert. Certè Vossius parachronismo biennii non dubitat accusare Velleium.

3 *Saxo Tarpeio.*] Monte Capitolino. A Tarpeiâ virgine Vestali dictus est Tarpeius, cum priùs Saturnius diceretur. Olim ex illo damnati præcipitabantur, & qui falsum testimonium dixissent.

4 *Aquâ, ignique.*] Quâ interdictione reus in exilium mittebatur.

5 *Et in iis quidam magi.*] Rectè dici possent physiognomi, vel physiognomones: quorum ars physiognomia vocatur.

6 *Exposuit.*] In terram, Brundisii, quæ urbs est Calabriæ.

1 *Non belli vindicem.*] Sensus est: non ut bello sibi vindicaret omnia; aut forte: non ut injurias nobilium armis ulcisceretur; sed ut certam pacem constitueret.

sed pacis auctorem : tanta cum quiete exercitum per Calabriam, Apuliamque, cum singulari curâ frugum, agrorum, hominum, urbium, perduxit in Campaniam, tentavitque justis legibus, & æquis conditionibus bellum componere, sed iis, quibus & pessima, & immodica cupiditas erat, non poterat pax placere. Crescebat interim in dies Sullæ exercitus, [a] confluentibus ad eum optimo quoque & sanissimo. Felici deinde circa Capuam eventu Scipionem Norbanumque Consules superat: quorum Norbanus, acie victus; Scipio, ab exercitu suo desertus, ac proditus, inviolatus à Sulla dimissus est: [b] adeò enim Sulla dissimilis fuit bellator, ac victor; ut, dum vincit, mitissimo ac justissimo lenior, post victoriam audito fuerit crudelior, [2] nam & Consulem, ut prædiximus, exarmatum, atque Sertorium (proh quanti mox belli facem!) & multos alios, potitus eorum, dimisit incolumes: credo, ut in eodem homine duplicis, ac diversissimi animi conspiceretur exemplum. [c] Post victoriam quâ descendens montem [3] Tifata cum Caio Norbano concurrerat Sulla, grateis Dianæ, cujus numini regio illa sacrata est, solvit; [d] aquas salubritate medendisque corporibus nobiles, agrosque omnes addixit deæ, [e] * hujus gratæ religionis memoriam & inscriptio templi affixa posti hodieque, & tabula testatur ærea [4] intra ædem.

XXVI. [a] Inde consules Carbo tertiùm & Caius Marius, septies

INTERPRETATIO.

a *Optimis, & prudentissimis quibusque concurrentibus ad eum.*

b *Sulla enim, dum bellum gerebat, adeò diversus erat à seipso, cum vicerat; ut in victoria fuerit lenior mitissimis & justissimis, post victoriam crudelior* iis omnibus, de quorum crudelitate *audivimus.*

c *Post victoriam, quam Sulla retulerat ex C. Norbano, descendens ex monte Tifata, egit gratias Dianæ, &c.*

d *Dedicavit deæ agros omnes, & aquas celebres salubritate, & vi sanandi morbos.*

e *Et inscriptio etiam nunc affixa posti templi, & tabula ex ære* posita *intra templum testatur memoriam hujus gratæ religionis.*

a *Inde ingressi sunt consulatum Carbo tertiùm, & C. Marius*, hujus, *qui septies consul fuerat*, Marii *filius, annos natus viginti sex, vir patri fortitudine similior, quàm vita diuturnitate, multa & fortiter aggressus, nec usquam impar dignitati consulari, à Sulla prælio superatus apud Sacriportum, &c.*

NOTÆ.

2 *Nam & consulem.*] Ita Lipsius, cùm vulgò legeretur *Consul.* Sed quem consulem? Scipionem, quem antea scripsit sine noxâ dimissum esse, cum Sulla exercitum ejus ipsumque Scipionem in potestatem suam redegisset.

3 *Tifata.*] Mons est Campaniæ, urbi Capuæ imminens, inter ipsam & Nolam extensus; vulgò *Monte di Capoa & di Caserta.*

* *Hujus gratæ religionis.*] Amplexus sum Rhenani lectionem, quam Ant. Thysius in editione suâ secutus est. Quo modo & Lipsio venit in mentem legere.

4 *Intra ædem.*] Ichnographia templi, aut aræ alicujus, gemino exprimebatur exemplari, quod utrumque in eâdem illâ æde reponebatur: ut ex multis marmoribus notum est. Ergo mos erat intus in æde poni tabulam, quæ idem, aut etiam sæpe plura continebat, quàm quæ basi columnæ statuæve, aut ædium frontispicio incisa erant.

consulis filius, annos natus viginti sex, vir animi magis, quàm ævi paterni, multa fortiterque molitus, neque usquam inferior nomine consulis, [1] apud Sacriportum pulsus à Sulla acie, [2] Præneste, quod ante natura munitum præsidiis firmaverat, se, exercitumque contulit. Ne quid unquam malis publicis deesset, in qua civitate semper virtutibus certatum erat, certabatur sceleribus; optimusque sibi videbatur, qui fuerat pessimus: quippe dum ad Sacriportum dimicatur, Damasippus prætor Domitium, Scævolam etiam [3] Pontificem maximum, & divini, humanique juris auctorem celeberrimum, & Caium Carbonem prætorium, consulis fratrem, [b] & Antistium ædilitium, velut faventes Sullæ partibus; in curia Hostilia trucidavit. Non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia, Bestiæ filia, uxor Antistii, quæ, jugulato, ut prædiximus, viro, gladio se ipsam transfixit, [c] quantùm hujus gloriæ famæque accessit? [5] Nunc virtute eminet, patria latet.

XXVII. At Pontius Telesinus, dux Samnitium, vir domi, bellique fortissimus, penitusque Romano nomini infestissimus, contractis circiter quadraginta millibus fortissimæ pertinacissimæque in retinendis armis juventutis, Carbone, ac Mario consulibus, abhinc annos quadraginta, Kalendis Novembribus, [1] ita ad portam Collinam cum Sulla dimicavit, ut ad summum discrimen & eum, & rempublicam perduceret: quæ non majus periculum adiit, Hannibalis [2] intra tertium milliarium, castra conspicata, quàm eo die, quo circumvolans ordines exercitus sui Telesinus, dictitansque adesse Romanis ultimum diem, vociferabatur eruendam delendamque

INTERPRETATIO.

b *Et Antistium, qui Ædilis fuerat.*

c *Quantùm gloriæ famæque* tùm *acquisivit.*

NOTÆ.

1 *Apud Sacriportum.*] Locus est Latii apud Præneste urbem.

2 *Præneste.*] Incolis *Pilastrina*: nobis *Pilastrine*, in Campaniâ Romanâ, & in ditione Pontificiâ.

3 *Pontificem maximum.*] Sacer erat Magistratus institutus à Numa, rerum omnium quæ ad sacra religionemque pertinebant, judex.

4 *Et divini humanique juris.*] Intelligit jurisconsultum, qui de divino humanoque jure libros edidit.

5 *Nunc virtute eminet.*] Hujus loci, quem Lipsius pro deposito habuit, sensus est: nunc eminet quidem virtute suâ, & quoties mentio fit illius, sed quasi latet inter tot alia egregia facta, quæ Romæ in ejus patriâ edita, & historiæ prodita sunt.

1 *Ita ad portam Collinam.*] Dicta est & Quirinalis, & Agonalis. Sita erat versus Septentrionem. Hac Gallos Senones ingressos, & urbem populatos esse memorant.

2 *Intra tertium milliarium.*] Tria milliaria constituunt Astronomicam leucam: Franciæ communem duo milliaria. Ergo *intra tertium milliarium* significat, intra unam leucam cum mediâ.

urbem: adjiciens, nunquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, nisi silva, in quam refugere solerent, esset excisa. Post primam demum horam noctis & Romana acies respiravit, & hostium cessit. Telesinus posterâ die semianimis repertus est, victoris magis, quàm morientis, vultum præferens: cujus abscissum caput ferri, gestarique circa Præneste Sulla jussit. Tum demum, desperatis rebus suis, Caius Marius adolescens [a] per cuniculos, qui miro opere fabricati, in diversas agrorum partes ferunt, conatus erumpere, cùm foramine è terrâ emersisset, à dispositis in idipsum interemptus est. [b] Sunt, qui suâ manu; sunt, qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre Telesino, unà obsesso, & erumpente, occubuisse prodiderint, utcumque cecidit, hodieque tantâ patris imagine non obscuratur ejus memoria. De quo juvene quid existimaverit Sulla, in promptu est, occiso enim demum eo, Felicis nomen assumpsit: quod quidem usurpasset justissimè, [c] si eundem & vincendi, & vivendi finem habuisset. Oppugnationi autem Prænestis ac Marii præfuerat Ofella Lucretius; qui cum ante Marianarum fuisset partium, [3] prætor ad Sullam transfugerat. [d] Felicitatem diei, quo Samnitium, Telesinique pulsus est exercitus, Sulla perpetuâ [4] ludorum Circensium honoravit memoriâ, [5] quibus sine nomine Sullanæ victoriæ celebrantur.

XXVIII. Paulò ante, quàm Sulla ad Sacriportum dimicaret, magnificis præliis partium ejus viri hostium exercitum fuderant, duo Servilii apud [1] Clusium, Metellus Pius apud [2] Faventiam, Mar-

INTERPRETATIO.

a *Per subterraneos meatus.*

b *Sunt qui scripserint* eum *occubuisse suâ manu: sunt, qui manu fratris minoris Telesini, qui simul obsidebatur, &* simul *eruptionem faciebat, cùm alter alterum mutuis ictibus confodisset.*

c *Si desiisset simul vivere, & vincere.*

d *Sulla, ut efficeret perpetuam memoriam fortunati illius diei, quo exercitus Samnitium sub Telesino deletus est, instituit ludos Circenses.*

NOTÆ.

3 *Prætor.*] Huic loco mendum subesse Vossius existimat. Nam Ofella anno insequente occisus est, cum consulatum peteret contra Sullæ mandatum. Quippe Sulla legem tulerat, ne quis ante quæsturam præturamve consulatum gereret. Cujus rei authorem Appianum habet Vossius: qui idcirco censet legendum esse: *proditor.*

4 *Ludorum Circensium.*] Equestrium. Qui ludi Circenses dicti sunt, non, ut Servius nugatur, ab ensibus in circuitu dispositis: sed quòd in circo exhiberentur.

5 *Quibus sine nomine.*] Burrerius in vetere exemplari testatur esse: *qui sub ejus nomine.* Quod omnino probum est, & habet hunc sensum: Sulla instituit ludos Circenses, qui etiam nunc celebrantur sub nomine hujus victoriæ à Sulla reportatæ.

1 *Clusium.*] *Chiusi*, mediterraneum Tusciæ oppidum.

2 *Faventiam.*] Incolis *Faenza*: nobis *Fayence*: in Ducatu Parmensi.

tus Lucullus circa [3] Fidentiam. Videbantur finita belli civilis mala, cum Sullæ crudelitate aucta sunt, quippe, dictator creatus, ([a] cujus honoris usurpatio per annos centum viginti intermissa, [4] nam proximus post annum, quàm Hannibal Italiâ excesserat: uti appareat populum Romanum [b] usum dictatoris non tam desiderasse, quàm timuisse potestatem imperii, quo priores [c] ad vindicandam maximis periculis rempublicam usi fuerant) immodicæ crudelitatis licentiâ usus est. Primus ille, & utinam ultimus, exemplum proscriptionis invenit, [d] ut, in qua civitate petulantis convicii [5] judicium histrioni [6] exoleto redditur, in ea jugulati vivis Romani publicè constitueretur auctoramentum; plurimumque haberet qui plurimos interemisset; neque occisi hostis, quàm civis, uberius foret præmium; fieretque quisque merces mortis suæ. Nec tamen in eos, qui contra arma tulerant, sed in multos insontes sævitum, adjectum etiam, ut bona proscriptorum venirent; exclusique paternis opibus liberi, etiam petendorum honorum jure prohiberentur; simulque, quod indignissimum est, senatorum filii & onera ordinis sustinerent, & jura perderent.

XXIX. Sub adventum in Italiam Lucii Sullæ, Cnæus Pompeius, ejus Pompeii filius, quem magnificentissimas res in consulatu gessisse bello Marsico prædiximus, viginti tres annos natus, abhinc annos centum tredecim, privatis ut opibus, ita consiliis, magna ausus, magnificéque conata executus, [a] ad vindicandam restituen-

INTERPRETATIO.

a *Qua dignitas abhinc centum viginti annis usurpata non fuerat.*

b *Regimen dictatoris.*

c *Ad liberandam.*

d Ita *ut authoritate publica statueretur præmium ob interfectum civem in eâ civitate, in quâ judicium redditur histrioni abjectissimo, ob contumeliam petulantiorem.*

a *Ad defendendum restituendumque honorem patriæ conscripsit validum exercitum ex agro Piceno, qui totus plenus erat clientium sui patris.*

NOTÆ.

3 *Fidentiam.*] Urbs Galliæ Togatæ in Lombardiâ Cispadanâ: nunc in Ducatu Parmensi contenta, vulgò *Borgo di S. Donnino.*

4 *Nam proximus.*] Id est, nam ultimus, qui dictaturam gesserat, electus fuerat post annum, quam Hannibal ex Italiâ decesserat. Quæ porro consequuntur & corruptissima sunt, cum Lipsio sic restituimus: *Ut appareat populum Romanum usum dictatoris non tàm desiderasse quàm timuisse, potestate imperii.* [dictatorii] *quo priores* [dictatores] *ad vindicandam maximis periculis rempublicam usi fuerant, immodica crudelitatis licentiâ abusus est.*

5 *Judicium histrioni.*] Significatur, aures à judicibus histrioni etiam abjectissimo Romæ præberi, & cives qualescumque castigari, quos histrionem aliqua petulantiore contumelia notasse constaret.

6 *Exoleto.*] Hoc epitheto contemptius, ac turpius nihil histrioni tribui potest. Histrionem notat effœtum, & ad libidines jam inutilem factum.

damque dignitatem patriæ, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis ejus clientelis refertus erat, contraxit exercitum, [b] cujus viri magnitudo multorum voluminum instar exigit: sed operis modus paucis eum narrari jubet. Fuit hic genitus matre Luciliâ, stirpis senatoriæ: [c] formâ excellens, non ea, quâ flos commendatur ætatis, [1] sed ex dignitate constanti; quæ in illam conveniens amplitudinem, fortunam quoque ejus, ad ultimum vitæ comitata est diem, innocentiâ eximius, sanctitate præcipuus, [d] eloquentiâ medius; potentiæ, quæ honoris causâ ad eum deferretur, [e] non ut ab eo occuparetur, cupidissimus; dux bello peritissimus; civis in toga (nisi ubi vereretur, ne quem haberet parem) modestissimus; amicitiarum tenax, [f] in offensis inexorabilis, [2] in reconciliandâ gratiâ fidelissimus; in accipiendâ satisfactione facillimus: potentiâ suâ numquam, aut rarò ad impotentiam usus; pænè omnium vitiorum expers, nisi numeraretur inter maxima, in civitate libera, dominaque gentium, indignari, cùm omnes cives jure haberet pares, quemquam æqualem dignitate conspicere? Hic, à toga virili assuetus [3] commilitio prudentissimi ducis parentis sui, bonum & capax recta discendi ingenium, singulari rerum militarium prudentiâ excoluit; ut à Sertorio Metellus laudaretur magis, Pompeius timeretur validius.

XXX. [a] Tum Marcus Perperna, prætorius, è proscriptis, gentis clarioris, quàm animi, Sertorium inter cenam [1] Etoscæ intere-

INTERPRETATIO.

b *Cujùs viri meritum ingens postulat, ut laudetur multis voluminibus: sed ratio* quam mihi præscripsi *in hoc opere, vult paucis dici de illo.*

c *Excellens pulchritudine, non eâ, quâ solet laudari juventus, sed qua virilis est: qua respondens amplitudini, ad quam* destinabatur, *comitata est, &c.*

d *Eloquentiâ mediocris.*

e *Non ita* tamen cupidus, *ut vellet illam vi usurpare.*

f *In acceptis injuriis facilè placabilis.*

g *Hic, ex quo induisset virilem togam, assuetus bello, ad quod profectus erat cum patre suo, qui dux erat prudentissimus, excoluit, &c.*

a *Tùm M. Perperna, qui prætor fuerat, è numero proscriptorum, genere quàm animo nobilior, interfecit Etoscæ Sertorium in mediâ cenâ; atque hoc pessimo facinore auctor fuit Romanis certæ victoriæ, suis partibus excidii, sibi turpissimæ mortis.*

NOTÆ.

1 *Sed ex dignitate.*] Dignitas hìc sumitur pro virili pulchritudine. De qua Cicero *lib. 1. Offic.* Pulchritudinis duo genera sunt: unum muliebre, quam venustatem appellamus: alterum virile, quam dignitatem dicimus.

2 *In reconciliandâ.*] Nimirum inter alios, ubi fide potissimum opus est. Ita Vossius. Quanquam Lipsius vult legi *in reconciliatâ gratiâ*: quia ibi fides locum habet, quemadmodum facilitas in reconcilianda: quæ ratio mihi magis placet.

3 *Commilitio.*] Commilitium dicitur ipsa belli societas. Apud Apuleium legitur commilitia, fœminini generis.

1 *Etosca.*] Nomen haud dubiè ejus loci, ubi Sertorius occisus est. Sed corruptè *Etosca*: lege cum Cl. Puteano *Osca*. Osca porro urbs Hispaniæ est, nunc *Huesca* in Aragoniâ, quæ inter plures alias, occiso Sertorio, in potestatem Romanorum venit. Ita Florus lib. 3. cap. 22.

mit

mit, Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissimam mortem pessimo auctoravit facinore. Metellus & Pompeius ex Hispaniis triumpharunt: sed Pompeius, hoc quoque triumpho, [2] adhuc eques Romanus, ante diem, quàm consulatum iniret, curru urbem invectus est. Quem virum, quis non miretur: per tot extraordinaria imperia in summum fastigium vectum, iniquo tulisse animo, Caii Cæsaris, in altero consulatu petendo, senatum populumque Romanum rationem habere? adeò familiare est hominibus, omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere; [3] & invidiam rerum non ad causam, sed ad voluntatem, personasque dirigere. Hoc consulatu Pompeius tribuniciam potestatem restituit, cujus Sulla imaginem [4] sine re reliquerat. Dum Sertorianum bellum in Hispania geritur, [5] sexaginta quatuor fugitivi [6] è ludo gladiatorio Capuâ profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea urbe gladiis, primò [7] Vesuvium montem petiêre; mox, crescente in dies multitudine, gravibus variisque casibus affecêre Italiam. Quorum numerus in tantum adolevit: ut, quâ ultimò dimicavêre acie, quadraginta millia hominum se Romano exercitui opposuerint. [b] Hujus patrati gloria penes Marcum Crassum fuit, [8] mox Romanorum omnium principem.

INTERPRETATIO.

b *Hujus confecti belli laus debetur M. Crasso, qui mox primus fuit omnium Romanorum.*

NOTÆ.

2 *Adhuc eques Romanus.*] Idipsum Cicero *pro lege Manil.* observavit. Pompeius Siciliâ recuperatâ, Africâ totâ subactâ, Magnique nomine inde capto, eques Romanus (id quod nemo antè) curru triumphali revectus est.

3 *Et invidiam rerum.*] Obscura sententia, cujus sensus adhuc obscurior est. Ecce conjecturam meam. Adeò hominibus, præsertim ambitiosis, familiare est odium, quod incurri potest ex rebus, quæ fiunt, non referre ad causam propter quam fiunt, & inde negotia æstimare: sed ad voluntatem eorum, à quibus fiunt; & ad personas, quarum causâ fiunt. Scilicet, cùm alteri invidemus, & ambitiosi sumus (si quid ejus causâ fieri contingat) id ægrè ferimus illicò, & sine causâ factum dicimus; sed duntaxat aliorum studio erga eum, cujus causâ factum est.

4 *Sine re.*) Aliis eodem sensu legitur, *sine jure.*

5 *Sexaginta quatuor.*] Hic inter se valde pugnant historici. Quorum discrepantes sententias scire qui volet, adeat Freinshemium ad Flor. *lib. 3. cap.* 20.

6 *E ludo gladiatorio.*] Id est, è loco, ubi gladiatores exercebantur. Sic dicimus Ludum palestræ, Ludum pilæ, Ludum literarium, pro loco, ubi hujusmodi rebus exercemur, & instruimur. Inde Ludum aperire, Ludi magister, &c.

7 *Vesuvium.* Mons est Campaniæ ultra Neapolim, Nolæ vicinus: vulgò, *Monte di somma*; ignium eruptione, atque Plinii naturalis historiæ scriptoris interitu clarus.

8 *Mox Romanorum omnium principem.*] Lipsius delet, *omnium*: quia nec Cæsar, nec Pompeius Crasso concedebant. Quare reponit *opibus*: ut sensus sit, Crassum ex Romanis fuisse ditissimum. Qui sensus optimus est. Verùm istâ mutatione quid opus est? Annon princeps Romanorum rectissimè dicitur, non qui solus supra cæteros eminet, sed qui inter eminentissimos Romanorum, id est, inter Reipublicæ principes numeratur.

XXXI. Converterat Cnæi Pompeii persona totum in se terrarum orbem, [1] & per omnia majore vi habebatur. Qui cùm consul perquàm laudabiliter jurasset, [a] se in nullam provinciam ex eo magistratu iturum, idque servasset, post biennium Aulus Gabinius tribunus legem tulit, ut, cùm belli more, non latrociniorum, [2] orbem classibus jam, non furtivis expeditionibus, piratæ terrerent, quasdam etiam Italiæ urbes diripuissent; Cnæus Pompeius ad eos opprimendos mitteretur: essetque ei imperium æquum in omnibus provinciis cum proconsulibus, [b] usque ad quinquagesimum milliarium à mari. [3] Quo Senatusconsulto pænè totius terrarum orbis imperium uni viro deferebatur: sed tamen idem hoc antè biennium [4] in Marci Antonii præturâ decretum erat [5] sed interdum persona, ut exemplo nocet, ita invidiam auget, aut levat. In Antonio homines æquo animo passi erant; raro enim invidetur eorum honoribus, quorum vis non timetur. Contra, in iis homines extraordinaria reformidant, qui ea suo arbitrio aut deposituri, aut retenturi videntur, [c] & modum in voluntate habent. [6] Dissuadebant optimates: sed consilia impetu victa sunt. Digna est memoriâ Quinti Catuli cum auctoritas, tum verecundia: qui cùm, dissuadens legem, in concione dixisset, esse quidem præclarum virum Cnæum Pompeiúm, [d] sed nimium jam liberæ reipublicæ, neque omnia in uno reponenda; adjecissetque, si quid huic acciderit, quem

INTERPRETATIO.

a *Se post eum magistratum non accepturum ullam præfecturam provinciæ.*

b *Usque ad quinque & viginti leucas à mari.*

c *Et qui solùm reguntur sua voluntate.*

d *Sed nimis potentem, ut in liberâ republicâ.*

NOTÆ.

1 *Et per omnia.*]Hic locus duplici modo emendatur. Acidalius legit: *& per omnia major evehebatur.* Alii verò: *& pene homine major habebatur*; sensu utrimque bono.

2 *Orbem.*] Id est, omnes maris oras.

3 *Quo Senatusconsulto.*] Aliqui cum Cujacio pro S. C. reponunt P. S. id est, Plebiscito; quia Gabinio legem ferente, eam à populo scitam esse constat. Ne tamen id mutes. Nam etsi illud Plebiscitum fuerit; cùm tamen à Senatu, licet invito, comprobatum sit, idcirco Senatusconsulti nomen obtinere potest.

4 *In Marci Antonii præturâ.*] Missus fuerat adversus Cretenses, à quibus, etsi malè gestis rebus, Cretici nomen retulit. Idem fuit Antonii Triumviri pater.

5 *Sed interdum persona.*] Lipsius censet legendum esse: *sed interdum persona, ut exempla docent, aut invidiam auget, aut levat.* Sensus autem est: sæpe in eâdem re, aut in eâdem culpâ invidiam majorem minoremve esse pro personâ magis, quàm pro merito. Contrà Grutero, mihique vulgata lectio magis probatur: & verò sensus est: quemadmodum alia atque alia persona minus magisve exemplo suo nocet; sic quoque interdum unam eandemque rem huic, vel illi majorem minoremve invidiam creare.

6 *Dissuadebant optimates.*] Ne scilicet hoc imperium Pompeio decerneretur.

in ejus locum substituetis? succlamavit universa concio: Te, Quinte Catule. Tum ille, victus consensu omnium, & tam honorifico civitatis testimonio, è concione discessit. Hîc hominis verecundiam, populi justitiam mirari libet: hujus quòd non ultra contendit; plebis, quòd dissuadentem, & adversarium voluntatis suæ, vero [e] testimonio fraudare noluit.

XXXII. Per idem tempus Cotta judicandi munus, quod Caius Gracchus, ereptum senatui ad equites, Sulla ab illis ad senatum transtulerant, æqualiter inter utrumque ordinem partitus est. Et [1] Otho Roscius lege suâ equitibus in theatro loca restituit. At Cnæus Pompeius, multis & præclaris viris in id bellum assumptis, [a] descriptoque in omnes recessus maris præsidio navium, [2] brevi inexsuperabili manu, terrarum orbem liberavit, prædonesque per multa prælia multis locis victos circa [3] Ciliciam classe aggressus, fudit ac fugavit: &, quò maturiùs bellum, tam latè diffusum, conficeret, reliquias eorum contractas, in urbibus, remotoque à mari loco, in certa sede constituit. Sunt qui hunc carpant. [4] Sed, quamquam in auctore satis rationis est, tamen ratio quemlibet magnum auctorem faceret: datâ enim facultate, sine rapto vivendi, rapinis arcuit.

XXXIII. Cùm esset in fine bellum Piraticum, & Lucius Lucullus [qui, ante septem annos ex consulatu sortitus Asiam, Mithridati oppositus erat, magnasque ac memorabiles res ibi gesserat, Mithridatem sæpè multis locis fuderat, egregiâ Cyzicum liberarat victoriâ, Tigranem, regum maximum, in Armenia vicerat, ultimamque bello manum pænè magis noluerat imponere quàm

INTERPRETATIO.

e *Vero elogio privare.*

a *Et distributis navibus in omnes recessus maris ad* eorum *præsidium.*

NOTÆ.

1 *Otho Roscius lege suâ.*] Insignis est admodum Roseia lex theatralis: quâ Roscius edixit primus, ut in theatro sua quoque loca equites haberent in quatuordecim primis ab orchestrâ gradibus. Si hoc sit, dicet aliquis, cur Velleius scripsit: *restituit*? Cur idem Cicero docet *in Orat. pro Mur.* Ubi bis repetit L. Othonem hâc lege equestri ordini restituisse non solùm dignitatem, sed etiam voluptatem? Huic difficultati Boëclerus respondet, *restituere* apud Velleium diei absolutè pro *constituere*, quemadmodum *remittere* dicitur apud illum pro *permittere*, Vide suprà *cap.* 30. Addo ipsa equitum loca dicta equestria.

2 *Brevi.*] Quadraginta diebus, ac ne unius quidem navis jacturâ, teste Floro.

3 *Ciliciam.*] In Asiâ minori: nunc Caramania propria dicitur, vulgò *la Caramanie*, Syriæ ab ortu proxima, & longissimo tractu inter Taurum montem, & Cilicium mare porrecta.

4 *Sed quamquam.*] Sensus est: sed quamquam satis est rationis in authore hujus facti: inest tamen ipsi facto ea ratio, quæ magnum facere nomen posset cuilibet, qui illius author esset.

non potuerat, qui, alioqui per omnia laudabilis, & bello pænè invictus, pecuniæ [1] expellebatur cupidine] idem bellum adhuc administraret, Manilius tribunus plebis semper venalis, & alienæ minister potentiæ, legem tulit, ut bellum Mithridaticum per Cnæum Pompeium administraretur. Accepta ea, magnisque certatum inter imperatores jurgiis, cùm Pompeius Lucullo [2] infamiam pecuniæ, Lucullus Pompeio interminatam cupiditatem objiceret imperii, neuterque ab eo, [3] quo arguebatur, mentitus argui posset. Nam neque Pompeius, [a] ut primùm ad rempublicam aggressus est, quemquam animo parem tulit, & in quibus rebus primus esse debebat, solus esse cupiebat. Neque eo viro quisquam aut alia omnia minùs, aut gloriam magis concupiit. In appetendis honoribus immodicus, [b] in gerendis verecundissimus; ut qui eos, ut libentissimè iniret, ita finiret æquo animo, &, quod cupisset arbitrio suo sumere, alieno deponeret: & Lucullus, summus alioqui vir, [c] profusæ hujus in ædificiis convictibusque & apparatibus luxuriæ primus auctor fuit: quem ob injectas [4] moles mari, & receptum suffossis montibus in terras mare, haud infacetè Magnus Pompeius Xerxem togatum vocare assueverat.

XXXIV. Per id tempus à Quinto Metello [1] Creta insula in populi Romani potestatem redacta est., quæ, ducibus Panare, & Lasthene, viginti quatuor millibus juvenum coactis, velocitate per-

INTERPRETATIO.

a *Simul atque cœpit attingere negotia reipublicæ.*

b *In* iisdem *administrandis moderatissimus*; *& qui eos ut sumebat libentissimè, ita dimittebat non invitus.* Et qui *aliorum judicio relinquebat, quod arbitrio suo voluisset sumere.*

c *Primus fuit author immodicæ profusionis, quæ nunc est, in ædificiis, & conviviis & magnificis ornatibus.*

NOTÆ.

1 *Expellebatur.*] Omnium optimè Lipsius legit: *debellabatur*, id est superabatur.

2 *Infamiam.*] Lipsius legit: *infamem*, & hoc refert ad *cupiditatem*.

3 *Quo arguebatur.*] Vide, inquit Lipsius, nùm verius, certè clarius: *neuter adeò quod arguebat, mentitus argui posset*: id est, neuter falsus convinci, arguique posset in eo quod arguebat. Adeò veram alter alteri culpam objiciebat. Verùm Gruterus miratur doctissimos viros hic implicari circa glossam: aitque nihil vero similius esse quàm Velleium scripsisse dumtaxat: *neuterque mentitus argui posset*: additum esse deinde ab imperio scriba: *ab eo quod arguebatur.*

4 *Moles mari.*] Significantur opera, & ædificia lapidea, sive aggeres, quibus mare coërcetur, atque excluditur.

5 *Xerxem togatum.*] Id est, Romanum: à togâ, quoniam erat propria Romanorum; ut pallium Græcorum. De Xerxe Persarum rege, filio Darii, & Cyri nepote vide Justinum. Asiam Europæ ponte conjunxerat: Athon præterea montem à continente absciderat.

1 *Creta insula.*] Insularum Græco littori objacentium maxima. *Candia* nunc à Metropoli vocatur. A Venetis abhinc sex annis in Turcarum dominium transiit.

nicibus, armorum laborumque patientissimis, sagittarum usu celeberrimis, per triennium Romanos exercitus fatigaverat. [a] Ne ab hujus quidem usurâ gloriæ temperavit animum Cnæus Pompeius, quin victoriæ partem conaretur vindicare. [b] Sed & Luculli & Metelli triumphum cùm ipsorum singularis virtus, tum etiam invidia Pompeii apud optimum quemque fecit favorabilem. Per hæc tempora M. Cicero, qui omnia incrementa sua sibi debuit, [2] vir novitatis nobilissimæ,. &, ut vitâ clarus, ita ingenio maximus, qui effecit, ne, quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur, consul, Sergii Catilinæ Lentulique, & Cethegi & aliorum utriusque ordinis virorum conjurationem singulari virtute, constantiâ, vigiliâ, curáque [3] eruit. Catilina metu consularis imperii urbe pulsus est. Lentulus consularis, & prætor iterum, Cethegusque & alii, clari nominis viri, auctore senatu, jussu consulis, in carcere necati sunt.

XXXV. [a] Ille senatus dies, quo hæc acta sunt, virtutem Marci Catonis, jam multis in rebus conspicuam, atque prænitentem, altissimè illuminavit. Hic, genitus proavo Marco Catone principe illo familiæ Porciæ, [1] homo virtuti simillimus, & per omnia ingenio diis, quàm hominibus, propior, qui nunquam rectè fecit, ut facere videretur, sed quia aliter facere non poterat; cuique id solum visum est rationem habere, quod haberet justitiam, omnibus humanis vitiis immunis, semper fortunam in sua potestate habuit. Hic, tribunus plebis designatus, adhuc admodum adoles-

INTERPRETATIO.

a *Pompeius tenere se non potuit, quin vellet etiam frui hâc gloriâ, conando sibi attribuere partem victoriæ.*

b *Sed optimus quisque probavit triumphum & Luculli, & Metelli, cùm propter ipsorum singularem fortitudinem, tum etiam propter invidiam Pompeii.*

a *Quo die hæc acta sunt in senatu, virtus M. Catonis jam cognita in multis rebus, atque valde illustris, plurimùm splenduit.*

NOTÆ.

2 *Vir novitatis nobilissimæ.*] Id est, vir novus, sed novitate, quam reddidit nobilissimam. Novitas autem nobilitatem inter & ignobilitatem veluti interjecta est: & novus vocatur, qui ex se, suâque virtute, non majorum gloriâ inclaruit; sive, teste Asconio, qui primus è suâ gente honores adeptus est. Ergo qui majorum suorum habebant imagines, hi nobiles: qui suas tantum, hi novi: qui neque majorum, neque suas, hi demùm ignobiles appellabantur.

3 *Eruit.*] Vulgò *eripuit*: at male. Reponendum est aut, *eruit*: aut, *aperuit*. Nam hoc Cicero ipse passim in suâ laude ponit, quòd conjurationem retexerit, in lucem produxerit, vindicandam comprimendamque Senatui præbuerit. Hujus conjurationis seriem è Sallustio repete *in Bell. Catilin.*

1 *Homo virtuti simillimus.* Id est, homo tantæ virtutis, ut ipsa virtus haberi posset.

cens, cùm alii suaderent, ut per municipia Lentulus, conjurati, quæ custodirentur, pænè inter ultimos interrogatus sententiam, tantâ vi animi atque ingenii, invectus est in conjurationem, [b] ut ardore oris orationem omnium, lenitatem suadentium, societate consilii suspectam fecerit: sic impendentia ex ruinis incendiisque urbis, & commutatione statûs publici pericula exposuit, ita Consulis virtutem amplificavit, ut universus senatus in ejus sententiam transiret, animadvertendumque in eos, quos prædiximus, censeret; majorque pars ordinis ejus Catonem prosequerentur domum. At Catilina non segniùs [2] vota obiit, quàm sceleris conandi consilia inierat: quippe, fortissimè dimicans, quem spiritum supplicio debuerat, prælio reddidit.

XXXVI. Consulatui Ciceronis non mediocre adjecit decus [1] natus eo anno Divus Augustus abhinc annos octuaginta duos, [a] omnibus omnium gentium viris magnitudine suâ inducturus caliginem. Jam pænè supervacaneum videri potest, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat [b] diremptos gradibus ætatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Hortensium, [2] unâque Crassum, [3] Catonem, Sulpicium, moxque Brutum, Calidium, Cœlium, Calvum, & proximum Ciceroni Cæsarem; eorumque velut alumnos Corvinum ac Pollionem Asinium, [4] æmulumque Thucydidis Sallustium, auctoresque carminum Varronem, ac Lucretium, neque ullo in suscepti operis sui carmine minorem Catullum. Pænè stulta est, inhærentium oculis ingeniorum enumeratio: inter quæ maximè nostri ævi eminent, princeps carminum

INTERPRETATIO.

b *Ut ardore vultûs in suspicionem adduxerit*, tanquam *participes* ejusdem *consilii*, *eos*, *qui suâ oratione lenitatem suadebant.*

a *Obscuraturus magnitudine suâ omnes omnium gentium viros.*

b *Separatos ætate* quasi *gradibus*.

NOTÆ.

2 *Vota.*] Vulgò, nota. Sed rectiùs, *vota*: id est, quæ voverat, ac destinaverat, fortè etiam, *mota* (quod notavit Lipsius, ut sensus sit, non segniùs peragere à se mota voluit, quàm ea movere cœperat: utrobique audax, in ordiendo, & in exequendo.

1 *Natus eo anno.*] Hic fuit U. C. 693. Ant. Chr. 66.] *Divus Augustus*, Octavius Cæsar.

2 *Unâque Crassum.*] Ita lego cum Lipsio, non, ut alii legunt, *senemque Crassum*. Sensus est: hâc ipsâ ætate floruerunt pariter in eloquentiâ Crassus, Cato, &c. Crassum autem illum Divitem intelligit, quem & Cicero eo nomine laudat, & Plutarchus inter Romanos eloquentissimum fuisse dicit.

3 *Catonem.*] Intellige Uticensem.

4 *Æmulumque Thucydidis Sallustium.*] Id est, & Sallustium, qui Thucydidem imitandum sibi proposuit. Singuli porrò Scriptores, qui hic enumerantur, Latini sunt præter Thucydidem, Historicum Græcum, Atheniensem. Cujus stylus adeò Demostheni placuit, ut ejus librum octies suâ manu descripserit, ac totum ferè edidicerit.

[c] Virgilius, Rabiriusque, & consecutus Sallustium Livius, Tibullusque, & Naso, perfectissimi in formâ operis sui. Nam vivorum ut magna admiratio, ita censura difficilis est.

XXXVII. Dum hæc in urbe, Italiâque geruntur: Cnæus Pompeius memorabile adversùs Mithridatem, qui post Luculli profectionem magnas novi exercitûs vires reparaverat, bellum gessit. At rex, fusus fugatusque, & omnibus exutus copiis, Armeniam Tigranemque [1] socerum petit, regem ejus temporis, nisi quia Luculli armis [2] erat infractus, potentissimum. Simul itaque duos persecutus Pompeius, intravit Armeniam. Prior filius Tigranis, sed discors patris, pervenit ad Pompeium, mox ipse supplex, & præsens se regnumque ditioni ejus permisit; præfatus neminem alium, neque Romanum, neque ullius gentis virum, futurum fuisse, [3] cujus se societati commissurus foret, quàm Cnæum Pompeium: proinde omnem sibi vel adversam, vel secundam, cujus auctor ille esset, fortunam tolerabilem futuram: non esse turpe, ab eo vinci, quem vincere esset nefas: neque ei inhonestè aliquem summitti, quem fortuna super omnes extulisset. Servatus regi honos imperii, sed multato ingenti pecuniâ: quæ omnis, sicuti Pompeio moris erat, redacta in quæstoris potestatem, [4] ac publicis descripta litteris. Syria, aliæque, quas occupaverat, provinciæ ereptæ; & aliæ restitutæ populo Romano, aliæ tum primùm in ejus potestatem redactæ, ut Syria, quæ tum primùm facta est stipendiaria. Finis imperii regis terminatus [5] Armeniâ.

INTERPRETATIO.

c *Penè stultitia est enumerare* singulos præstantis *ingenii* homines, *quos adhuc cernimus: inter quos præstantissimi nostri temporis sunt, Virgilius, &c.*

NOTÆ.

5 *Et consecutus Sallustium Livium.*] Hæc verba è suo loco translata in alienum Manutio videntur. Quid enim Poëtis interponatur, historiarum scriptor, Livius? At non item mihi videntur; neque videbuntur etiam aliis, modò sic intelligantur: penè stulta est, inhærentium oculis, ingeniorum enumeratio: inter quæ maximè nostri ævi eminent, poëtæ quidem, princeps carminum Virgilius, Rabiriusque, Tibullusque, & Naso, &c. Historicus verò, qui Sallustium consecutus est, Livius. Ubi *consecutus* accipio pro *imitatus.* Nam Sallustio longè inferior fuit Livius: imò tantùm non ævi Velleiani. Quippe obiit, Eusebio teste, quarto imperii Tiberiani anno.

1 *Socerum.*] Cum omnibus lege: *generum*, aut, *socer ejus.*

2 *Erat infractus.*] Id est, perdomitus.

3 *Cujus se societati.*] Manutius vult legi, *fidei*: quod Latinæ linguæ puritas exigit.

4 *Ac publicis descripta litteris.*] Publicas litteras dicimus Gallicè: *Registres.* Sic publicis litteris describere significat, *enregistrer.*

5 *Armeniâ.*] Asiæ regio inter Taurum & Caucasum montes, à Cappadociâ ad Caspium usque mare protensa est: Euphrate in majorem & minorem divisa. Major hodie dicitur *Turcomanie* & *Curdistan.* Minor, *Aladuli.* Ambæ Turcis parent.

XXXVIII. Haud absurdum videtur propositi operis regulæ, paucis percurrere, quæ cujusque ductu gens, ac natio [1] redacta in formulam provinciæ, [2] stipendia pacta sit: [3] notavimus faciliùs, ut quæ partibus simul universa conspici possint. [4] Primus in Siciliam transjecit exercitum consul Claudius, & provinciam eam, post annos fermè quinquaginta duos, captis Syracusis; fecit Marcellus Claudius. [5] Primus Africam Regulus, nono fermè anno primi Punici belli: sed post ducentos quatuor annos P. Scipio Æmilianus, erutâ Carthagine, abhinc annos centum octuaginta duos Africam in formulam redegit provinciæ. [6] Sardinia inter primum & secundum bellum Punicum, ductu Titi Manlii consulis, [7] certum recepit imperii jugum. [8] Immane bellicæ civitatis argumentum, quod semel sub regibus, iterum hoc Tito Manlio Consule, tertiò Augusto principe, certæ pacis argumentum [9] Janus Geminus clausus dedit. In Hispanias primi omnium duxêre exercitus Cnæus & Pu-

NOTÆ.

1 *Redacta in formulam provinciæ.*] In formulam provinciæ redigere nihil erat aliud, quàm patriam libertatem, & domesticas leges adimere: Romanas autem dare, ac prætorem, qui ex datis legibus provinciam administraret, instituere.

2 *Stipendia pacta sit.*] Scribe, *stipendiaria facta sit.* Neque enim, quod bene Lipsius observat, gentes victæ pacisci cum Româ victrice de stipendiis solebant. Imò verò ipsa superbè imponebat.

3 *Notavimus faciliùs.*] In hunc locum duas profero lectiones; alteram Vossii: *Id notabimus, facilius ut, quàm partibus simul universa conspici possint.* Alteram Acidalii: *Ut, quæ partibus notabimus, facilius simul universa conspici possint.*

4 *Primus in Siciliam.*] Schegkius Velleium gemini erroris arguit. Nam 1. non à Marcello, sed à M. Valerio Lævino Sicilia provincia facta est. 2. Provincia facta est iisdem temporibus, quibus Sardinia. Ita Solinus & Pomponius *de orig. Juris.* Accuratam factarum provinciarum historiam habes apud Sigonium.

5 *Primus Africam.*] Intravit. *Sed post ducentos quatuor,* tolle centenarii notam, juxta Lipsii computationem.] *Centum octuaginta*, ex eodem Lipsio repone. 177.

6 *Sardinia.*] Italiæ insula, *La Sardaigne*: olim titulo regio insignita; nunc ab Hispano prorege regitur. Insulæ caput est Calaris, *Cagliari.*

7 *Certum.*] Id est, firmum ac perpetuum. Quomodo dicitur apud Martialem: *Gaudeat & certâ virginitate soror.* Non omittam quod observavi apud Cicer. *lib.* 5. *epist.* 21. *ad Attic.* dici *certum* hominem, pro gravi, & moribus antiquis.

8 *Immanè bellicæ Civitatis, &c.*] Sensus est: Illud unum maximè probat propensionem nostræ civitatis ad arma, quòd ab ejus conditu usque ad nos templum Jani Gemini ter solùm clausum fuerit in certæ pacis argumentum: semel regnante Numa: iterum sub hoc Tito Manlio post bellum Punicum secundum: denique, Augusto principe, post bellum Actiacum.

9 *Janus Geminus.*] De Jano varia commenta legere est: dum alii mundum, alii cœlum, alii solem esse contendunt. Huic Numa Pompilius extruxit templum, quod bello claudebatur, pace aperiebatur. Sed unde geminus, biceps, bifrons? hinc nimirùm, quòd veteres Janum putaverint Noë: quem bifrontem idcirco finxerant, quòd geminum ævum vidisset, ante & post diluvium. Prætereà Janum januarum præsidem atque custodem esse credebant. Quare clavem ei instar sceptri appingebant. Ovid. 1. *Fast.*

blius,

blius Scipiones, initio secundi belli Punici, abhinc annos ducentos quinquaginta. Inde variè possessa, & sæpe amissa partibus, universa, ductu Augusti, facta stipendiaria est. Macedoniam Paullus, Mummius Achaiam, Fulvius Nobilior subegit Ætoliam: Asiam Lucius Scipio, Africani frater, eripuit Antiocho; sed beneficio senatus, Populique Romani, [10] mox ab Attalis possessam regibus, Marcus Perperna, capto Aristonico, fecit tributariam. [11] Cypro devictâ, nulli assignanda gloria est. Quippe [12] Senatusconsulto, ministerio Catonis, regis morte, [13] quam ille conscientiâ acciverat, facta provincia est. [a] Creta, Metelli ductu, longissimæ libertatis fine multata. At Syria, Pontusque, Cnæi Pompeii virtutis monumenta sunt.

XXXIX. Gallias primùm Domitio & Fabio nepoti Paulli, qui Allobrogicus vocatus est, intratas cum exercitu, magnâ mox clade nostrâ, sæpe & affectavimus, & amisimus: sed fulgentissimum Caii Cæsaris opus in iis conspicitur; quippe, ejus ductu, auspiciisque infractæ, [1] pænè idem, quod totus terrarum orbis, ignavum conferunt stipendium. Ab eodem [2] facta Numidia. Ciliciam perdomuit Isauricus, & post bellum Antiochicum Vulso Manlius [3] Gallogræciam. Bithynia, ut prædiximus, testamento Nicomedis relicta hereditaria. Divus Augustus, præter Hispanias, aliásque gentes, quarum titulis [4] forum ejus prænitet, pænè idem, factâ Ægypto stipendiariâ, quantùm pater ejus Galliâ, in ærarium reditus contulit. [5] At Tiberius Cæsar, quàm certam Hispanis parendi confessionem

INTERPRETATIO.

a *Sub ductu Metelli adempta est* Insulæ *Creta libertas, quâ gaudebat abhinc tot annos.*

NOTÆ.

10 *Mox ab Attalis.*] Lege: *Attalicis*, Nam reges Pergami sic vocabantur, quia aliquot Attali nomine insignes fuerant.

11 *Cypro devicta.*] Lege cum Lipsio: *Cypri devicta.* Insula est Asiæ in mari Mediterraneo, vulgò, *Cypre.* Insulæ caput est Nicosia, *Nicosie.*

12 *Senatusconsulto.*] Magis plebiscito; sed quod Senatus confirmaverit.

13 *Quam ille conscientiâ.*] Id est, quam ille attulerat sibi conscius; aut vitiorum suorum ac malefactorum: aut suarum virium, cum quibus impar erat resistendo Romanis.

1 *Panè idem.*] An vult tantum à Galliis, quantum à toto reliquo orbe conferri stipendium? Minimè. Quare has voces transpono cum Lipsio: *idem, quod panè totus terrarum orbis, ignavum, &c.* Verùm quid hìc *ignavum*? Manutius legit: *in ærarium.* Lipsius: *in annos.* At hæc supervacanea duco cum Acidalio. Insultat enim Velleius contumeliosâ voce Gallis: qui antea invicti, nunc velut fracti & ignavi stipendium cum reliquis barbaris solvant.

2 *Facta Numidia.*] Scilicet provincia. Aliqui tamen legunt: *fracta.*] *Isauricus*, nomine Servilius.

3 *Gallogræciam.*] Aliter Galatiam, Asiæ majoris regionem: quæ sic dicta est à Gallis, eò post incensam Romam ex Italia transgressis, & commoratis.

4 *Forum ejus.*] Scilicet, quod reædificavit.] *Pater ejus.* Julius Cæsar Galliâ, scilicet captâ: vel factâ stipendiariâ.

5 *At Tiberius, &c.*] Sensus est: At Tiberius Cæsar coëgit Illyrios & Dalmatas

extorserat parens, Illyriis, Dalmatisque extorsit. [6] Rhætiam autem, & Vindelicos, ac Noricos, Pannoniamque, & Scordiscos novas imperio nostro subjunxit provincias. Ut has armis, ita auctoritate [7] Cappadociam populo Romano fecit stipendiariam. Sed revertamur ad ordinem.

XL. [a] Secuta deinde Cnæi Pompeii militia, gloriæ, laborisne majoris, incertum est. Penetratæ cum victoriâ [1] Media, Albania, Iberia; [b] ac deinde flexum agmen ad eas nationes, quæ dextra, atque intima Ponti incolunt, Colchos, Heniochosque, & Achæos: & oppressus auspiciis Pompeii, insidiis filii Pharnacis, Mithridates, [c] ultimus omnium juris sui regum, præter Parthicos. Tum victor omnium, quas adierat, gentium Pompeius, [d] suoque & civium voto major, & per omnia fortunam hominis egressus, revertit in Italiam, [2] cujus reditum favorabilem opinio fecerat. Quippe plerique non sine exercitu venturum in urbem affirmabant, [e] & libertati publicæ staturum arbitrio suo modum. Quò magis hoc homines timuerant, eò gratior [3] civilis tanti imperatoris reditus fuit. Omni quippe Brundusii dimisso exercitu, nihil, præter nomen imperatoris, retinens, [f] cum privato comitatu, quem semper illi vacare moris fuit, in urbem rediit; magnificentissimumque de tot regibus

INTERPRETATIO.

a *Deinde Cnæus Pompeius gessit bellum*, in quo *dubium est utrum tulerit plus laboris, an plus gloriæ.*

b *Ac deinde conversa sunt copiæ in eas gentes, quæ incolunt remotissimas plagas ad dextram Ponti* Euxini, *Colchos, &c.*

c *Ultimus omnium regum, qui à nobis non pendebant, præter reges Parthorum.*

d *Major, quàm nec ipse, nec cives optaverant.*

e *Et positurum terminos libertati publicæ ad arbitrium suum.*

f *In urbem rediit cum comitatu*, qui *privatum* hominem decebat, & *qui solebat semper illi adesse.*

NOTÆ.

profiteri, se obedituros tàm perpetuo, quàm Hispani professi fuerant, eos ad id cogente parente, scilicet Augusto.

6 *Rhætiam autem*] *Les Grisons.*] Vindelicos, qui nunc incolunt Ducatum Bavariæ, & partem Australem Sueviæ provinciæ: Noricos, qui Austriæ & Stiriæ maximam partem Carinthiam, Carniolam, ditionem Salisburgensem, exiguam partem Bavariæ superioris,& aliquot loca comitatûs Tirolensis.] Pannoniam.] *La Hongrie.*] Scordiscos.] vulgò *Bosnesi*, aut, *Bosnachi*.

7 *Cappadociam.*]Asiæ regio ampla est, Euxino mari exposita, inter Galatiam ad Occasum, & Armeniam ad Ortum.

1 *Media, Albania, Iberia*] Asiæ regiones, sub Turcarum dominio. Nunc, Albania quidem Georgiæ pars Orientalis est inter Iberiam, & mare Caspium sita: Iberia verò Georgiæ pars Occidentalis inter Albaniam & Colchidem.

2 *Cujus reditum favorabilem.*] Lego cum Aldo *formidabilem*. Nam rumor fuerat Pompeium cum exercitu rediturum, &, instar Sullæ & Marii, urbem invasurum. Quod cives valde reformidabant.

3 *Civilis.*] Id est, popularis reditus, sive more privati civis.

per biduum egit triumphum; longéque majorem omni ante se inlatâ pecuniâ in ærarium, [4] præterquam à Paullo, ex [5] manubiis intulit. Absente Cnæo Pompeio, Titus Ampius, & Titus Labienus, tribuni plebis legem tulerunt, ut his ludis Circensibus coronâ [6] aureâ, & omni cultu triumphantium uteretur; [g] scenicis autem [7] prætextâ, coronâque aureâ. Id ille non plus, quàm semel (& hoc sanè nimium fuit) usurpare sustinuit. [h] Hujus viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit, ut primùm ex Africa, iterum ex Europâ, tertiò ex Asia triumpharet: &, quot partes terrarum orbis sunt, totidem faceret monumenta victoriæ suæ. Nunquam eminentia invidiâ carent. Itaque & Lucullus [8] memor tamen acceptæ injuriæ, & Metellus Creticus, non injustè quærens (quippe, ornamentum triumphi ejus, captivos duces Pompeius subduxerat) & cum iis pars optimatium refragabatur, ne aut promissa civitatibus à Pompeio, aut benè meritis præmia, ad arbitrium ejus, persolverentur.

XLI. Secutus deinde est consulatus Caii Cæsaris; qui scribenti manum injicit, & quamlibet festinantem, in se morari cogit. Hic nobilissimâ Juliorum genitus familiâ, &, quod inter omnes antiquissimos constabat, [1] ab Anchise, ac Venere deducens genus, formâ omnium civium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentiæ effusissimus, animo super humanam & naturam, & fidem evectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientiâ periculorum, Magno illi Alexandro, [2] sed sobrio neque

INTERPRETATIO.

g *Theatralibus autem* ludis.

h *Fortuna amplificavit tantis incrementis magnitudinem bujus viri, ut, &c.*

NOTÆ.

4 *Præterquam à Paullo.*] Aut id dele cum Vossio; aut cum eodom repone, *etiam à Paullo*. Quippe constat Pompeium plus pecuniæ in ærarium contulisse, quàm Paullum. Paullus intulit solùm, *deux cent dix millions de sesterces*: Pompeius autem viginti millia talentûm, *douze millions d'or*, quæ Paullinam pecuniam duplo superant.

5 *Ex manubiis.*] Manubiæ dicuntur pecuniæ, quæ ad quæstorem, ex prædæ venditione, redeunt. Neque alio sensu manubias accipiunt, qui Latinè, & accuratè loquuntur.

6 *Aureâ.*] Lipsius legit: *laureâ*, quia triumphantium corona e lauro erat, non ex auro, teste Dione lib. 37. Sic etiam legendum paulò infrà: *Coronâque laureâ.*

7 *Prætextâ.*] Togâ, purpuræ lembo prætexta: quod erat Romanorum magistratuum insigne.

8 *Memor tamen.*] Non possum assentire Vossio neganti, *tamen*, hic poni pro *etiamnum*, sive *adhuc*; quod affirmat Acidalius, quem sequor. Sed quam hoc loco injuriam Velleius commemorat? Opinor eam, quam Lucullus accepit (si tamen injuria est) cùm eo posthabito, bellum Mithridaticum Pompeio decretum est.

1 *Ab Anchise ac Venere.*] Quia Venus Æneadûm genitrix. Romani autem auctorem sui generis Æneam, teste Strabone, dicebant. Quin etiam Julii cognomen ab Iulo qui unus fuit ex Æneæ posteris, deducit.

2 *Sed sobrio.*] Adeò vinosus erat Alexander, ut aliquando ebrius: rapto telo, Clitum, amicissimum sibi senem, in medio convivio occiderit.

iracundo, simillimus; qui denique semper & somno, & cibo in vitam, non in voluptatem, uteretur; cùm fuisset [3] Caio Mario sanguine conjunctissimus, atque idem Cinnæ gener: cujus filiam ut repudiaret, nullo modo compelli potuit; cùm Marcus Piso consularis Anniam, quæ Cinnæ uxor fuerat, in Sullæ dimisisset gratiam; habuissetque ferè octodecim annos eo tempore, quo Sulla rerum potitus est; magis ministris Sullæ, adjutoribusque partium, quàm ipso, conquirentibus eum ad necem, mutatâ veste, dissimilemque fortunæ suæ indutus habitum, nocte urbe elapsus est. Idem postea admodum juvenis, cùm à Piratis captus esset, ita se per omne spatium, quo ab iis retentus est, apud eos gessit, ut pariter iis, terrori venerationique esset; neque unquam aut nocte, aut die (cur enim, quod vel maximum est, si narrari verbis speciosis non potest, omittatur,) aut excalcearetur, aut discingeretur; in hoc scilicet, ne, si quando aliquid ex solito variaret, suspectus iis, qui oculis tantummodò eum custodiebant, foret.

XLII. Longum est narrare, quid, & quoties ausus sit; [a] quanto opere conata ejus, qui obtinebat Asiam magistratus populi Romani, metu suo destituerit. [b] Illud referatur, documentum tanti mox evasuri viri. Quæ nox eam diem secuta est, quâ publicâ [1] civitatium pecuniâ redemptus est, (ita tamen, ut cogeret, antè obsides à piratis civitatibus dari) contractâ classe, & privatus, [2] & tumultuariâ, invectus in eum locum, in quo ipsi prædones erant, partem classis fugavit, [3] partem mersit, aliquot naves, multosque mortales cepit; lætusque nocturnæ expeditionis triumpho, ad suos reversus est, mandatisque custodiæ, quos ceperat, in Bithyniam perrexit, ad proconsulem Junium [[4] cùm idem enim Asiam eam quam obtinebat] petens, ut auctor fieret sumendi de captivis sup-

INTERPRETATIO.

a *Quantâ pertinaciâ magistratus populi Romani, qui administrabat Asiam, noluerit ob metum respondere ejus cœptis.*

b *Referamus illud omen futuræ magnitudinis hujus viri.*

NOTÆ.

3 *Caio Mario sanguine.*] Ei cognatus fuit: seniori autem Mario affinis. Legitur enim apud Plutarchum, Juliam Cæsaris amitam nuptam C. Mario fuisse, ex quâ minor Marius natus.

1 *Civitatium.*] Scilicet, Asiæ.

2 *Et tumultuariâ.*] Id est, raptim, & festinanter paratâ.

3 *Partem mersit.*] Gallicè: *Il en coula à fond une partie.*

4 *Cùm idem enim.*] Duplex lectio 1. veteris scripturæ: *tum idem enim Asiam, eamque obtinebat.* Hoc sensu. Tùm, (scilicet aliter quàm nostro ævo) unus idemque proconsul Asiæ, & Bithyniæ erat. Ingeniosè quidem: at contra pugnat, quod tum Bithynia non esset provincia, sed regnum. 2. Manutii: *Is enim tum Asiam obtinebat.* Hanc lectionem secutus est in editione suâ Thysius.

plicii, quod cùm ille se facturum negasset, [5] venditurumque captivos dixisset, [quippe sequebatur invidia inertiam] incredibili celeritate revectus ad mare, priùs, quàm de eâ re ulli proconsulis redderentur epistolæ, omnes, quos ceperat, suffixit cruci.

XLIII. Idem mox ad sacerdotium ineundum [quippe absens Pontifex factus erat, [1] cùm in Cottæ consularis locum pænè puer à Mario Cinnaque Flamen Dialis creatus, victoriâ Sullæ, qui omnia ab iis acta fecerat irrita, amisisset id sacerdotium] festinans in Italiam, ne conspiceretur à prædonibus, omnia tunc obtinentibus maria, & meritò jam infestis sibi [2] quatuor scalmorum navem una cum duobus amicis, decemque servis, ingressus [a] effusissimum [3] Hadriatici maris transjecit sinum. Quo quidem in cursu conspectis, ut putabat, piratarum Navibus, cùm exuisset vestem, alligassetque pugionem ad femur, alterutri se fortunæ parans, mox intellexit, frustratum esse visum suum, arborumque ex longinquo ordinem antennarum præbuisse imaginem. Reliqua ejus acta in urbe, [4] nobilissimaque Dolabellæ accusatio, [5] & major civitatis in ea favor, quàm reis præstari solet; contentionesque civiles, cum Quinto

INTERPRETATIO.

a *Vastissimum.*

NOTÆ.

5 *Venditurumque captivos.*] Lipsius mallet legi: *vindicaturumque*: id est, assertum in libertatem. Verùm cave, quod monet Vossius, auscultes ei. Cæsar mortem prædonibus minatus erat: Junius proconsul, objectâ spe pretii, se sub coronâ venditurum eos respondit. Quo quid Cæsaris votis contrarium magis? Præterea sentit cum Velleio Plutarchus.

1 *Cum in Cotta consularis locum.*] Hæ voces si leguntur, ut hic jacent; bis errat Velleius. 1. Quòd Cottam flaminem facit. 2. Quòd Cæsarem dat ei successorem. Nam ex Tacito & Dione patet septuaginta sex annos, intermedios à Cornelii Merulæ cæde, flaminibus caruisse: maximè verò ex Dione, qui *lib.* 54. refert, primam, post Merulam, flaminem dialem sub Augusto creatum. Quomodo igitur aut Cotta flamen, aut Cæsar? Una vocula trajecta nodum solvet. Ergo lege eum Lipsio: *quippe absens Pontifex factus erat in Cotta consularis locum, cùm pænè puer à Mario, &c.* Atqui ipsa res est, ac Vellei mens. Pontifex, inquit, factus erat in locum demortui Cottæ Pontificis: cùm antea flamen quidem designatus esset à Mario & Cinna: sed Sullæ victoriâ honor ille ademptus est.

2 *Quatuor scalmorum.*) Gall. *A quatre rames, ou avirons.* Scalmus, ligneus, aut ferreus, teresque clavus est, cui nautæ remos alligant loro.

3 *Hadriatici maris sinum.*) Gallis, *le Golphe de Venise, & mer Adriatique.* Extenditur inter Italiam ad Occasum, & Illyricum ac Albaniam ad Ortum, à Venetiis Hydruntum usque & Epirum.

4 *Nobilissimaque Dolabellæ accusatio.*) Hanc accusationem Cæsar adversus Dolabellam egit uno& vicesimo ætatis anno: ob eam, teste Suetonio, principibus patronis annumeratus.

5 *Et major civitatis in ea favor.*) Id est, in quâ accusatione civitas Dolabellæ magis favit, quàm solet favere reis. Licet enim Dolabellam Cæsar accusaret repetundarum, & insectaretur vehementer: non tamen obtinuit, ut damnaretur.

Catulo, atque aliis eminentissimis viris, celeberrimæ; & ante præturam victus, maximi pontificatus petitione, Quintus Catulus, omnium confessione senatus princeps; & restituta in ædilitate, adversante quidem nobilitate, [6] monumenta Caii Marii; simulque revocati [b] ad jus dignitatis proscriptorum liberi; & præturâ quæsturâque mirabili virtute atque industriâ obitâ in Hispania, cùm esset quæstor sub Vetere Antistio, avo hujus Veteris, consularis atque Pontificis, duorum consularium & sacerdotum patris, [c] viri in tantum boni, in quantum humana simplicitas intelligi potest; quo notiora sunt, minus egent stylo.

XLIV. [1] Hoc igitur consule, inter eum, & Cnæum Pompeium, & Marcum Crassum inita potentiæ societas, quæ urbi orbique terrarum, nec minus diverso [2] quoque tempore, ipsis exitiabilis fuit. Hoc consilium sequendi Pompeius causam habuerat, ut tandem acta in transmarinis provinciis, quibus, ut prædiximus, multi obtrectabant, per Cæsarem confirmarentur consulem: Cæsar autem, quod animadvertebat se, cedendo Pompeii gloriæ, aucturum suam, & invidiâ communis potentiæ in illum relegatâ, confirmaturum vires suas: Crassus, ut, quem principatum solus assequi non poterat, auctoritate Pompeii, viribus teneret Cæsaris. Affinitas etiam inter Cæsarem, Pompeiumque contracta nuptiis. [3] Quippe filiam Caii Cæsaris Cnæus Magnus duxit uxorem. In hoc consulatu Cæsar legem tulit; [4] ut ager Campanus plebei divideretur, suasore legis Pompeio. Ita circiter viginti millia civium eò deducta, [5] & jus ab his restitutum post annos circiter centum quin-

INTERPRETATIO.

b *Ad jus* adipiscendi *dignitates*.

c *Viri adeò boni, ut non possit cogitari major in homine candor.*

NOTÆ.

6 *Monumenta C. Marii.*] Quæ Sulla disjecerat. Monumenta vocat trophæa Marii, sive Jugurthæ, Cimbrorum, atque Teutonum, quæ plurima Marius retulerat spolia, quæ in stipitibus figebantur, & in editiotibus urbis locis ponebantur.

1 *Hoc igitur consule.*] Solùm designato, seu *consulatûs candidato*: quæ Suetonii & Livii verba sunt.

2 *Quoque.*] Acidalius & Vossius volunt legi: *quoique*, quo modo veteres legebant, pro *cuique*.

3 *Quippe filiam C. Cæsaris.*] Juliam.

4 *Ut ager Campanus.*] Id est, agri Capuam circum jacentes. Erant autem publici, aut saltem publicâ pecuniâ à privatis redempti. Solum, teste Cicerone, dividendi inter eos è plebe, qui ternos pluresve liberos haberent.] *Plebei*, dativus antiquus.

5 *Et jus ab his restitutum.*] A Cæsare, & Pompeio. Miratur Vossius, cur cum Puteano Lipsius vulgatam lectionem sic mutet: *& jus civitatis restitutum.* Jus interpretare jurisdictionem. Nam de Capuâ, bello Punico, sic Livius: *Ceterum habitari tantùm, tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit: corpus nullum civitatis, nec senatum, nec plebis concilium, nec magistratus esse. Præfectum ad jura reddenda quotannis à Româ missuros.*

quaginta duos, quàm bello Punico ab Romanis Capua [6] in formam præfecturæ redacta erat. Bibulus, collega Cæsaris, cùm actiones ejus magis vellet impedire, quàm posset, majore parte anni domi se tenuit. Quo facto, dum augere vult invidiam collegæ, auxit potentiam. Tum Cæsari decretæ in quinquennium [7] Galliæ.

XLV. Per idem tempus Publius Clodius, homo nobilis, disertus, audax, [a] qui neque dicendi, neque faciendi ullum, nisi quem vellet, nosceet modum, malorum propositorum executor acerrimus, infamis etiam sororis stupro, [b] & actus incesti reus, ob initum inter religiosissima populi Romani [1] sacra adulterium; cùm graves [2] inimicitias cum Marco Cicerone exerceret, (quid enim inter tam dissimiles amicum esse poterat ?) [3] & à patribus ad plebem transiret, legem in tribunatu tulit: Qui civem Romanum [4] indemnatum interemisset, ei aquâ & igni interdiceretur. Cujus verbis, etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur. Ita vir optime meritus de republica, conservatæ patriæ pretium [c] calamitate exilii tulit. Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Cæsar & Pompeius. Hoc sibi contraxisse videbatur Cicero, quod inter viginti viros [6] dividendo agro Campano esse noluisset. [7] Idem intra

INTERPRETATIO.

a *Qui nullam sequeretur regulam suorum verborum, atque factorum, præter suam voluntatem.*

b *Et accusatus incesti, propter commissum adulterium inter sacrificia sanctissima populi Romani.*

c *Pœnâ.*

NOTÆ.

6 *In formam præfecturæ.*] Urbs ea dicebatur in præfecturæ formam redigi, in quâ unus erat præfectus, Româ missus.

7 *Galliæ.*] Scil. Cisalpina, & Transalpina.

1 *Sacra.*] Bonæ Deæ, sive Cybelæ matri deorum. Noctu fiebant à muliebri sexu, virili remoto, in ædibus consulis, aut Pontificis. Locum, ubi hæc sacra fiebant, Cicero vocat opertum Bonæ-Deæ. Ipsa verò sacra Plinio dicuntur *opertanea*, id est, quæ in operto fiunt.

2 *Inimicitias cum M. Cicerone.*] Harum inimicitiarum testis esse potest oratio Ciceronis pro M. Cælio adversus Clodium, ubi Clodium, ut par erat pro ejus vitiis, insectatur.

3 *Et à patribus ad plebem transiret.*] Imò *transisset*, ut bene notat Vossius, & edidit Gryphius. Id verò novâ ratione factum est; Cæsare legem ferente de adoptione, quâ in familiam, quæ ordinis esset plebeii, Clodius admitteretur. Ut nimirum Tribunatum, qui patriciis non patebat (quoniam magistratus popularis erat) obtinere posset.

4 *Indemnatum.*] Id est, non damnatum à populo, seu potiùs indictâ causâ damnatum.

5 *Tamen solus petebatur.*] Id est, notabatur. Nam Cicero Lentulum, & Cethegum, aliosque conjuratos in carcere, indictâ causâ, necaverat.

6 *Dividendo agro Campano.*] Subaud. *præpositos.*

7 *Idem intra biennium.*] Abfuit Cicero tantum menses quatuordecim. Pulsus enim in exilium ann. 695. circiter Kal. Aprilis; anno insequenti rediit, mense sextili. Plutarchus tamen menses sedecim computavit: sed, Lipsii judicio, parùm exactè.

biennium, ferâ Cnæi Pompeii curâ, [8] verùm & cupito interitu, votisque Italiæ, ac decretis senatus, [9] virtute atque actione Annii Milonis, tribuni plebis dignitati patriæque restitutus est. Neque, [10] post Numidici exilium, aut reditum, quisquam aut expulsus [11] invidiosiùs, aut receptus est lætiùs. Cujus domus, quàm infestè à Clodio disjecta erat, tam speciosè à senatu restituta est. Idem Publius Clodius in senatu, sub honorificentissimo ministerii titulo, Marcum Catonem à republica relegavit. Quippe legem tulit, ut is, quæstor cum jure prætorio, adjecto etiam quæstore mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemæum, [12] omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum. Sed ille, sub adventum Catonis, [13] vitæ suæ vim intulit. Unde pecuniam longè speratâ majorem Cato Romam retulit: [14] cujus integritatem laudari, nefas est: insolentia pænè argui potest, quòd, unà cum consulibus ac senatu effusâ civitate obviam, cùm per Tiberim subiret navibus, [15] non antè is egressus est, quàm ad eum locum pervenit, ubi erat exponenda pecunia.

XLVI. Cùm deinde immanes res, vix multis voluminibus explicandas, Caius Cæsar in Gallia ageret; nec contentus plurimis, ac felicissimis victoriis, innumerabilibusque cæsis, & captis hos-

NOTÆ.

8 *Verùm & cupito interitu.*) Duplex hujus loci sensus est, pro duplici lectione. Cùm enim vulgo legeretur: (*verùm & cupit interita*:) 1 Rhenanus edidit: *verùm & cupito interitu.* 2 Ursinus edidit: *verum, ut cœpit, interitâ.* Juxta Rhenani lectionem, quam sequitur Vossius, sensus est: idem Cicero intra duos annos suis dignitatibus & patriæ redditus est, operâ, quam illi Cnæus Pompeius præstitit, serò quidem, atque etiam post desideratam Ciceronis mortem, &c. Juxta Ursini verò lectionem, quam Lipsius & Schegkius sequuntur, sensus est: Cicerò patriæ redditus est operâ, quam Cnæus Pompeius illi præstitit, tardè quidem: at, ex quo eam illi præstare cœpit, interitus.

9 *Virtute atque actione Ann. Milonis.*) Id est, animo & studio, quo Annius Milo Tribunus plebis egit apud populum, ut is Ciceronis reditum comprobaret. Ubi observabis obiter actionem variè dici. Pro eâ parte eloquentiæ, quæ voce motúque corporis constat. 2. Pro accusatione: quemadmodum actor pro accusatore sumitur. 3, Pro oratione, quæ alicujus defendendi gratiâ fit. 4. Pro jure agendi, sive judicium intentandi. 5. Pro vivendi ratione seu modo: Cicer. 3. *Offic.* ad eas res parandas, quibus actio vitæ continetur.

10 *Post Numidici exilium.*] Cognomen est Metelli, à Numidiâ devictâ.

11 *Invidiosiùs.*] Id est, majori cum odio eorum, qui hujus exilii authores erant.

12 *Omnibus morum vitiis.*] Dic veriùs, cum *Amm. Marcellino*, Populum Romanum avidè magis, tùm propter ingentes insulæ Cypri divitias, cùm propter ærarii sui angustias, quàm justè, propter Ptolemæi vitia, regnum ejus invasisse.

13 *Vitæ suæ vim intulit.*] Hausio veneno.

14 *Cujus integritatem laudari, &c.*). Sensus est: cui faceret injuriam, qui ejus integritatem, & abstinentiam à pecuniâ laudaret, quia omnes laudes superat.

15 *Non antè is egressus.*) Lege cum Manutio: *non ante iis.* (navibus) *egressus est.*

tium:

tium millibus, [1] etiam in Britanniam transjecisset exercitum, alterum pænè imperio nostro, ac suo quærens orbem: [2] invictum par consulum Cnæus Pompeius, & Marcus Crassus, alterum inière consulatum, qui neque petitus honestè ab his, neque [a] probabiliter gestus est. Cæsari, lege, quam Pompeius ad populum tulit, prorogatæ [3] in idem spatium temporis provinciæ: Crasso, bellum Parthicum in animo molienti, Syria decreta, qui vir, [4] ceterà sanctissimus, immunisque voluptatibus, neque in pecunia, neque in gloria concupiscenda, aut modum norat, aut capiebat terminum; hunc proficiscentem in Syriam [5] diris cum ominibus, tribuni plebis frustrà retinere conati, [b] quorum execrationes si in ipsum tantummodo valuissent, utile imperatoris damnum salvo exercitu fuisset reip. Transgressum Euphratem Crassum, petentemque [6] Seleuciam, [7] circumfusis immanibus copiis equitum, rex Orodes, una cum parte majore Romani exercitus, interemit, reliquias legionum Caius Cassius, atrocissimi mox auctor facinoris, tùm quæstor, conservavit: Syriamque adeò in Pop. Romani potestate retinuit, ut transgressos in eam Parthos, felici rerum eventu fugaret, ac funderet.

INTERPRETATIO.

a *Cum approbatione.*
b *Quorum imprecationes si solùm recidissent in Crassum, jactura hujus ducis utilis fuisset reipublicæ, exercitu incolumi.*

NOTÆ.

1 *Etiam in Britanniam.*] Insula est Europæ maxima, Angliam & Scotiam complectens, in Oceeano Galliæ obversa. Magna dicitur, ut à minore Britanniâ, sive Aremorica distinguatur. Hic de magnâ sermo est: ubi videtur alludere ad Virgilianum illud 1. Ecl. *Et penitus toto divisos orbe Britannos.*

2 *Invictum par consulum.*] Cùm in veteri Codice sit: *Victus par Consulum*, triplex est lectio. 1. Vossii: *Invictum par Consulum*; quod Crasso, qui victus est, minimè convenit. 2. Acidalii: *invisum par Consulum*; ut quorum occultam conspirationem jam populus olfecerat. 3. Ursini: *Vetus par Consulum*; id est, qui jam unà consules fuerant. Ad eas lectiones liceat addere meam, omnium fortè verissimam. Lego: *Victum par Consulum.* Victi enim Crassus & Pompeius. Crassus quidem ab Orode; Pompeius verò à Cæsare.

3 *In idem spatium.*] In quod primùm decretæ fuerant, scilicet in quinquennium Gallias autem intelligit.

4 *Ceterà sanctissimus.*] E Græciâ advectum sermonis genus, usitatum ab optimo quoque. Tacitus; *ceterà equestri familiâ.* Et *juvenis aliâ clarus.*

5 *Diris cum ominibus.*] Hæc quomodò fierent repete è *Brisson. 1. form. solenn.* Interim pauca trado ex Appiani Parthico; ubi de Crassi historiâ: solus, *inquit*, Ateius occurrens primum, voce cohibebat, denuntians ne procederet: deinde apparitorem jussit, eum injectis manibus detinerei. Verùm id collegis Tribuni non permittentibus, apparitor Crassum missum fecit. Ateius autem ad portam accurrens, posuit ibi ardentem foculum; & Crasso prætereunte suffitum faciens, & insuper libans diris eum devovebat execrationibus, nova, & horrenda deorum invocans nomina. Addo ex Servio ad 11. *Æneid.* Crassum iturum ad Parthiam, signa Romana (triste augurium) evellere vix potuisse.

6 *Seleuciam.*] Plures sunt Seleuciæ. Hic intelligitur, quæ ad Euphratem sita est.

7 *Circumfusis.*] Lege cùm Vossio: *circumfusum.*

Velleius Paterculus. K

XLVII. Per hæc, insequentiáque, & quæ prædiximus, tempora, [1] ampliùs quadringenta millia hostium à Caio Cæsare cæsa sunt, plura capta; [2] pugnatum sæpe directâ acie, sæpe in agminibus, sæpe eruptionibus; bis penetrata Britannia; [a] novem denique [3] æstatibus, vix ullâ non justissimus [4] triumphus emeritus. [5] Circa Alexiam verò tantæ res gestæ, quantas áudere, vix hominis; perficere, pænè nullius, nisi dei, fuerit. Septimo ferme anno Cæsar morabatur in Galliis, [6] cùm medium jam ex invidia potentiæ malè cohærentis inter Cnæum Pompeium & Caium Cæsarem concordiæ pignus, Julia, uxor Magni, decessit, atque omnia inter destinatos tanto discrimini dùces dirimente fortunâ, filius quoque parvus Pompeii, Juliâ natus, intra breve spatium obiit. [b] Tum, in gladios, cædesque civium furente ambitu, cujus neque finis reperiebatur, nec modus, tertius consulatus soli Cnæo Pompeio, etiam adversantium antea dignitati ejus judicio, delatus est; cujus ille honoris gloriâ, veluti reconciliatis sibi optimatibus, maximè à Caio Cæsare alienatus est, [c] sed ejus consulatus omnem vim in coërcitionem ambitûs [7] exercuit. Quo tempore Publius Clodius, à Milone, candidato consulatûs, exemplo inutili, facto salutari reipublicæ, [8] circa Bovillas, contractâ ex

INTERPRETATIO.

a *Denique ex novem æstatibus vix ulla* fuit, *quâ non meruerit justissimo* titulo *triumphum*.

b *Tum ambitione, cujus nullus erat finis & modus, arma rapiente in cædes civium, Cnæus Pompeius creatus fuit tertiùm consul sine collega, etiam sententiâ eorum, qui antea repugnabant ejus magnitudini*.

c *Sed Pompeius adhibuit vim omnem hujus consulatûs ad comprimendam ambitionem*.

NOTÆ.

1 *Ampliùs quadringenta.*] Multùm de Cæsaris laude detrahit, si tamen laus è cædibus est. Nam Plinius undecies centena & nonaginta duo millia hominum occisa esse dicit. Fortè quod tradit Lipsius, *octingenta millia*: quæ computatio non multùm distat ab Appiani computatione in Celticis; ubi decies centena millia tantùm occisa esse tradit.

2 *Pugnatum directâ acie.*] Gallicè, *ou combattit en bataille rangée*. [In agminibus, *par pelotons*.] Eruptionibus, *par des sorties*.

3 *Æstatibus.*] Quas egit trans Alpes.

4 *Triumphus emeritus.*] Passivè: quo modo Plauto dicitur, *emeritum stipendium* pro *peractum*, inquit Budæus, cum emissionem, ut veterani, milites impetraverunt.

5 *Circa Alexiam.*] Alii legunt, *Alesiam*; hodie *Alise*. Pagus est in Burgundiæ ducatu, ad amnem *Brenne*. Ab Alexiâ tractus circumjacens Alexiensis dicitur, vulgò *l'Auxois*. Inter Divionem & Antissiodorum.

6 *Cum medium, &c.*] Hic locus sic explicandus est: cum decessit Julia, uxor Magni (*scil. Pompeii*,) quæ medium pignus erat concordiæ jam malè cohærentis inter Cnæum Pompeium, & C. Cæsarem, ex invidiâ potentiæ, id est, quia alter alterius potentiæ invidebant: hic illius crescenti; ille hujus adultæ.

7 *Exercuit.*] Lipsius rectè legit, *exeruit*.

8 *Circa Bovillas.*] Oppidum Latii prope Romam, in viâ Appiâ, vulgò *Babuco*.

occursu rixa, jugulatus est. [d] * Milonem reum non magis invidia facti, quam Pompeii damnavit voluntas, quem quidem Marcus Cato palam latâ absolvit sententiâ, [9] quam si maturiùs tulisset, non defuissent, qui sequerentur exemplum; probarentque eum civem occisum quo nemo perniciosior reipublicæ, neque bonis inimicior vixerat.

XLVIII. Intra breve deinde spatium belli civilis exarserunt initia, cum justissimus quisque & à Cæsare, & à Pompeio vellet dimitti exercitus, quippe Pompeius in secundo consulatu Hispanias sibi decerni voluerat, easque per triennium absens ipse, ac præsidens urbi, per Afranium, & Petreium, cosularem, ac prætorium, legatos administrabat; & iis, qui à Cæsare dimittendos exercitus contendebant, [1] assentabatur; iis, qui ab ipso quoque adversabatur, [a] qui si ante biennium, quàm ad arma itum est, perfectis [2] muneribus theatri, & aliorum operum, quæ ei circumdedit, gravissimâ tentatus valetudine, decessisset in Campania: (quo quidem tempore universa Italia [3] vota pro salute ejus, primo omnium civium, suscepit) defuisset fortunæ destruendi ejus locus; & quam apud superos habuerat magnitudinem, illibatam detulisset ad inferos. [b] Bello autem civili, & tot, quæ deinde, per continuos viginti an-

INTERPRETATIO.

d *Milo vocatus in judicium, damnatus est minùs odio*, quod ortum erat ex hoc *facto; quàm voluntate Pompeii.*

a *Duobus annis antequam sumpta sunt arma, si Pompeius, post absolutum theatrum, & alia opera, quæ circùm illud extruxit, correptus in Campaniâ periculosissimo morbo animam reddidisset (quo quidem tempore universa Italia vota fudit pro ejus incolumitate*, quod *ante illum nullius gratiâ* factum fuerat,) *fortuna non habuisset occasionem illius destruendi: & deportavisset ad mortuos integram* illam *gloriam, quam habuerat inter vivos.*

b *Nemo autem accendit & inflammavit magis bellum civile, & tot mala, quæ deinde secuta sunt per viginti annos continuos, quàm C. Curio Tribunus plebis.*

NOTÆ.

* *Milonem reum.*] Extat pro illo oratio disertissima Ciceronis.

9 *Quam si maturiùs.*] Id est, quam sententiam si citiùs & ante alios dixisset, non defuissent, qui Milonem quoque absolverent. Cicero tamen & Cato pro Milone dixerunt exitu omninò non malo. Nam solum in exilium pulsus est: maximè eâ re commotis judicibus, quòd huic judicio interfuisset vultu erecto, neque veste, reorum more, mutatâ.

1 *Assentabatur.*] Mavult Lipsius: *assentiebatur.* Verùm nil opus mutatione. *Assentari* rectè ponitur pro *Assentiri*: sic apud Plautum *Men. sc.* 2. *act.* 3. Cœpi assentari, quicquid dixerat, idem ego dicebam. *Ibid. sc.* 4. *act.* 2. assentabor, quicquid dicet, mulieri.

2 *Muneribus theatri.*] Id est, theatro. Munera theatri dixit à spectaculis, & ludis, qui nonnunquam plebi, quasi muneris loco, in theatro exhibebantur. Sanè genus oblectamenti quodcumque veteres Munera nominabant, quòd eo populus perinde atque quodam munere caperetur.

3 *Vota pro salute ejus.*] In eam rem lepidè Juvenal. *Sat.* 10.

Provida Pompeio dederat Campania febres
Optandas: sed multa urbes, & publica vota
Vicerunt.

nos, consecuta sunt, malis, non alius majorem, flagrantioremque, quàm Caius Curio, tribunus plebis, subjecit facem, vir nobilis, eloquens, audax, suæ, alienæque, & fortunæ, & pudicitiæ prodigus, homo ingeniosissimè nequam, & facundus malo publico. [4] cujus animo, voluptatibus, vel libidinibus, neque opes ullæ, neque cupiditates sufficere possent, hic primò pro Pompeii partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica; mox, simulatione, contra Pompeium & Cæsarem, sed animo pro Cæsare stetit, id gratis, an accepto [5] centies sestertiûm, fecerit, ut accepimus; in medio relinquemus, ad ultimum, saluberrimas, & coalescentis conditiones pacis, quas & Cæsar justissimo animo postulabat, & Pompeius æquo recipiebat, discussit, ac rupit; unicè cavente Cicerone concordiæ publicæ. Harum, præteritarumque rerum ordo, cum justis aliorum voluminibus promitur, tum, uti spero, nostris explicabitur.

XLIX. Nunc proposito operi sua forma reddatur, si priùs gratulatus ero Quinto Catulo, duobus Lucullis, Metelloque & Hortensio; qui cum sine invidia in republica floruissent, eminuissentque sine periculo; quietâ, aut certè non præcipitatâ, [1] fatali ante initium bellorum civilium morte functi sunt. Lentulo, & Marcello Consulibus, post urbem conditam annis septingentis tribus, [2] & anno octuagesimo octavo, quàm tu, Marce Vinici, consulatum inires, bellum civile exarsit. Alterius ducis caussa melior videbatur, alterius erat firmior, hîc omnia speciosa, illîc valentia. Pompeium senatûs auctoritas, Cæsarem militum armavit fiducia. Consules, senatusque [3] caussæ, non Pompeio, summam imperii detu-

NOTÆ.

4 *Cujus animo.*] Huic loco varli varie medenrur. Acidalius pro *animo* legit *omnino*. Lipsius pro *cupiditates* legit *civitates*. Hunc sequirur Gruterus: sed prætereà rejicir, *voluptatibus vel libidinibus*: urrumque rerineo; ac præterea lego *civitates*: hoc sensu. Cujus inexplebili cupidirati, neque divitiæ ullæ, neque urbes ipsæ satis esse possent ad voluptares, vel ad libidines.

5 *Centies sestertiûm.*] Cum Schegkio vix muraverim, licer Manutius & Lipsius alirer legant; hic sexcenries, ille rrecenries: urerque non sine causâ. Juxra Lipsii lectionem, sexcenries sestertiûm, ex doctissimorum virorum, qui Hebræorum pecuniam cum Græcorum, Romanorum, & Francorum pecuniâ composuerunt, computarione, redigerentur ad quater decies centies millies & quingenties millies librarum, *quatre millions & demy de livres*: si modò sestertius paulò plus quàm decem & octo denarios continear.

1 *Fatali morte.*] Gallicè, *d'une mort naturelle.* Vide *lib. 2. cap. 4. n. 9.*

2 *Et anno octuagesimo.*] Lipsius vult scribi: *& antè septuaginta octo*: quod certè accuratius est.

3 *Causa, non Pompeio.*] Lipsius legit: *nominis causâ Pompeio*; id est, imperium Pompeio derulerunt famæ, & nominis Pompeiani causâ. Gronovius paulò aliter legir: *causa nomine, Pompeio, &c.* id est, ur Pompeius causam Senatûs tuererur, non verò ut imperaret, ipse dominarerurque, cùm contra Cæsarem sui dominum assererenr. Verùm quid opus est mutare vulgaram lectionem? Hu us authoribus Grurero & Vossio, sensus est:

lerunt. Nihil relictum à Cæsare, quod servandæ pacis causâ, tentari posset: nihil receptum à Pompeianis; [4] cum alter consul justo esset ferocior; Lentulus verò salvâ republicâ [5] salvus esse non posset: Marcus autem Cato moriendum antè, quàm ullam conditionem civis accipiendam reipublicæ, contenderet. Vir antiquus & gravis, Pompeii partes laudaret magis; prudens sequeretur Cæsaris; & illa gloriosa, hæc terribiliora duceret. * Ut deinde, spretis omnibus, quæ Cæsar postulaverat, tantummodo, contentus cum unâ legione titulum retinere provinciæ, privatus in urbem veniret, & se in petitione consulatûs suffragiis Populi Romani committeret, decrevêre: ratus bellandum Cæsar, cum exercitu [6] Rubiconem transiit; Cnæus Pompeius, consulesque & major pars senatus, relictâ urbe, ac deinde Italiâ, transmisêre [7] Dyrrhachium.

L. [a] At Cæsar Domitio, legionibusque [1] Corfinii, quæ unà cum eo fuerant, potitus, duce aliisque qui voluerant abire ad Pompeium, sine dilatione dimissis, persecutus Brundisium, ita ut appareret, malle integris rebus, [2] & conditionibus finire bellum, quàm opprimere fugientes, cum transgressos reperisset Consules, in urbem revertit: redditâque ratione consiliorum suorum in senatu & in concione, ac miserrimæ [3] necessitudinis, cum alienis armis ad arma

INTERPRETATIO.

* *Simul ac rejectis omnibus, quæ Cæsar petierat, deinde* patres *decreverunt*, ut Cæsar *veniret in urbem privatus, contentus solùm retinere cum unâ legione titulum* præfecti *provinciæ, & ut se subjiceret suffragiis populi Romani in petitione consulatûs, Cæsar judicans* jam nunc *sectio bellum esse gerendum, transiit Rubiconem cum exercitu.*

a *At Cæsar, cum cepisset Domitium & legiones, quæ unà cum eo fuerant Corfinii, dimissis sine morâ duce & aliis, qui voluerant abire ad Pompeium, persecutus* iter usque *Brundisium, &c.*

NOTÆ.

Imperium Pompeio delatum est à Consulibus, & à Senatu, non quòd Senatus faveret ejus partibus, sed quòd ejus causa justior, & Reipublicæ gratiâ suscepta videretur.

4 *Cum alter Consul.*] Marcellum intellige, cujus ferociam pluribus persequitur Appianus: quique *loquax* dicitur apud Lucanum lib. 1. Uterque porro consul creati erant propter odium, quo Cæsarem prosequebantur.

5 *Salvus esse non posset.*] Propter magnitudinem æris alieni. Cujusmodi hominibus, ut bene notat Sallustius, opus est perditâ republicâ.

6 *Rubiconem.*] Parvus est fluvius inter Ariminum, & Ravennam, ex Apennino monte decurrens in Hadriaticum mare, quondam Italiæ Galliæque Cisalpinæ terminus; vulgò *Rucone*: aliis tamen *Pisatello* dicitur.

7 *Dyrrhachium.*] Urbs est in eâ Macedoniæ parte, quæ Hadriatico mari incumbit: vulgò *Durazzo*, nobis *Duras*, in Albaniæ Dalmatiæque finibus.

1 *Corfinii.*] De hâc urbe diximus sup. *lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 7. quemadmodum de Brundisio *lib.* 1. *cap.* 14. *n.*

2 *Et conditionibus.*] Gallicè, *par traité: par accommodement.* Vide sup. *cap.* 4. *n.* 5.

3 *Necessitudinis.*] Id est, necessitatis. Interdùm enim necessitudo sumitur pro vi, quæ nos ad aliquid faciendum cogit. Sic apud Sallustium *in Jugurtha*: coactus rerum necessitudine statuit armis decertare.

compulsus esset, Hispanias petere decrevit. Festinationem itineris ejus aliquamdiu morata [4] Massilia est, fide melior, quàm consilio prudentior: [b] intempestivè principalium armorum arbitria captans; quibus ii se debent interponere, qui non parentem coërcere possunt. Exercitus deinde, qui sub Afranio consulari, ac Petreio prætorio fuerat, ipsius adventu, vigore, ac fulgore occupatus, se Cæsari tradidit, uterque legatorum, & quisquis cujusque ordinis sequi eos voluerat, remissi ad Pompeium.

LI. Proximo anno, cùm Dyrrhachium, ac vicina ei urbi regio, castris Pompeii teneretur, (qui, accitis ex omnibus transmarinis provinciis legionibus, equitum ac peditum auxiliis, regumque [1] & tetrarcharum, simulque [2] dynastarum copiis, immanem exercitum confecerat, & mare præsidiis classium, ut rebatur, sepserat, quò minùs Cæsar legiones posset transmittere) suâ & celeritate, & fortunâ C. Cæsar usus, [a] nihil in mora habuit, [3] quò minùs &, cùm vellet, ipse, exercitusque classibus perveniret, & primò pæne castris Pompeii sua jungeret, mox etiam obsidione munimentisque eum complecteretur. Sed inopia obsidentibus, quam obsessis, erat gravior. [4] Tum Balbus Cornelius, excedente humanam fidem temeritate, ingressus castra hostium, sæpiusque cum Lentulo collocutus consule, dubitante quanti se venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non [5] Hispaniensis natus, sed Hispanus [6] in triumphum, & pontificatum assurgeret, fieretque ex privato [7] consularis. Variatum deinde præliis, sed

INTERPRETATIO.

b *Volens præposterè arbitra esse bellorum*, quæ erant *inter Principes* Reipublicæ.

a *Nullum reperit impedimentum*, *quominus ipse cum exercitu perveniret navibus*, *cum vellet*, Dyrrhachium, *& primò poneret* castra *vicina Pompeii* castris.

NOTÆ.

4 *Massilia.*] Vide *lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 2.

1 *Et tetrarcharum.*] Tetrarcha Græcâ voce denotat eum, qui quartam regni partem obtinet.

2 *Dynastarum.*] Dynastes Græcâ quoque voce ([illegible]) significat eum, qui plurimùm potest; ut in civitate Magistratus.

3 *Quominus &c.*] Illud quam vim habeat, Acidalium non puduit fateri, se nescire. Quare sic emendabat: *quominus*, *& quò vellet*, *&c.* Meliùs Vossius: *quominus eò*, *cum vellet*, &c. nimirùm Dyrrhachium, non verò Brundisium, ut idem Vossius, opinor, incogitans scripsit.

4 *Balbus Cornelius.*] Inverte voces, ac lege: *Cornelius Balbus.*

5 *Hispaniensis.*] Afferri solet hoc discrimen inter hujusmodi voces: *Hispaniensis*, & *Hispanus*, quod Hispaniensis vocetur, qui in Hispaniâ quidem natus est, sed parentibus alibi, quàm in Hispaniâ natis: Hispanus verò, qui & in Hispaniâ natus est, & parentibus in Hispaniâ natis.

6 *In triumphum & pontificatum.*] Id prorsus novum. Nam solis civibus ad magistratus, & ad publicos honores aditus patebat.

7 *Consularis.*] Id est, consul. Quippe Vossius affirmat, quemcumque consulatus extulit, sive gerat illum, sive gesserit, eum rectè dici posse insignem consulari dignitate, ac proindè virum consularem, sive consularis dignitatis.

uno longè magis [8] Pompeianis prospero, quo graviter impulsi sunt Cæsaris milites.

LII. [a] Tum Cæsar cum exercitu fatalem victoriæ suæ [1] Thessaliam petiit. Pompeius, longè diversa aliis suadentibus, [quorum plerique hortabantur, ut in Italiam transmitteret: [b] neque Hercules quidquam partibus illis salubrius, fuit alii, [c] ut bellum traheret, [2] quod dignatione partium in dies ipsis magis prosperum fieret] usus impetu suo, hostem secutus est. [d] Aciem [3] Pharsalicam, & illum cruentissimum Romano nomini diem, tantumque utriusque exercitûs profusum sanguinis, & collisa inter se duo reipublicæ capita, [4] effusumque alterum Romani imperii lumen, tot talesque Pompeianarum partium cæsos viros, non recipit enarranda hic scripturæ modus. Illud notandum est: ut primùm Caius Cæsar [5] inclinatam vidit Pompeianorum aciem, neque prius, neque antiquius quidquam habuit,

INTERPRETATIO.

a *Tum Cæsar exercitum duxit in Thessaliam, fato destinatam suæ victoriæ.*

b *Neque sanè quidquam utilius fuit illis partibus.*

c *Ut in longum duceret bellum, quod in dies fieret magis secundum partibus, ipsarum dignitate.*

d *Brevitas hujus operis non sinit* me fusè *narrare prælium Pharsalicum, & illum diem adeò cruentum Romanæ genti, & tantùm sanguinis profusum ab utroque exercitu, & gravem conflictum duorum capitum reipublicæ. &* quasi *alterum oculum Romani imperii erutum, & cædem tot, & tantorum hominum ex partibus Pompeii.*

NOTÆ

8 *Pompeianis prospero.*] Adeò quidem, ut Cæsar diceret: *actum de nobis erat, si hostis scivisset uti victoriâ.*

1 *Thessaliam.*] Ora Thessaliæ inter Penei fluvii ostia ad Boream, & Thermopylas ad austrum continetur. Ea regio nunc *Janna* dicitur pro maximâ parte, teste Brietio, subestque dominio Turcarum. Ejus primariæ urbes sunt *Janna*, & *Larissa*: inter minores est *Pharsalus*, de quâ mox infrà.

2 *Quod dignatione partium.*] Interpretatus sum, dignitate partium; Gallicè; *éclat, bonne reputation.* Quæ interpretatio nititur aliquot Velleii locis, in quibus *dignatio* aliter, ac interpretor, accipi non potest. 1. Tantæ dignationis homines. 2. Dignatio Octavii. 3. Dignatione Brutus obruerat Vatinium, cum extorsit legiones. Ad Velleium Suetonius accedat *in Vesp.* Exin sortitus Africam integerrimè, nec sine magnâ dignatione administravit. Legitur etiam apud Ciceronem *in Epist.* 10. *lib.* 10. *ad Attic.* de dignatione laborare; scilicet, *de dignitate*, ut ibidem explicat scholiastes.

3 *Pharsalicam.*] Hæc inter Cæsarem & Pompeium pugna Pharsalica dicta est à campis Pharsalicis, sive qui urbem Pharsalum circumjacent. Pharsalus autem urbs est Thessaliæ, ad Enipeum fluvium, qui in Peneum decidit.

4 *Effusumque.*] Rhenano ac Vossio nihil certius est, quàm Velleium scripsisse, *effossum*: quod ducta priùs è capitibus metaphora postulat. Unde subjicit allegoricè *lumen* pro *oculo*. Quam lectionem Vossius stabilit maximè authoritate Virgilii Æneid. 3. ubi de Polyphemo:

& ad æquora venit.
Luminis effossi fluidum lavit inde cruorem.

5 *Inclinatam aciem.*] Dicitur acies, sive exercitus inclinari, cùm retrò cedit, & in fugam convertitur. Gallicè, *Armée en déroute.*

[6] quam in omnes partes [[7] ut militari & verbo, & consuetudine utar] dimitteret. Pro dii immortales, quod hujus [8] voluntatis erga Brutum suæ postea vir tam mitis pretium tulit! Nihil illâ victoriâ mirabilius, magnificentius, clarius fuit: [e] quando neminem, nisi acie consumptum, civem patria desideravit: sed munus misericordiæ corrupit pertinacia, cum libentiùs vitam victor jam daret, quàm victi acciperent.

LIII. Pompeius, profugiens cum duobus Lentulis consularibus, Sextoque filio, & Favonio prætorio, [1] quos comites ei fortuna aggregaverat, aliis ut Parthos, aliis ut Africam peteret, [in qua fidelissimum partium suarum haberet regem [2] Jubam] suadentibus, Ægyptum petere proposuit, [3] memor beneficiorum, quæ in partem ejus Ptolemæi, qui tum puero quàm juveni propior regnabat Alexandriæ, contulerat. Sed quis in adversis beneficiorum servat memoriam? aut quis ullam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem? Missi itaque ab rege, qui venientem Cnæum Pompeium [is jam à [4] Mitylenis Corneliam uxorem receptam in navem, fugæ comitem habere cœperat] consilio [5] Theodoti, & Achillæ exciperent, hortarenturque, ut ex onerariâ in eam navem, quæ obviam proces-

INTERPRETATIO.

e *Cùm patria nullum civem amiserit, præter eos qui cæsi fuerant in prælio.*

NOTÆ.

6 *Quàm in omnes partes.*] Lipsius vult scribi: *quam ut omnes partes*, hoc sensu: nihil antiquius habuit Cæsar, quàm ut omnes adversarios suos incolumes dimitteret, ac militum sævitiæ subduceret. Lipsii lectio retineri potest; sensum sic muto: Nil prius & antiquius Cæsar habuit, quàm ut posito utrimque partium odio omnes dimitteret. In Velleii verò verbis, *ut*, subaudies, authore Vossio, non repones.

7 *Ut militari verbo, & consuetudine.*] Quodnam illud militare verbum? Lipsius arbitratur esse, *partes*: non placet. Vossius placet magis: quippe hoc militare verbum censet esse, *dimitteret.* Nam quos milites imperator ab exercitu cogit abscedere, quorum operâ non ampliùs vult uti; eos Latinè uno verbo dicitur dimittere: Gallicè, *licentier.* Velleius autem profitetur hoc verbo se ex consuetudine uti; quippe qui diu miles fuerit.

8 *Voluntatis erga Brutum.*] Brutonimirùm Cæsar timuerat, cum non compareret; salvumque postea lætus & benignè exceperat.

1 *Quos comites.*] In aliquibus libris inserta sunt duo verba: quos *victores darent* comites, &c. Hæc verò, cum in multis MSS. non appareant, cum Thysio & aliis non edidimus. Aliqui legunt: *quos, victore Cæsare, comites ei fortuna aggregaverat*: sed paulò audaciores videntur.

2 *Jubam.*] Rex erat Mauritaniæ. Victo Pompeio cum Scipione copias conjunxit.

3 *Memor beneficiorum.*] Scilicet Pompeius Ptolemæum Auleten in regnum restituerat. Hic Ptolemæus, pater Cleopatræ fuit, vitæ adeò mollis, ut etiam choraulam exerceret: unde nomen Auletæ nactus est. Ab Alexandrinis regno pulsus, ad Pompeium confugit: à quo senatui commendatus, à Gabinio in regnum reductus est.

4 *Mitylenis.*] Urbs est Lesbi insulæ primaria: à quâ tota insula hodie nomen accepit, vulgò, *Metelein.*

5 *Theodoti & Achillæ.*] Theodotus Ptolemæo præceptor erat: Achillas autem militiæ præfectus.

serat,

ferat, tranfcenderet. Quod cùm feciffet, [a] princeps Romani nominis, imperio, arbitrioque Ægypti mancipii, Caio Cæfare, Publio Servilio Confulibus, jugulatus eft. Hic, poft tres confulatus, & totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, fanctiffimi, ac præftantiffimi viri, in id evecti, fuper quod afcendi non poteft, duodefexagefimum annum agentis, pridie natalem ipfius, vitæ fuit exitus: in tantum in illo viro à fe difcordante fortunâ, ut, cui modò ad victoriam terra defuerat, deeffet ad fepulturam. Quid aliud, quàm nimiùm occupatos dixerim, quos in ætate & tanti, & pæne noftri fæculi viri [6] fefellit quinquennium? [b] cùm à Caio Atilio, & Quinto Servilio, confulibus, tam facilis effet annorum digeftio: quod adjeci, non ut arguerem, fed ne arguerer.

LIV. Non fuit major in Cæfarem, quàm in Pompeium fuerat, regis eorumque, quorum is auctoritate regebatur, fides. Quippe cùm venientem eum tentaffent infidiis, ac deinde bello laceffere aufderent, utrique fummo imperatorum, alteri fuperftiti meritas pœnas luère fuppliciis. Nufquam erat Pompeius corpore, [1] adhuc ubique nomine: quippe ingens partium ejus favor bellum excitaverat Africum, quod ciebat rex Juba, & Scipio, vir confularis, antè biennium, quàm extingueretur Pompeius, [2] lectus ab eo focer: eorumque copias auxerat [3] Marcus Cato ingenti cum difficultate itinerum [4] locorumque inopiâ, perductis ad eos legionibus: qui vir, cùm fummum ei à militibus deferretur imperium, [5] honoratiori parere maluit.

LV. Admonet promiffæ brevitatis fides quanto omnia tranfcurfu dicenda fint. Sequens fortunam fuam Cæfar, pervectus in Africam,

INTERPRETATIO.

a *Primus Romanæ gentis.*
b *Cùm tam facilis effet ordinatio annorum à confulatu C. Atilii, & Q. Servilii.*

NOTÆ.

6 *Fefellit quinquennium.*] Hunc errorem plurarchus & Appianus erraverunt, ut docet Sigonius *in Faftis.*

1 *Adhuc ubique nomine.*] Cùm vulgò legeretur: *Juba nomine*; quidam reftituebant, *vigens*, alii, *vivens*, *ibat*, *vivebat.* Alii verò penitùs deleverunt: quo modo a Gryphio, Marneffio, Stephano, & Thyfio fuit editum.

2 *Lectus ab eo focer.*] A Pompeio, qui Corneliam, Q. Metelli Scipionis è Lepidâ filiam, duxerat uxorem. Eadem Craffo primum nupferat.

3 *Marcus Cato.*] Qui poftea vocatus eft Uticenfis.

4 *Locorumque inopiâ.*] Intelligi poteft inopia in victu & potu. Sed fortè quod Voffius obfervat, legi debet: *liquorumque inopiâ*: quod olim fuiffe fcriptum, Licorumque; quod mirum videri non debet. Nam ita fcribebant veteres: ut, *inicus* pro *iniquus*: *cum* pro *quum*: *locutus* pro *loquutus*, *&c.* Maximè verò fuadet Lucanus, ut fequar hanc lectionem, cùm defcribit ficcum Catonis iter *lib.9. Pharf.*

5 *Honoratiori.*] Scilicet Scipioni, viro confulati, cùm ipfe Cato tantùm effet prætorius.

Velleius Paterculus. L

quam [1] occiso Curione, [2] Julianarum duce partium, Pompeiani obtinebant exercitus, ibi primò [3] variâ fortunam expugnavit viâ, inclinatæque hostium copiæ. Nec dissimilis ibi adversus victos, quàm in priores, clementia Cæsaris fuit. Victorem Africani belli Caium Cæsarem gravius excepit Hispaniense, [nam [4] victus ab eo Pharnaces vix quidquam gloriæ ejus adstruxit] quòd Cnæus Pompeius, Magni filius, adolescens impetûs ad bella maximi, ingens ac terribile conflaverat, undique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium, ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus. Sua Cæsarem in Hispaniam comitata fortuna est, sed nullum unquam attrocius periculosiusque ab eo [5] initum prælium, adeò ut plus quàm dubio Marte, descenderet equo, consistensque ante recedentem suorum aciem, increpitâ priùs fortunâ quòd se in eum servasset exitum, denunciaret militibus, vestigio se non recessurum: proinde viderent, quem, & quo loco imperatorem deserturi forent. Verecundiâ magis, quàm virtute, [6] acies restitutæ [a] à duce, quàm à milite, fortiùs. [b] Cnæus Pompeius, gravis vulnere inventus inter solitudines avias interemptus est. Labienum, Varumque acies abstulit.

LVI. Cæsar, omnium victor, regressus in urbem, [quòd humanam excedat fidem,] omnibus, qui contra se arma tulerant, ignovit, magnificentissimisque [a] gladiatorii muneris, [b] naumachiæ, & equitum peditumque, simul elephantorum certaminis spectaculis, [1] epulique per multos dies dati celebratione, replevit eam. Quinque

INTERPRETATIO.

a *Et magis animo ducis, quàm militum.*

b *Cnæus Pompeius, repertus inter loca deserta tardè fugiens ob vulnus, interfectus est.*

a *Ludi gladiatorii.*

b *Pugna navalis.*

NOTÆ.

1 *Occiso Curione.*] Eum principio belli à Cæsare missum in Africam cum omnibus copiis Juba deleverat.

2 *Julianarum partium.*] Cæsaris partium, quæ à Julii cognomine sic dictæ sunt.

3 *Variâ fortunam expugnavit, &c.*] Hæc lectio tolerari quidem potest. Sed ingeniosior est emendatio Lipsii, quàm ut à me prætermittatur: legit, ibi primò variâ fortunâ, mox pugnavit suâ: id est, solitâ felicitate.

4 *Victus ab eo Pharnaces.*] Rex Ponti. Vix autem quidquam Cæsaris gloriæ victus attulit: quia Cæsar eum aggressus, uno prælio obtrivit. Hinc Cæsaris vana de se prædicatio, priùs victum hostem, quàm visum. Hine, inquam, illa tria verba vulgatissima: *veni, vidi, vici*, quorum titulum in triumpho inter pompæ fercula præferri voluit.

5 *Initum prælium.*] Ad Mundam urbem Hispaniæ Bœticæ, excisam, adhuc *Munda*.

6 *Acies restituta.*] Verbum militare: Gallicè, *Les troupes se rallierent.*

1 *Epulique.*] Significatur publicum convivium, quale interdum civibus instrui solebat, vel à triumphantibus, vel in templi dedicatione. Epulum tamen invenies quandoque pro privato convivio; ut epulas pro publico.

egit triumphos. Gallici apparatus ex citro, Pontici [2] ex acantho Alexandrini testudine, Africi ebore, Hispaniensis argento [3] rasili constitit. Pecunia, [4] ex manubiis lata, paullò ampliùs [5] sexies millies sestertium. [c] Neque illi tanto viro, & tam clementer omnibus victoriis suis uso, plus quinque mensium principalis quies contigit: quippe cùm mense Octobri in urbem revertisset, [d] idibus Martiis, conjurationis auctoribus Bruto & Cassio [quorum alterum, promittendo consulatum, non obligaverat, contrà differendo, Cassium offenderat; adjectis etiam [e] consiliariis cædis familiarissimis omnium, & fortunâ partium ejus in summum evectis fastigium, Decimo Bruto, & Caio Trebonio, aliisque clari nominis viris] interemptus est. Cui magnam invidiam conciliarat Marcus Antonius, [6] omnibus audendis paratissimus, consulatûs collega, imponendo capiti ejus [7] Lupercalibus sedentis pro Rostris insigne regium, quod ab eo ita repulsum erat, ut non offensus videretur.

LVII. Laudandum experientiâ consilium est Pansæ atque Hirtii, qui semper prædixerant Cæsari, ut principatum, armis quæsitum, armis teneret. Ille, dictitans, mori se, quàm timeri malle, dum clementiam, quam præstiterat, expectat, incautus [1] ab ingratis occupatus est, cùm quidem [2] plurima præsagia atque indicia dii immor-

INTERPRETATIO.

c *Tantus ille vir, & tam clementer usus omnibus victoriis suis, non plus quinque mensibus fruitus est* placidâ *auctoritate principis* in republicâ.

d *Decimo quinto Martii.*

e *Participibus cædis.*

NOTÆ.

2 *Ex Acantho.*] Quid sit acanthus haud liquidò constat. Æneas Vicus, Parmensis, existimavit herbam esse. Nititur auctoritate Dioscoridis *lib.* 3. *cap.* 17. & Virgilii *Æneid.* 1. qui docent aliquando vestes ex acantho confectas esse. Quare in Pontico triumpho vult ex acantho contextas fuisse militum chlamydes. Assentiri Vico Vossius nequit. Nam censet Velleium de triumphali curru, & oppidis in triumpho prælatis solùm loqui. Unde acanthum non herbam, sed Ægyptiam arborem esse pronuntiat.

3 *Rasili.*] Id est, polito, levigato, non verò cælato: Gallicè, *bruni.*

4 *Ex manubiis.*] Vide sup. *l.* 2. *c.* 40. *n.* 5.

5 *Sexies millies sestertium.*] Juxta superiorem computationem: *quarante-cinq millions de livres.*

6 *Omnibus audendis paratissimus.*] Infrequens est hic casus. Ecce tamen simile quid apud Quintil. *lib.* 8. *cap.* 3. *idem certamini paratior.* Imò ecce genitivum casum cum hoc adjectivo nomine: *Fuit hic vir non solùm eruditissimus, sed etiam civis reipublicæ maximè, tuendæque civitatis paratissimus. Cic.* 2. *de leg.* 66.

7 *Lupercalibus.*] Solemnibus quibusdam sacris, quæ mense Februario celebrabantur à Lupercis in honorem Panos pastorum dei.

1 *Ab ingratis occupatus.*] Ita vertit Passeratius: occisus est ab iis, quos occidere debebat.

2 *Plurima præsagia.*] 1. Paucos ante menses in tumulo, ubi Capys conditor Capuæ sepultus erat, ænea tabula reperta est, conscripta litteris verbisque Græcis hâc sententiâ: *quando ossa Capyis detecta essent, fore ut Iulo prognatus consanguineorum manu necaretur, magnisque mox Italiæ cladibus vindicaretur.* 2. Proximis

tales futuri obtuliſſent periculi. Nam & haruſpices præmonuerant, ut diligentiſſimè iduum Martiarum caveret diem; & uxor Calpurnia, [3] territa nocturno viſu, ut eâ die domi ſubſiſteret, orabat; & libelli, conjurationem nunciantes, dati, ab eo neque protinus lecti erant. Sed profectò ineluctabilis fatorum vis, cujuſcumque fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.

LVIII. Quo anno id patravêre facinus Brutus, & Caius Caſſius, prætores erant; Decimus Brutus conſul deſignatus. Hi unâ cum conjurationis globo, ſtipati gladiatorum Decimi Bruti manu, Capitolium occupavêre, cùm conſul Antonius, [quem cùm ſimul interimendum cenſuiſſet Caſſius, teſtamentumque Cæſaris abolendum, Brutus repugnaverat; dictitans, nihil ampliùs civibus præter tyranni, ita enim appellari Cæſarem facto ejus expediebat, petendum eſſe ſanguinem] convocato Senatu, cùm jam Dolabella, quem ſubſtituturus ſibi Cæſar deſignaverat conſulem, [1] faſces atque inſignia corripuiſſet conſularia, velut pacis auctor, liberos ſuos obſides in Capitolium

N o t æ.

ante ſuam necem diebus Cæſar equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone conſecraverat, vagoſque ſine cuſtode dimiſerat, pabulo pertinaciſſimè abſtinere comperit. 3. Pridie idus Martias avem Regaliolum, cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ ſe inſerentem, variæ volucres è proximo nemore inſecutæ diſcerpſerunt.

3 *Territa nocturno viſu.*] Ea nocte, cui dies cædis illuxit, viſum eſt Calpurniæ faſtigium domus collabi: viſus ipſi vir in ſuo gremio confodi; ac ſubitò cubiculi fores ſponte patuerunt. Hâc ipsâ nocte viſus ipſe ſibi eſt per ſomnum volitare modò ſupra nubes; modò dextram cum Jove conjungere. Hæc autem, ut ſuperiora, ſolùm Voſſii fide tradidi. Propter tot præſagia, ſimul & ob infirmam valetudinem diu cunctatus Cæſar, an domi ſe contineret, &, quæ apud Senatum propoſuerat, agere differret: tandem hortante D. Bruto, ne frequentes ac dudum opperientes deſtitueret, horâ ferè nonâ progreſſus eſt. Libellus inſidiarum index ab obvio inter eundum porrectus eſt. At cæteris illum libellis, quos ſiniſtrà tenebat, quaſi mox lecturus commiſcuit. Deinde pluribus hoſtiis cæſis, cùm litare non poſſet, introiit curiam ſpretà religione, Spurinnam ridens, & falſum arguens, quòd ſine ullâ noxâ Idus Martiæ adeſſent: cui Spurinna, *venerunt*, inquit, *non præterierunt.* Ergo aſſidentem conjurati circumſteterunt: atque illicò Cimber Tullius, qui primas partes ſuſceperat, quaſi rogaturus aliquid, acceſſit propiùs. Cæſare renuente, & geſtu in aliud tempus differente, togam ab utroque humero Cimber apprehendit vociferans: *Iſta quidem vis eſt.* Tum Caſſius adverſum vulnerat infra jugulum. Cæſar Caſſii brachium arreptum graphio transfixit: conatuſque proſilire alio vulnere tardatus eſt. Verùm cùm animadvertiſſet undique ſe peti ſtrictis pugionibus, togâ caput obvolvit, atque ita tribus & viginti plagis confoſſus cecidit.

1 *Faſces.*] Erant Magiſtratuum Romanorum inſignia, quæ illis præferebantur à lictoribus. Conſulibus duodeni faſces: Proconſulibus, & Proprætoribus ſeni præferebantur. Illorum figura erat hujuſmodi: ſecuris ita virgis involvebatur, ut acies ferri ſolùm emineret, reliqua pars circumducto loro tegeretur. Quod à Romanis eo conſilio fuit uſurpatum, ut oſtenderent Magiſtratus, in ſumendo ſupplicio, irâ præcipites eſſe non oportere: cóſque habere faſces, ſed colligatos, & non ſine causâ diſſolvendos. Præterea ut, ſi ſubitò Magiſtratus excanduiſſet, hâc morâ, dum virgæ aut ſecuris expediretur, furor ille ſubſideret.

misit, fidemque descendendi tutò interfectoribus Cæsaris dedit : [2] & illud decreti Atheniensium celeberrimi exemplum, relatum à Cicerone, Oblivionis præteritarum rerum, decreto Patrum comprobatum est.

LIX. Cæsaris deinde testamentum apertum est, quo Caium Octavium, nepotem sororis suæ Juliæ, adoptabat ; de cujus origine, [1] etiam si præventis & pauca dicenda sunt. Fuit Caius Octavius, ut non patriciâ, ita admodum speciosâ equestri genitus familiâ, gravis, sanctus, innocens, dives. Hic prætor inter nobilissimos viros creatus, primo loco, [a] cùm ei dignatio Juliâ genitam Atiam conciliasset uxorem, ex eo honore sortitus Macedoniam, appellatusque in ea [2] Imperator, decedens ad petitionem consulatus obiit, [b] prætextato relicto filio, quem Caius Cæsar, major ejus avunculus, educatum apud Philippum vitricum, dilexit ut suum, [c] natumque annos octodecim, Hispaniensis militiæ assecutum se postea comitem habuit, nunquam aut alio usum hospitio, quàm suo, aut alio vectum vehiculo: Pontificatusque sacerdotio puerum honoravit. Et pacatis bellis civilibus, ad erudiendum liberalibus disciplinis singularis indolem juvenis, [3] Apolloniam cum in studia miserat, mox belli Getici, ac deinde Parthici habiturus commilitonem. Cui ut est nunciatum de

INTERPRETATIO.

a *Cum pro suâ dignitate duxisset uxorem Atiam filiam Juliæ.*

b *Relicto filio infra quatuordecim annos.*

c *Et annos natus octodecim ex quo se* Cæsarem *attigisset*, eum *postea secum habuit in Hispaniensi bello.*

NOTÆ.

2 *Et illud decreti Atheniensium.*]Sensus est: & patres decreverunt sequi Atheniensium exemplum, à Cicerone relatum ; & idem facere decretum oblivionis præteritarum rerum. Cùm autem Cicero istud Atheniensium decretum retulerit ; ex illo, quale sit, accipiamus. Sic ait *Philip.* 1. Nec verò discedebam, nec à republicâ dejiciebam oculos ex eo die, quo in ædem Telluris convocati sumus, in quo templo quantùm in me fuit, jeci fundamenta pacis ; Atheniensiumque renovavi vetus exemplum. Græcum etiam verbum (τῆς ἀμνηστίας.) usurpavi, quo tum in discordiis sedandis usa erat civitas illa, atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiternâ delendam censui. Quare decreto illo Atheniensium celeberrimo intelligitur, μνηστίας ψήφισμα, decretum seu lex oblivionis.

1 *Etiam si præventis.*] Aliqui legunt: *etiamsi properanti, hîc pauca dicenda sunt.* Verum scribe, ut erat in autographo : *etiamsi prævenit.* Nam Augustus ipse suam vitam perscripsit, ubi de majoribus suis tractat : quod vel hæc sola Suetonii verba declarant. Nam ubi sententias aliorum retulit, subjicit : *ipse Augustus nihil amplius quàm equestri familiâ se ortum esse dicit ; sed veteri ac locuplete, & in quâ primus Senator pater suus fuerit.*

2 *Imperator.*] Ubi reperies hunc titulum, si, is qui gaudet eo, rerum non potitur : interpretare semper ducem victorem.

3 *Apolloniam.*] Plures sunt urbes hoc nomine: sed quæ hic intelligitur, optimis olim legibus instituta, sita est in regno Albaniæ, & *Piergo* vulgò dicitur.

cæde avunculi, cùm protinus ex vicinis legionibus centuriones suam, suorumque militum operam ei pollicerentur; neque eam spernendam Salvidienus, & Agrippa dicerent; ille festinans pervenire in urbem, omnem ordinationem & necis & testamenti Brundusii comperit. Cui adventanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia: &, cùm intraret urbem, Solis orbis super caput ejus, curvatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est.

LX. Non placebat Atiæ matri Philippoque vitrico, [1] adiri nomen invidiosæ fortunæ Cæsaris: [2] sed asserebant salutaria reipublicæ terrarumque orbis fata conditorem, conservatoremque Romani nominis. Sprevit itaque cælestis animus humana consilia; & cum periculo potiùs summa, quàm tutò humilia, proposuit sequi, maluitque avunculo, [3] & Cæsari de se, quàm vitrico, credere; dictitans, nefas esse, quo nomine Cæsari dignus esset visus, [4] semetipsum videri indignum. Hunc protinus Antonius consul superbè excipit; [neque is erat contemptus, sed metus] vixque admisso in Pompeianos hortos, loquendi secum tempus dedit; mox etiam, velut insidiis ejus petitus, scelestè insimulare cœpit: [a] in quo turpiter deprehensa ejus vanitas est. Apertè deinde Antonii ac Dolabellæ consulum ad nefandam dominationem erupit furor. [5] Sestertium septies millies, depositum à Caio Cæsare [6] ad ædem Opis, occupatum ab Antonio, actorum ejusdem [7] insertis falsis civitatibus, corruptisque commentariis. Atque omnia pretio temperata, vendente rempublicam consule. Idem, provinciam Decimo Bruto designato consuli decretam,

INTERPRETATIO.

a *In quo*, *ad* ejus *dedecus*, *detecta est calumnia.*

NOTÆ.

1 *Adiri nomen.*] Id est, ut adiret hæreditatem Cæsaris, atque susceptione nominis illius, invidiam quoque, quæ Cæsaris fortunam comitabatur. Adire nomen dicitur, qui testamento adoptatus, suscipit nomen adoptantis.

2 *Sed asserebant.*] Sensus est: sed aliter constitutum erat salutaribus Reipublicæ terrarumque orbis fatis, quæ eum vocabant, ut conditor conservatorque Romani nominis esset.

3 *Et Cæsari.*] Sensus hujus voculæ est: maluit primò ut avunculo, deinde ut Cæsari tanto viro de se credere, quàm Vitrico.

4 *Semetipsum.*] Fortè, quod Ursinus putat, legendum est: *sibimet ipsum.*

5 *Sestertium septies millies.*] *Cinquante deux millions & demi de livres.*

6 *Ad ædem Opis.*] Intellige templum. Ops verò eadem est, ac Cybele, aut Rhea, Cœli ex Vestâ filia; & soror & conjux Saturni.

7 *Insertis falsis civitatibus.*] Sic Rhenanus & Ursinus ediderunt, probatque Vossius. Verùm emendatio Lipsiana meliùs exprimit, quot modis acta commentariosque Cæsaris corruperit Antonius: talis est; *insertis falsis, commutatisque, & corruptis commentariis.*

Galliam occupare statuit: Dolabella transmarinas decrevit sibi: [8] interque naturaliter dissimillimos ac diversa volentes crescebat odium. Eóque Caius Cæsar juvenis quotidianis Antonii petebatur insidiis.

LXI. Torquebat oppressa dominatione Antonii civitas. Indignatio, & dolor omnibus, vis ad resistendum nulli aderat, cùm Caius Cæsar, decimum nonum annum ingressus, mira ausus, ac summa consecutus privato consilio, majorem Senatu pro republica animum habuit. Primumque [1] à Calatia, mox à Casilino [2] veteranos excivit paternos. Quorum exemplum secuti alii, brevi in formam justi coiêre exercitus. Mox, cùm Antonius occurrisset exercitui, quem ex transmarinis provinciis Brundisium venire jusserat, legio Martia, & Quarta, cognitâ & Senatus voluntate, & tanti juvenis indole, sublatis signis, ad Cæsarem se contulerunt. Eum Senatus, honoratum equestri statuâ, quæ hodieque in Rostris posita ætatem ejus scriptura indicat, [qui honor non alii, per trecentos annos, quàm Lucio Sullæ, & Cnæo Pompeio, & Caio Cæsari contigerat] [3] proprætorem unà cum consulibus designatis, Hirtio & Pansa, bellum cum Antonio gerere jussit. Ab eo, annum agente vicesimum, fortissimè circa [4] Mutinam administratum est, & Decimus Brutus obsidione liberatus; Antonius turpi ac nudâ fugâ coactus deserere Italiam: consulum autem alter in acie, alter post paucos dies ex vulnere mortem obiit.

LXII. Omnia antè, quàm fugaretur Antonius, honorificè à senatu in Cæsarem, exercitumque ejus, decreta sunt, maximè auctore Cicerone: sed, ut recessit metus, eripuit voluntas, protinúsque Pompeianis partibus rediit animus. Bruto, Cassioque provinciæ, quas jam ipsi, sine ullo Senatusconsulto, occupaverant, decretæ. Laudati, quicumque his se exercitus tradidissent. Omnia transmarina imperia eorum commissa arbitriò. Quippe Marcus Brutus, & Caius Cassius, nunc metuentes arma Antonii, nunc, ad augendam ejus invidiam, simulantes se metuere, testati edictis, libenter se vel in perpetuo exilio victuros, dum reipublicæ constaret concordia, nec

NOTÆ.

8 *Interque naturaliter dissimillimos.*] Non Antonium, ac Dolabellam: sed Antonium, & Cæsarem Octavium. Quare sic distingue: *Dolabella transmarinas decrevit sibi. Interque naturaliter dissimillimos, ac diversa volentes crescebat odium: eóque Caius Cæsar, &c.*

1 *A Calatiâ.*] Vulgò, *Caiazzo.*] Casilinum, *la nouvelle Capouë.* Campaniæ sunt oppida.

2 *Veteranos paternos.*] Id est, milites, qui sub patre suo militaverant. Hinc *evocati* dicti sunt, quòd militiâ missi rursus ad eam convocarentur.

3 *Proprætorem.*] Is erat titulus eorum, qui paulo minore, quàm consules, authoritate valebant. Vulgò tamen iis solùm tribuebatur, qui prætoris munere decessérant.

4 *Mutinam.*] Urbem Galliæ Cisalpinæ: vulgò, *Modene*, caput Ducatûs Mutinensis, qui nunc familiæ Estensi subest. Hanc urbem D. Brutus occupaverat, ut Antonio Galliæ Provinciæ aditum intercluderet. Quamobrem ibi ab Antonio obsidebatur.

ullam belli civilis præbituros materiam, plurimùm sibi honoris esse in conscientia facti sui, profecti urbe atque Italiâ, intento ac pari animo, sine auctoritate publica, provincias, exercitusque occupaverant; &, ubicumque ipsi essent, prætexentes esse rempublicam; pecunias etiam, quæ ex transmarinis provinciis Romam ab quæstoribus deportabantur, à volentibus acceperant. Quæ omnia senatus decretis comprehensa, & comprobata sunt. Et Decimo Bruto, [1] quod alieno beneficio viveret, decretus triumphus. * Pansæ, atque Hirtii corpora republicâ sepulturâ honorata. Cæsaris adeò nulla habita mentio, ut legati, qui ad exercitum ejus missi erant, juberentur, summoto eo, milites alloqui. Non fuit tam ingratus exercitus, quàm fuerat senatus. Nam, cum eam injuriam dissimulando Cæsar ferret, negavêre milites, sine Imperatore suo ulla se audituros mandata. Hoc est illud tempus; quo Cicero, insito amore Pompeianarum partium, Cæsarem laudandum, & tollendum censebat; cùm aliud diceret, [2] aliud intelligi vellet.

LXIII. Interim Antonius, fugâ transgressus Alpes, primò [1] per colloquia repulsus à Marco Lepido, qui Pontifex maximus in Caii Cæsaris locum [2] furto creatus, decretâ sibi Hispaniâ, adhuc in Galliâ morabatur: mox sæpius in conspectum veniens militum, cum & Lepido omnes imperatores forent meliores, & multis Antonius, [a] dum erat sobrius, [3] per aversa castrorum proruto vallo militibus receptus

INTERPRETATIO.

* *Corpora Pansæ, atque Hirtii humo mandata sunt* impensis *publicis*.

a *Dum non erat ebrius.*

NOTÆ.

1 *Quod alieno beneficio.*] Lipsius legit: *qui alieno*, quod non sit triumphi causa, alieno vivere beneficio. Verùm non animadvertit illud à Velleio dictum ironicè. Decretus est, inquit, Bruto triumphus; ob quas res gestas? quòd incolumis evasit, non suâ suorumve militum virtute, sed alieno beneficio, & Cæsaris victoriâ. Hic sensus, qui Boëcleri est, nititur historiæ veritate. Brutus enim obsidione Mutinensi sic liberatus est, ut otiosus è muro prælium spectaverit.

2 *Aliud intelligi vellet.*] Scilicet, laudandum apertè, sed occultè è medio tollendum. Nam *tollere* vox ambigua: significatque modò laudare, modò interficere.

1 *Per colloquia repulsus.*] Aliter Lipsius legit: *spe colloquii repulsus*: quia Lepidus miscere cum Antonio sermones initio nolebat. Rejicitur à Grutero, lectionem nostram retinente tanquam veram & genuinam. Per colloquia verò quid intelligas? Crebros internuntios, per quos cum Antonio Lepidus egit, cùm hic societatem abnueret: tamen ut, quod sentio, dicam; Lipsii conjectura mihi videtur habere plus probabilitatis, maximè Dione clarè testante, Lepidum colloquia, & congressum cum Antonio diu abnuisse.

2 *Furto creatus.*] Istud aliqui sumunt pro *furtim*, *clam*: Passeratius autem vult eo sensu dici, quo furta belli dicuntur pro, dolo, fraude, insidiis.

3 *Per aversa castrorum.*] Græca locutio optimo cuique Latinorum usitata. Virgilio, *opaca locorum*. Livio, *per intima Italiæ vagatus*. Floro lib. 1. *ad subita belli*. Tacito, & Horatio ubique passim.

est

est: qui titulo imperii cedebat Lepido, [b] cum summa virium penes eum foret. Sub Antonii ingressum in castra Juventius Laterensis, [c] vir vitâ ac morte consentaneus, cum acerrimè suasisset Lepido, ne se cum Antonio, hoste judicato, jungeret, [4] irritus consilii, gladio se ipse transfixit. [5] Plancus deinde, dubiâ, id est suâ fide, diu, quarum esset partium, secum luctatus, ac sibi difficile consentiens, & nunc adjutor Decimi Bruti, designati consulis, collegæ sui, senatuique se litteris venditans, mox ejusdem proditor; Asinius autem Pollio, firmus proposito, & Julianis partibus fidus, Pompeianis adversus, uterque exercitûs tradidêre Antonio.

LXIV. Decimus Brutus, desertus primò à Planco, post etiam insidiis ejusdem petitus, paulatim relinquente eum exercitu, fugiens, in hospitis cujusdam, nobilis viri, nomine Cameli, domo ab iis, quos miserat Antonius, jugulatus est; justissimasque optimè de se merito viro Caio Cæsari pœnas dedit: cujus cum primus omnium amicorum fuisset, interfector fuit, & fortunæ, ex quâ fructum tulerat, invidiam in auctorem [a] relegabat, censebatque æquum, quæ acceperat à Cæsare, retinere; Cæsarem, qui illa dederat, periisse. Hæc sunt tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonii memoriæ inussit notas, sed hic fulgentissimo & cælestiore; at tribunus Canutius continuâ rabie lacerabat Antonium. [b] Utrique vindicta libertatis morte stetit: sed tribuni sanguine commissa proscriptio; Ciceronis, [6] vel satiato Antonio, pœnâ finitâ. Lepidus deinde à senatu hostis judicatus est, ut ante fuerat Antonius.

LXV. Tum inter eum, Cæsaremque, & Antonium, commercia epistolarum: [1] & conditionum [2] jacta mentio, cum Antonius & subinde Cæsarem admoneret, quàm inimicæ ipsi Pompeianæ partes forent; & in quod jam emersissent fastigium; & quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusque attollerentur; denunciaretque, se cum Bruto Cassioque, qui jam decem & septem legionum potentes erant,

INTERPRETATIO.

B *Cum ipse haberet præcipuam potestatem exercitûs.*

c *Vir* cujus *mors vitæ similis fuit.*

a *Refundebat.*

b *Ambobus illis ultio libertatis morte constitit. Sed proscriptio initium habuit à cæde tribuni; finem verò à nece Ciceronis, Antonii* crudelitate *veluti expletâ.*

NOTÆ.

4 *Irritus consilii.*] Id est, cùm persuadere, quod suadebat, non potuisset.

5 *Plancus deinde.*] Ille discipulus Ciceronis, cujus *in epist. lib.* 8. & 10. extant Planci litteræ tùm ad Senatum, tùm ad ipsumCiceronem. Ille est, qui author Octavio fuit, ut cognomen Augusti caperet.

6 *Vel satiato Antonio.*] Innuit Velleius, Antonium proscriptioni demùm renuntiasse, oppresso Cicerone, cujus sanguinem ante cæteros avidè sitierat.

1 *Et conditionum.*] Quibus inter se convenirent.

2 *Jacta mentio.*] Manutii lectione non opus est: *facta mentio.* Sic Tacitus: *jacere fortuitos sermones*, &c.

juncturum vires suas, si Cæsar ejus aspernaretur concordiam: diceretque plus Cæsarem patris, quàm se amici ultioni debere, tum inita potentiæ societas, & hortantibus, orantibusque exercitibus, inter Antonium etiam, & Cæsarem facta affinitas, cum esset privigna Antonii desponsa Cæsari, consulatumque iniit Cæsar pridie, quàm viginti annos impleret, [3] X. Kalendas Octobres, cum collega Quinto Pedio, post Urbem conditam annis septingentis novem, ante septuaginta duos quàm tu, Marce Vinici, consulatum inires. Vidit hic annus Ventidium, per quam urbem [4] inter captivos Picentium in triumpho ductus erat, in eâ consularem prætextam jungentem [5] prætoriâ. Idem hic postea triumphavit.

LXVI. Furente deinde Antonio, simulque Lepido, quorum uterque, ut prædiximus, hostes judicati erant, cum ambo mallent sibi nunciari [1] quid passi essent, quàm quid [2] emeruissent, repugnante Cæsare, sed frustrà adversùs duos, [a] instauratum Sullani exempli malum, proscriptio. Nihil tam indignum illo tempore fuit, quàm quòd aut Cæsar aliquem proscribere coactus est; [3] aut ab illo Cicero proscriptus est: [4] abscissaque scelere Antonii vox publica est, cùm ejus salutem nemo defendisset, qui per tot annos & publicam civitatis, & privatam civium defenderat. Nihil tamen egisti, Marce Antoni: (cogit enim excedere propositi formam operis, erumpens animo ac pectore indignatio) [b] nihil, inquam, egisti, mercedem cælestissimi oris, & clarissimi capitis abscissi numerando, auctoramentoque funebri ad conservatoris quondam reipublicæ tantique con-

INTERPRETATIO.

a *Proscriptio renovata est*, illud *malum* cujus *Sulla* dederat *exemplum*.

b *Nihil, inquam, effecisti cum dedisti mercedem* ei, qui occlusit *os* illud *divinum*. *& amputavit* illud *illustrissimum caput*; *& cum incitavisti* eum *ad occidendum tantùm consulem*, *quondam conservatorem Reipublicæ, proposito necis pretio.*

NOTÆ.

3 *X. Kalendas Octobres.*] Id est, vigesimo primo Septembris. Ita Suetonius. Tamen Dio contra sentit. Nam scribit Augustum vitâ excessisse 14. Kalendas Septembres, quo die primùm olim consulatum inierat. Eò redit quod Vossius *apud Macrob. Saturnal. lib.* 1. *cap.* 12. liquere dicit ex S. C. Augustum Sextili mense primùm consulatum iniisse. Hanc litem non est nostrum componere.

4 *Inter captivos Picentium.*] Id est, inter eos, qui in agro Piceno capti bello fuerant.

5 *Prætoriâ.*] Ἔλλειψις est præpositionis, *cum*, Velleio familiaris. Quare errant, judice Vossio, qui sic emendant: *prætoria*.

1 *Quid passi essent.*] Nempe, decreto Senatûs.

2 *Emeruissent.*] Rhenanus legit, *demeruissent*.

3 *Aut ab illo.*] Lipsius rectiùs legit: *aut ab ullo*.

4 *Abscissaque est, &c.*] Cicero proscriptus in Græciam fugam moliebatur. Dum autem paulùm subsistit, à Popilio Centurione, quem in causâ capitis defenderat, abscisso capite moritur 7 Decemb. ætatis quarto & sexagesimo anno.

ſulis irritando necem. [c] Rapuiſti tu Marco Ciceroni lucem ſollicitam, & ætatem ſenilem, & vitam [5] miſeriorem te principe, quàm ſub te Triumviro mortem: famam verò, gloriámque factorum atque dictorum adeò non abſtuliſti, ut auxeris. Vivit, vivetque per omnium ſæculorum memoriam. [d] Dumque hoc vel forte, vel providentia, vel utcumque conſtitutum, rerum naturæ corpus; quod ille pænè ſolus Romanorum animo vidit, ingenio complexus eſt, eloquentia illuminavit, manebit incolume: comitem ævi ſui laudem Ciceronis trahet; omniſque poſteritas illius [6] in te ſcripta mirabitur, tuum in eum factum execrabitur; citiúſque in mundo genus hominum, [7] quàm cadet.

LXVII. Hujus totius temporis fortunam ne deflere quidem quiſquam ſatis digne potuit: adeò nemo exprimere verbis poteſt. Id tamen notandum eſt, fuiſſe in proſcriptos uxorum fidem ſummam, libertorum mediam, ſervorum aliquam, filiorum nullam, adeò difficilis eſt hominibus utcumque conceptæ ſpei mora. Ne quid ulli ſanctum relinqueretur, * velut in dotem invitamentumque ſceleris, Antonius Lucium Cæſarem avunculum, Lepidus Paullum fratrem proſcripſerant. Nec Planco gratia defuit ad impetrandum, ut frater ejus Plancus Plotius proſcriberetur. Eoque inter jocos militares, qui currum Lepidi, Plancique ſecuti erant, inter execrationem civium uſurpabant hunc verſum. [1] De Germanis, non de Gallis, [2] duo triumphant conſules.

LXVIII. [a] Suo præteritum loco referatur, [1] neque enim perſona umbram actæ rei capit. Dum in acie Pharſalica, [2] Africaque de ſumma rerum Cæſar dimicat, Marcus Cœlius, vir eloquio, animoque Curioni ſimillimus, ſed in utroque perfectior, nec minùs ingenioſè

INTERPRETATIO.

c *Eripuiſti tu Marco Ciceroni vitam* plenam *ſollicitudinis, ætate jam provectâ, & vitam* quæ *infelicior* fuiſſet *ſub tuo dominatu, quam fuit mors ſub tuo triumviratu.*

d *Et dum in integro durabit hoc corpus rerum natura, vel caſu, vel conſilio, vel quocumque modo compoſitum, quod ille* Cicero *propè ſolus Romanorum cognovit mente, ingenio comprehendit, illuſtravit eloquentiâ: tuebitur laudem Ciceronis comitem ſuæ durationis; &c.*

* *Velut in mercedem incitamentumque crudelitatis.*

a *Referamus rem, quam omiſimus ſuo loco.*

NOTÆ.

5 *Miſeriorem.*] Sic omnes ediderunt, cum vulgò legeretur: *inferiorem.*

6 *In te ſcripta.*] Intelligit orationes, quibus Cic. *Philippicarum* nomen dedit.

7 *Quàm cadet.*] Apparet hic aliquid deeſſe. Sed lacunam varii variè ſupplent. Alii ſcribunt, *hujus nomen*: alii, *Cicero.* Nos cum Lipſio ſcribimus: *quàm ea cadet.* Nempe, laus Ciceronis.

1 *De Germanis non de Gallis.*] Acumen erat ex ambiguo: ut nomen gentis videretur, quòd alterius gentis nomini opponitur, cum fratres, iique adoptivi ſignificarentur.

2 *Duo Conſules.*] Intellige deſignatos conſules.

1 *Neque enim.*] Senſus eſt: neque enim hujus hominis, de quo agitur, conditio ſinit, ejus factum, quaſi in umbrâ & tenebris manere.

2 *Africaque.*] Lipſius legit: *circaque*; quia ſcilicet Africanum bellum in ſeditionis Cœlianæ tempus non incidit, cum diu poſt Cœlii mortem geſtum fuerit.

nequam, [b] cum ne [3] in modicâ quidem servari posset, (quippe pejor illi res familiaris, quàm mens, erat) in præturâ [4] novarum tabularum auctor exstitit; nequiitque Senatus, & auctoritate [5] consulum, deterreri. Accito etiam Milone Annio, qui, non impetrato reditu, Julianis partibus infestus erat, in urbe seditionem, [6] haud magis occultè bellicum tumultum movens, primò summotus à republicâ, mox consularibus armis, auctore Senatu, circa [7] Thurios oppressus est. In cœpto pari similis fortuna Milonis fuit; qui, [8] Compsam in Hirpinis oppugnans, ictúsque lapide, tum Publio Clodio, tum patriæ, quam armis petebat, pœnas dedit; [c] vir inquies, [9] & ultra fortem temerarius. [d] Quatenus autem aliquid ex omissis peto, notetur, immodica & intempestiva libertate usos adversus Caium Cæsarem, Marullum Epidium, [10] Flaviumque Cæsetium, tribunos plebis, dum arguunt in eo regni voluntatem, pænè vim dominationis expertos, in hoc tamen sæpè lacessiti principis ira excessit, ut, censoriâ potiùs contentus notâ, quàm animadversione dictatoriâ, summoveret eos à republicâ, testareturque esse sibi miserrimum, quòd aut naturâ

INTERPRETATIO.

b *Cum salvus esse non posset in fortunâ tenui; (quippe ejus patrimonium pejus erat quàm mens,) fecit novas tabulas.*

c *Vir inquietus, & magis temerarius, quàm fortior.*

d *Dum autem refero aliquid ex prætermissis, observetur, quòd Marullus Epidius, & Flavius Cæsetius, tribuni plebis, usi nimiâ & præpostera libertate contra Caium Cæsarem, penè experti sunt potentiam dominationis, dùm eum accusant affectati regni* crimine. *Tamen ira Cæsaris multoties irritati in hoc eminuit, ut* eos *à publicis negotiis removeret, contentus eos potiùs notare tanquam Censor, quàm punire tanquam Dictator, significaretque sibi molestissimum esse, quòd vel esset ei recedendum à suâ clementiâ, vel minuenda sua authoritas.*

NOTÆ.

3 *In modicâ quidem.*] Duplex lectio. 1. Manutii: *Cùm ne modicâ quidem re servari posset.* 2. Gryphii: *cum ne à Diis quidem servari posset.* Ut ut est: hunc puto sensum esse: cum propter rei familiaris angustiam exire ære alieno non posset.

4 *Novarum tabularum.*] Novæ tabulæ Romæ fieri dicebantur, cum accepti & expensi tabulæ edicto prætoris tollebantur. Quo fiebat, ut exigi debita non possent, neque debitores sortem, & usuras creditoribus solverent: sed tantum debita, exinde contracta.

5 *Consulum.*] Scribe, *Consulis*: quia tunc solus in urbe Servilius; cui Cæsar quidem collega, sed absens & in bello erat.

6 *Haud magis.*] Lipsius legit: *in agris occultè.* Nam ita se res habebat: Romæ seditionem, bellum in agris movebat per Milonem. Verùm alii legunt: *magis autem occultè.* Alii: *aut magis*, quod verius esse puto.

7 *Thurios.*] Thurium, ante *Sybaris*, & postea *copia* juxta Cluverium erat ibi, ubi nunc *Torre del Cupo*, in Calabriâ citeriore.

8 *Compsam.*] Vulgò *Conza*, urbs olim Hirpinorum, nunc regni Neapolitani, in Provinciâ principatus ulterioris.

9 *Et ultra fortem.*] Est alia lectio: *& ultra fortem temerarius.* Id est, audacior quàm pro conditione exulis deceret.

10 *Flaviumque.*] In editione Gryphiana rectè emendatum est: *Flavumque*, ne duo gentilia nomina confundantur. Sanè Cæsetio cognomen *Flavi* tribuunt Livius, Suetonius, Plutarchus.

suâ ei excedendum foret, aût minuenda dignitas. Sed ad ordinem revertendum est.

LXIX. Jam & Dolabella in Asiâ Caium Trebonium consularem, cùi succedebat, fraude deceptum, [1] Smyrnæ occiderat, virum adversùs merita Cæsaris ingratissimum, participemque cædis ejus, [a] à quò ipse in consulare profectus fastigium fuerat: & Caius Cassius, acceptis à Statio Murco, & Crispo Marcio, prætoriis viris, Imperatoribusque, prævalidis in Syriâ legionibus, inclusum Dolabellam, qui præoccupatâ Asiâ in Syriam pervenerat, [2] Laodiceâ expugnatâ interfecerat; (ita tamen, ut ad ictum servi sui Dolabella non segniter cervicem daret) & decem legiones in eo tractu sui juris fecerat, & Marcus Brutus Caio Antonio, fratri Marci Antonii in Macedonia, Vatinioque circa Dyrrhachium volentes legiones extorserat: sed Antonium bello lacessierat: Vatinium [3] dignatione obruerat: cum & Brutus cuilibet ducum præferendus videretur; & Vatinius [4] nulli nomini non esset postferendus, in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii, adeò, ut animus ejus dignissimo domicilio inclusus videretur, eratque septem legionibus validus. Et lege Pedia, quàm consul Pedius, collega Cæsaris, tulerat, omnibus, qui Cæsarem patrem interfecerant, aquâ ignique damnatis interdictum erat, quo tempore Capito patruus meus, vir ordinis senatorii, Agrippæ [5] subscripsit in Caium Cassium. Dumque ea in Italiâ geruntur, acri atque prosperrimo bello Cassius [6] Rhodum, rem immanis operis, ceperat; Brutus [7] Lycios devicerat; & inde in Macedoniam exercitus transjecerant; cum per omnia repugnans naturæ suæ Cassius, etiam Bruti clementiam vinceret. [b] Neque reperias, quos aut pronior fortuna comitata sit, aut veluti fatigata maturiùs destituerit, quàm Brutum & Cassium.

INTERPRETATIO.

a *A quò ipse promotus fuerat ad summam dignitatem consulis.*

b *Neque invenias, quibus fortuna magis faverit, aut quos citiùs tanquam defessa dereliquerit.*

NOTÆ.

1 *Smyrnæ.*] Urbs est Ioniæ maritima: *le Smyrne.* Hodieque mercaturâ celebris, & totius regionis primaria.

2 *Laodicea.*] Sita est in orâ maris Phœnicii, inter Heracleam & Gabalam, ad radices montis Cassii.

3 *Dignatione.*] Vide sub *lib.* 2. *c.* 52. *n.* 2.

4 *Nulli nomini.*] pro *nemini.* Sic ubique Romanum nomen pro *Romanis.* Ita que sensus esset: cum Vatinius etiam vilissimo cuique homini postponendus esset.

5 *Subscripsit in, &c.*] Id est, subscripsit accusationi C. Cassii.

6 *Rhodum.*] Vide suprà *lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 5. 2. Addo hanc insulam ab anno 1300. servatam fuisse ab equitibus S. Joannis Hierosolymitani, qui ab eâ dicti sunt Rhodii, usque ad annum 1522. quo expugnata fuit à Solimanno Turcarum Imperatore post obsidionem sex mensium.

7 *Lycios.*] Asiæ minoris populos à Liciâ, quæ nunc *Aidinelli* vocantur: subestque dominio Turcarum à tribus sæculis, & est Caramaniæ latè sumptæ pars.

LXX. Tum Cæsar & Antonius transjecerunt exercitus in Macedoniam, [1] & apud urbem Philippos cum Marco Bruto Cassioque acie concurrerunt. [2] Cornu, cui Brutus præerat, impulsis hostibus, castra Cæsaris cepit. Nam ipse Cæsar, etiam si infirmissimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab Artorio medico, ne in castris remaneret, [a] manifestè [3] denunciatione quietis territo. Id autem, in quo Cassius fuerat, fugatum, ac malè multatum, in altiora se receperat loca. Tum Cassius, ex suâ fortunâ eventum collegæ æstimans, cum dimisisset [4] evocatum, jussissetque nunciare sibi, quæ esset multitudo ac vis hominum, quæ ad se tenderet, tardiùs eo nunciante, cum in vicino esset agmen cursu ad eum tendentium, neque pulvere facies, aut signa denotari possent; existimans, hostes esse, qui irruerent, [5] lacerna caput circumdedit, extentamque cervicem interritus liberto præbuit. Deciderat Cassii caput, cùm evocatus advenit, nuncians Brutum esse victorem, qui, cum Imperatorem prostratum videret; Sequar, inquit, eum, quem mea occidit tarditas, & ita in gladium [6] occubuit. Post paucos deinde dies Brutus conflixit cum hostibus, & victus acie, cùm in [7] tumulum nocte ex fugâ se recepisset, impetravit à Stratone Ægeate, familiari suo, ut manum morituro commodaret sibi; rejectóque lævo super caput bra-

INTERPRETATIO.

a *Qui* medicus *territus fuerat manifesto monitu* somnii *in quiete*.

NOTÆ.

1 *Et apud urbem Philippos.*] Duplices Philippi fuerunt. Alii in Thessaliâ ad Peneum fluvium, ubi victus est Pompeius. Alii in extremâ Macedoniâ, in confinio Thraciæ ad Hæmum montem, & ad Strymonem fluvium, ubi victi sunt Cassius & Brutus. Hinc Florum corrige, qui Cassium & Brutum arenam, quæ Cnæo Pompeio fatalis fuit, insedisse scripsit. Hinc explica quoque Virgilii locum, qui intellectus malè Lucanum, & aliquot alios Poëtas impulit in errorem:

Nec fuit indignum superis bis sanguine nostro
Æmathiam, & latos Hæmi pinguescere campos.

Nam Æmathia (id est Macedonia) verè bis Romano sanguine maduit, Bruto nimirùm post paucos dies [numerantur viginti duo] altero prælio victo ibi, ubi antea cum Cassio fugatus fuerat.

2 *Cornu cui, &c.*] In prælio cornua dicuntur aciei partes in morem arcûs ab utroque latere prominentes. Quæ item partes, cum stant deinceps, sive super eadem lineâ, vocantur alæ. In exercitu autem dextra & sinistra est ala; dextrum & sinistrum cornu, *l'aisle droite, & l'aisle gauche*. Quod inter utrumque est, acies media dicitur, *le corps de bataille*.

3 *Denunciatione.*] Id est, monitu de periculo, quod domino impendebat.

4 *Evocatum.*] Evocatus dicitur veteranus miles, qui, ob repentinam aliquam necessitatem, ad bellum revocatus est. Is verò cum centurio esset, non malè nobis diceretur Gallice: *Capitaine réformé*.

5 *Lacerna.*] Penula vestis, pluviæ frigorique propulsando accommodata, quâ milites olim utebantur. Gallicè, *Manteau, Casaque*.

6 *Occubuit.*] Emendatiùs legeretur: *incubuit*.

7 *Tumulum.*] Propriè locus est è terra nonnihil eminens. Hinc sepulchrum tumulus dici solet, quod, ubi quis sepultus est, ibi terra nonnihil emineat.

chio, cum mucronem gladii ejus, dextera tenens, sinistræ admovisset mamillæ, ad eum ipsum locum, [b] quâ cor emicat, impellens se in vulnus, uno ictu transfixus, exspiravit.

LXXI. Protinus Messalla, [a] fulgentissimus juvenis, proximus in illis castris Bruti, Cassiique auctoritati, cum essent, qui eum ducem poscerent, servari beneficio Cæsaris maluit, quàm dubiam spem armorum tentare ampliùs. Nec aut Cæsari quidquam ex victoriis suis fuit lætius, quàm servasse Corvinum; aut majus exemplum [1] hominis grati ac pii, quàm Corvinus in Cæsarem fuit. Non aliud bellum cruentius cæde clarissimorum virorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum, Hortensiumque, eminentissimorum civium filios, fortuna abstulit, nam Varro ad ludibrium moriturus Antonii, [b] digna illo, ac vera de exitu ejus, magna cum libertate ominatus est. Drusus Livius, [2] Juliæ Augustæ pater, & Varus Quinctilius, ne tentatâ quidem hostis misericordiâ, alter se ipse in tabernaculo interemit: Varus autem liberti, quem id facere coëgerat, manu, cum se insignibus honorum vellasset, jugulatus est.

LXXII. Hunc exitum Marci Bruti partium septimum & trigesimum annum agentis fortuna esse voluit; corrupto animo ejus in diem, quæ illi omnes virtutes unius temeritate [1] facti abstulit. Fuit autem dux Cassius melior, quanto vir Brutus, è quibus Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Cassium, in altero major vis, in altero virtus, qui si vicissent, quantum reipublicæ interfuit Cæsarem potiùs habere, quàm Antonium principem; tantùm retulisset habere Brutum, quàm Cassium. Cnæus Domitius, pater Lucii Domitii, nuper à nobis visi, eminentissimæ ac nobilissimæ [2] simplicitatis viri, avus hujus Cnæi Domitii, clarissimi juvenis, occupatis navibus, cum magno sequentium consilia sua comitatu, fugæ fortunæque se commisit, semetipso contentus duce partium. Statius Murcus, qui classi & custodiæ maris præfuerat, cum omni commissa sibi

INTERPRETATIO.

b *Ubi cor salit.*

a *Juvenis spectatissimus, primus auctoritate in illo exercitu post Brutum & Cassium.*

b *Magnâ cum libertate prædixit, quem reverâ finem, dignum illo, habiturus esset.*

NOTÆ.

1 *Hominis grati ac pii.*] Scilicet Octavius Cæsar, acceptâ clade, exercitu exutus, cùm in Messallæ, (quem olim proscripserat) potestatem venisset, ab eo tamen conservatus est.

2 *Juliæ Augustæ.*] Constat inter scriptores fuisse *Liviam*: neque tamen idcircò cum Manutio scribe, *Liviæ*. Nam ex quo Livia Augusto nupsit; & *Julia*, & *Augusta* nominata est.

1 *Facti.*] Intellige Cæsaris cædem.

2 *Simplicitatis.*] Simplicitas hîc sonat priscam morum integritatem, & quasi quandam naturæ bonitatem in ignoratione vitiorum positam, nec ullis adhuc artibus corruptam.

parte [3] exercituum naviumque Sextum Pompeium, Cnæi Magni filium, qui, ex Hispaniâ revertens, Siciliam armis occupaverat, petit. Ad quem & è Brutianis castris, & ex Italiâ, aliisque terrarum partibus, quos præsenti periculo fortuna subduxerat, proscripti confluebant. Quippe nullum habentibus [4] statum quilibet dux erat idoneus; cum fortuna non electionem daret, sed perfugium ostenderet; exitialemque tempestatem fugientibus statio pro portu foret.

LXXIII. Hic adolescens erat [a] studiis rudis, sermone barbarus, [b] impetu strenuus manu promptus, [1] cogitatione celer, fide patri dissimillimus, libertorum suorum libertus, servorumque servus, speciosis invidens, ut pareret humillimis: quem senatus penè totus, adhuc à Pompeianis constans partibus, post Antonii à Mutinâ fugam, eodem illo tempore, quo Bruto Cassioque transmarinas provincias decreverat, revocatum ex Hispaniâ, ubi adversus eum clarissimum bellum Pollio Asinius prætorius gesserat, in paterna bona restituerat, & oræ maritimæ præfecerat. Is tum, ut prædiximus, occupatâ Siciliâ, [c] servitia, fugitivosque in numerum exercitûs sui recipiens, magnum modum legionum effecerat; perque Menam & Menecratem, paternos libertos, præfectos classium, latrociniis ac prædationibus infestato mari, ad se exercitumque tuendum rapto utebatur; [d] cùm eum non depuderet vindicatum armis ac ductu patris sui mare infestare piraticis sceleribus.

LXXIV. Fractis Brutianis Cassianisque partibus, Antonius [a] transmarinas obiturus provincias [1] substitit; Cæsar in Italiam se recepit, eamque longè, quàm speraverat, tumultuosiorem reperit, quippe L. Antonius consul, [b] vitiorum [2] fratris sui consors, sed virtutum, quæ interdum in illo erant, expers, modò apud veteranos criminatus Cæsarem, modò eos, [3] qui justè divisione prædiorum, nominatis-

INTERPRETATIO.

a *Ignarus literarum.*
b *Acer dexterque ad audendum.*
c *Recipiens servos, & fugitivos* solùm *ut suus exercitus esset numerosior, effeceras magnum numerum legionum.*
d *Cùm eum non puderet teneret clausum piraticis deprædationibus* illud *mare, quod liberatum fuerat armis, & ductu sui patris.*

a *Peragraturus provincias, quæ sunt ultra mare.*
b *Qui vitia sui fratris habebat, non item virtutes, quæ in* fratre *nonnunquam erant.*

NOTÆ.

3 *Exercituum.*] Cum Lipsio lege: *exercitûs.*

4 *Statum.*] Interpretor, nullam vitæ conditionem certam, & tolerabilem habentibus.

1 *Cogitatione celer.*] Intelligenda non est eâ cogitandi celeritas, quæ dumtaxat summis ingeniis convenit: sed consilii qualiscumque capiendi, volubilitas: quæ audacis ac præcipitis animi est.

1 *Substitit.*] Scilicet in Græciâ.

2 *Fratris sui.*] Antonii triumviri.

3 *Qui justè.*] Lege cum omnibus: *injustè*: aut, *injustâ*. Nec verò sensit, aut scripsit aliter Velleius. Sin minùs, putidissimus sit adulator, ut rectè Lipsius pronuntiat.

que

que colonis agros amiserant, [c] ad arma conciens, magnum exercitum conflaverat. Ex alterâ parte uxor Antonii Fulvia, nihil muliebre, præter corpus gerens, [d] omnia armis tumultuque miscebat. Hæc belli sedem [4] Præneste ceperat. Antonius, pulsus undique viribus Cæsaris, [5] Perusiam se contulerat; Plancus, Antonianarum adjutor partium, spem magis ostenderat auxilii, quàm opem ferebat Antonio. Usus Cæsar virtute & fortunâ suâ, Perusiam expugnavit; Antonium inviolatum dimisit. [e] in Perusinos magis irâ militum, quàm voluntate sævitum ducis. Urbs incensa, [f] cujus initium incendii princeps ejus loci fecit [6] Macedonicus; qui, subjecto rebus ac penatibus suis igni, transfixum se gladio flammæ intulit.

LXXV. Per eadem tempora exarserat in Campaniâ bellum, quod, professus eorum, qui perdiderant agros, patrocinium, ciebat Tiberius Claudius Nero, prætorius & Pontifex, Tiberii Cæsaris pater, magni vir animi, [a] doctissimique ingenii. Id quoque adventu Cæsaris sepultum atque discussum est. Quis fortunæ mutationes, quis dubios rerum humanarum casus satis mirari queat? Quis non diversa præsentibus, contrariaque exspectatis aut speret, aut timeat? Livia, nobilissimi & fortissimi viri Drusi Claudiani filia, [b] genere, probitate, formâ, Romanarum eminentissima, quam postea conjugem Augusti vidimus, [1] quam transgressi ad Deos sacerdotem ac filiam, [c] tum fugiens mox futuri sui Cæsaris arma, vix bimum

INTERPRETATIO.

c *Ad arma concitans.*

d *Omnia turbabat armis, & seditionibus.*

e *Actum est crudeliter in Perusinos, potiùs irâ militum, quàm consensu ducis.*

f *Cujus incendium habuit initium à Macedonico, primo hujus urbis, qui, igne submisso sua supellectili & sua domui, in flammam conjecit se, ense transfossum.*

a *Et summa doctrina.*

b *Clarissima* matronarum *Romanarum, nobilitate, virtute, pulchritudine.*

c *Tum fugiens arma Cæsaris, futuri non multò post sui* mariti, *portans in gremio hunc Tiberium Cæsarem, qui nunc defensor est Imperii Romani, nondum duorum annorum, & futurum filium ejusdem Cæsaris.*

NOTÆ.

4 *Præneste.*] Vide sup. *lib.* 2. *cap.* 26. *n.* 2.

5 *Perusiam.*] Vulgò, *Perouse*, urbs ampla, & culta, in eâ Etruriæ parte, quæ summo Pontifici subest apud Tiberim.

6 *Macedonicus.*] Ei nomen erat *Cestius.* Macedonici cognomen assumpserat sibi, quòd in Macedoniâ militasset. Ita Appian. 5. *Bell, Civil.*

1 *Quàm transgressi, &c.*] Id est, quàm vidimus etiam Sacerdotem ac filiam Augusti, postquam ille ad superos migravit. Ubi duplex oritur difficultas. 1. Cur appellet eam *Sacerdotem.* 2. Cur vocet etiam *filiam.* Primam difficultatem solvunt Dio, & Tacitus, cùm docent immortalitatem Cæsari tributam, ei Flamines datos, & Liviam ejus Sacerdotem constitutam fuisse. Secundam solvit Vossius ex Numismate Claudii, qui Liviam postea consecravit. Hujus Numismatis aversa pars exhibet: S. P. Q. R. DIVÆ JULIÆ AUGUSTI FILIÆ. Nomen autem filiæ assumpsit Livia: 1. quòd in Juliam familiam adoptione transierit. 2. Quòd Augustus jusserit eam ferre nomen suum. Ut clarè Tacitus Suetoniusque testantur.

hunc Tiberium Cæsarem, vindicem Romani imperii, [2] futurumque ejusdem Cæsaris filium, gestans sinu, [d] per avia itinerum vitatis militum gladiis, uno comitante, quò faciliùs occultaretur fugâ, pervenit ad mare, & cum viro Nerone pervecta in Siciliam est.

LXXVI. [a] Quod alieno testimonium redderem, in eo non fraudabo avum meum. [b] Quippe Caius Velleius, honoratissimo inter illos treecentos sexaginta judiees loco, à Cnæo Pompeio lectus, ejusdem, Marcique Bruti, [1] ac Tironis præfectus [2] fabrûm, vir nulli secundus, in Campaniâ, digressu Neronis à Neapoli, cujus ob singularem eum eo amicitiam partium adjutor fuerat, gravis jam ætate & corpore, cùm comes esse non posset, gladio se ipse transfixit. [c] Inviolatam excedere Italia Cæsar passus Fulviam, Planeumque muliebris fugæ, c[illegible]em. Nam Pollio Asinius cum septem legionibus, diu retentâ in potestate Antonii [3] Venetiâ, magnis speciosisque rebus circa [4] Altinum, aliasque ejus regionis urbes editis, Antonium petens, [5] vagum adhue Domitium, quem digressum è Brutianis castris post cædem ejus prædiximus, & propriæ classis factum ducem, consiliis suis illectum, ae fide datâ, junxit Antonio. Quo facto quisquis æquum se præstiterit, sciat non minùs à Pollione in Antonium, quàm ab Antonio in Pollionem esse collatum. Adventus deinde in Italiam Antonii, præparatúsque contra eum Cæsaris, habuit belli

INTERPRETATIO.

d *Per devia itinera.*

a *Non frustrabor avum meum eo testimonio, quod redderem extraneo.*

b *Quippe C. Velleius, vir,* qui *nemini cedebat, electus à Cnæo Pompeio inter præcipuos illos trecentos sexaginta judices, & præfectus operum,* quæ *idem* Pompeius, *& Marcus Brutus, ac Tiro in Campaniâ* fieri curabant; *cùm jam, propter ætatem & tarditatem corporis, non posset comitari discedentem à Neapoli Neronem, cujus partibus auxiliatus fuerat, ob singularem cum eo amicitiam ense se ipse transfodit.*

c *Cæsar passus* est *abire Fulviam illæsam, & Plancum socium esse fugæ* hujus *mulieris.*

NOTÆ.

2 *Futurumque ejusdem Cæsaris, &c.*] In eo fortunæ vices, Velleius notat, & admiratur Dio; quòd hæc Livia, quæ rum Augustum fugiebat, ipsi postea nupserit? & Tiberius ille, qui cum parentibus tum fugiebat, principatum Cæsaris postea acceperit.

1 *Ac Tironis.*] Lipsio placet: *Tib. Neronis.* Quo modo Aldus emendavit.

2 *Fabrûm.*] In numero multitudinis usitatius erat etiam Ciceronis ætate, quàm Fabrorum. *Cicer. in Orat.* Fabrûm & Procùm audeo dicere, non Fabrorum & Procorum. Idem *ad Attic. lib.* 9. Jam duo præfecti Fabrûm Pompeii in meam potestatem venerunt.

3 *Venetiâ.*] Est regio Venetorum Italiæ populorum, ab ostiis Padi fluminis post Istriam usque protensa, Hadriatico mari proxima: vulgò, *l'Etat de la Republique de Venise.* Habet Venetias universæ ditionis caput.

4 *Altinum.*] *Altino*: Urbs Mediterranea Venetiæ, ab Hunnis olim eversa.

5 *Vagum adhuc.*] Id est, adhuc incertum, quas partes amplecteretur.

metum : sed pax circa Brundisium composita. Per quæ tempora Rufi Salvidieni scelesta consilia patefacta sunt. [d] qui, natus obscurissimis initiis, parum habebat summa accepisse, & proximus à Cnæo Pompeio, ipsoque Cæsare ex equestri ordine [6] consul creatus esse, nisi ascendisset, quò infra se & Cæsarem videret, & rempublicam.

LXXVII. Tum, [a] expostulante consensu populi, quem gravis urebat infesto mari annona, cum Pompeio quoque circa [1] Misenum pax inita: qui haud absurdè cùm in navi Cæsaremque & Antonium cenâ exciperet, dixit: [2] In carinis suis se cenam dare. Referens hoc dictum ad loci nomen, in quo paterna domus ab Antonio possidebatur. In hoc pacis fœdere placuit, [3] Siciliam, [4] Achaiamque Pompeio concedere: in quo tamen [b] animus inquies manere non potuit: id unum tantummodò salutare adventu suo patriæ attulit, quòd omnibus proscriptis, aliisque, qui ad eum ex diversis causis fugerant, [c] reditum salutemque pactus est. Quæ res & alios clarissimos viros, & Neronem Claudium & Marcum Silanum, Sentiumque Saturninum, & Aruntium ac Titium, restituit reipublicæ. Statium autem Murcum, qui, adventu suo classisque celeberrimæ, vires ejus duplicaverat, insimulatum falsis criminationibus, quia talem virum collegam officii Mena & Menecrates fastidierant, Pompeius in Siciliâ interfecerat.

LXXVIII. Hoc tractu temporum Octaviam, sororem Cæsaris, Marcus Antonius duxit uxorem. Redierat Pompeius in Siciliam,

INTERPRETATIO.

d *Qui, ortus ignobilissimis natalibus, existimabat satis non esse* sibi, *quòd accepisset summos* honores, *& quod creatus fuisset consul ex ordine equitum, primus à Cnæo Pompeio, & ab ipso Cæsare, nisi, &c.*

a *Querente universo populo, quem maxima ciborum inopia premebat, non libero mari.*

b *Animus inquietus.*

c *Reditum vitamque* certis conditionibus *promisit.*

NOTÆ.

6 *Consul creatus esse.*] Non audiendus est Ursinus, qui vellet legi: *Cos. creatum esse*. Nam cui non notus Hellenismus 1. Catuli: *ait fuisse navium celerrimus* 2. Virgilii: *Sensit medios delapsus in hostes.*

1 *Misenum.*] Vulgo *Monte Miseno*, Promontorium Campaniæ, non procul à Cumis.

2 *In Carinis suis.* Carinæ nomen erat vici Romani ad pedem clivi Capitolini, in quo tum Pompeii domus erat.

3 *Siciliam.*] Gallis, *la Sicile.* Insula est ampla, & formæ triangularis inter mare Tyrrhenum ad Boream, mare Siculum ab eâ dictum ad Ortum, & mare Libycum ad Meridiem. Separatur ab Italiâ angusto freto 1500. passuum: ejusque circuitus est 600. mille passuum. Aliàs reges habuit proprios: hodie verò Hispaniæ regi subest. Hodie Metropoles sunt Messana, Panormus, & Mons regalis.

4 *Achaiamque.*] Si de Achaiâ latè sumpta sermo sit, ut hîc esse puto, intellige Græciam propriam, & Hellada, hodie *Livadie*. Si de Achaiâ propriâ, intellige Ducatum Clarentiæ in Peloponneso: *le Duché de Clarence.*

Antonius in transmarinas provincias: [1] quas [a] magnis momentis Labienus, ex Brutianis castris profectus ad Parthos, producto eorum exercitu in Syriam, interfectoque legato Antonii, concusserat: qui virtute & ductu Ventidii unà cum Parthorum copiis, celeberrimoque juvenum [2] Pacoro regis filio, exstinctus est. [3] Interim Cæsar per hæc tempora, ne, res disciplinæ inimicissima, otium corrumperet militem, crebris [4] in Illyrico Dalmatiaque expeditionibus, patientiâ periculorum, bellique experientiâ durabat exercitum. Eadem tempestate Calvinus Domitius, cùm ex consulatu obtineret Hispaniam, gravissimi comparandique antiquis exempli auctor fuit: quippè [5] primipili centurionem, nomine Vibillium, ob turpem ex acie fugam, [6] fuste percussit.

LXXIX. Crescente in dies & classe & famâ Pompeii, Cæsar molem belli ejus suscipere statuit. Ædificandis navibus, contrahendoque militi ac remigi, navalibusque [a] adsuescendo certaminibus atque exercitationibus, præfectus est Marcus Agrippa, virtutis nobilissimæ, labore, vigiliâ, periculo invictus, parendique, [1] sed uni, scientissimus, aliis sanè imperandi cupidus, & per omnia extra dilationes positus, consultisque facta conjungens. Hic, in [2] Averno ac Lucrino lacu speciosissimâ classe fabricatâ, quotidianis exercitationi-

INTERPRETATIO.

a *Adsuefaciendo.*

NOTÆ.

1 *Quas magnis momentis.*] Pro *motibus.* Quo modo usurpatur 1. à Seneca *ep.* 50. Exemplum (*clavi*) à piscibus tractum est, qui caudâ reguntur, & levi ejus in utrumque momento velocitatem suam flectunt. 2. à Cicerone *lib.* 2. *de Nat. Deor. num.* 117. Astra formâ ipsâ figurâque, sua momenta (*æquabiles motus*) sustentant.

2 *Pacoro.*] Filio Orodis regis Parthorum, qui Crassum dolo circumventum interemerat.

3 *Interim per hæc tempora.*] Alterutrum ut superfluum delendum esse rectè putat Acidalius. Neutrum tamen deleto; sed unam voculam sic transpone: *interim Cæsar, ne per hæc tempora, res disciplinæ inimicissima, &c.*

4 *In illyrico Dalmatiaque.*] Illyricum hodiernum, ampla Europæ regio, apud Geographos continet Dalmatiam, Croatiam, Bosnam, & Sclavoniam. Uno nomine comprehenditur à Gallis: *Esclavonie.*

5 *Primipili Centurionem.*] Id est, primum legionis Centurionem. Quod ut intelligatur, è Vegetio pauca afferenda sunt. In legione sunt tria peditum genera: *hastati, principes,* &, qui omnes antè stabant, *triarii.* In singulis deni centuriones erant: in *hastatis,* & *principibus* ab ordine nominati, nimirùm primus hastatus, primus princeps, & sic de reliquis usque ad decimum. In *triariis* dispar est ratio: neque enim dicitur primus triarius; sed primipilus: primipili verò centurio primus centurio vocabatur, eratque in legione post tribunum primus.

6 *Fuste.*] Ritu prisco. Nam moris erat milites fustibus, vel vitibus castigare. Honestior autem pœna vitis, quàm fustis erat. Quare Romani milites vite, fuste autem cædebantur extranei. Hinc, teste Plinio, vitis in manu, insigne fuit Romanorum Centurionum.

1 *Sed uni.*] Scilicet, Augusto.

2 *Averno, ac Lucrino lacu.*] Campaniæ lacus in sinu Baiano, contra Puteolos. Maximè Averni aquæ densas inter sylvas adeò fœtent, ut supervolitantes aves mortuæ decidant. Atque hinc ad inferos descendi Poëtæ fabulantur, qui etiam

'bus militem remigemque ad summam, & militaris & maritimæ rei perduxit scientiam. Hac classe Cæsar, cum priùs, [3] despondente ei Nerone, cui antè nupta fuerat, Liviam, auspicatis reipublicæ ominibus duxisset eam uxorem, Pompeio Siciliæque bellum intulit. Sed virum, humanâ ope invictum graviter eo tempore fortuna concussit. Quippe longè majorem partem classis, [4] circa Veliam Palinurique promontorium, adorta [5] vis Africi, laceravit [b] ac distulit. [c] Ea patrando bello mora fuit, quod postea [6] dubiâ, & interdum ancipiti, fortunâ gestum est. Nam & classis eodem loco vexata est tempestate, &, ut navali primo prælio, [7] apud Mylas, ductu Agrippæ, pugnatum prosperè; ita, inopinato classis adventu, gravis sub ipsius Cæsaris oculis circa [8] Tauromenium accepta clades; neque ab ipso periculum abfuit. Legiones, quæ cum Cornificio erant, legato Cæsaris, expositæ in terrâ, pænè à Pompeio oppressæ sunt. Sed ancipitis fortuna temporis, maturâ virtute correcta. [9] Explicatis quippe utriusque partis classibus, pænè omnibus exutus navibus, Pompeius Asiam fugâ petivit. Jussuque Marci Antonii, cujus opem petierat, [d] dum inter ducem & supplicem tumultuatur, & nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, [10] à Titio jugulatus est: cui in tantùm

INTERPRETATIO.

b *Et in diversa loca tulit.*

c *Hoc impedimentum fuit*, quominus *absolveretur bellum, quod postmodum gestum est eventu vario, & aliquando periculoso.*

d *Dum turbas agit, & fluctuans inter personam ducis & supplicis, nunc dignitatem retinet, nunc vitam poscit, interfectus est à Titio.*

NOTÆ.

Avernum pro inferno usurpant. Nunc verò Lucrini lacus nihil nisi palus lutuosa cum arundineto superest, ab anno 1538. quo ingens terræ motus contigit.

3 *Despondente ei Nerone.*] Schema pudendæ rei: quasi maritus uxorem Augusto sponte concederet. Re verâ autem *Tib. Neronis matrimonio Liviam, & quidem prægnantem, abduxit* Augustus: ut simpliciter loquitur Suetonius. Tacitus verò *abductam*, ait, *Neroni uxorem, & consultos per ludibrium Pontifices, an concepto, necdum edito partu ritè nuberet.*

4 *Circa Veliam.*] Urbs Lucaniæ est: nunc jacet, ubi nunc *Castel à mar della Brucca*, in provinciâ principatûs citerioris: ubi quoque est Palinuri promontorium, vulgò, *Capo di Palinuro.*

5 *Vis Africi.*] Hic ventus in mari mediterraneo dicitur: *Ponent-lebeche*: in Oceano *Sudouest.*

6 *Dubiâ & interdum ancipiti.*] Transponit Acidalius copulam, *&*, hoc pacto: *dubiâ interdum & ancipiti.* Fatetur tamen ancipitem fortunam sumi posse pro periculosâ: quo sensu nullâ mutatione opus est.

7 *Apud Mylas.*] Urbs est Siciliæ, in valle Demonæ, vulgò *Milazzo.*

8 *Tauromenium.*] In Siciliâ quoque, non procul à Drepano promontorio; vulgò, *Taormina.*

9 *Explicatis, &c.*] Id est, in patenti loco expositis & instructis ad ineundum certamen.

10 *A Titio jugulatus est.*] Ubi? Non in urbe Phrygiæ Midaio, ut Dioni placet: sed Mileti, ut Floro, Appiano, & Straboni ejusdem propemodum temporis scriptori. *Geog. lib.* 3.

duravit hoc facinore contractum odium, ut mox, ludos in theatro Pompeii faciens, execratione populi, spectaculo, quod præbebat, pelleretur.

LXXX. Acciverat gerens contra Pompeium bellum ex Africâ Cæsar Lepidum cum duodecim semiplenis legionibus. Hic vir omnium vanissimus, neque ullâ virtute tam longam fortunæ indulgentiam meritus, exercitum Pompeii, quia propior fuerat, sequentem non ipsius, sed Cæsaris auctoritatem ac fidem, sibi junxerat: inflatúsque ampliùs viginti legionum numero [a] in id furoris processerat, ut inutilis in aliena victoria comes, quamdiu moratus erat, dissidendo in consiliis [1] Cæsaris, & semper diversa iis, quæ aliis placebant, dicendo, totam victoriam ut suam interpretaretur: audebátque denunciare Cæsari, excederet Siciliâ. Non ab Scipionibus, aliisque veteribus Romanorum ducum, quidquam ausum patratumque fortiùs, quàm tunc à Cæsare. Quippe cùm inermis & [2] lacernatus esset, præter nomen nihil trahens, ingressus castra Lepidi, evitatis, quæ jussu hominis pravissimi tela in eum [3] jacta erant, cùm lacerna ejus perforata esset lanceâ, Aquilam legionis rapere ausus est. [b] Scires, quid interesset inter duces. Armati inermem secuti sunt; decimoque anno, quàm ad dissimillimam vitæ suæ potentiam pervenerat Lepidus, & à militibus, & à fortunâ desertus, pulloque velatus amiculo, inter ultimam confluentiam ad Cæsarem turbam latens, genibus ejus advolutus est. Vita, rerumque suarum dominium concessa ei sunt: [c] spoliata quam tueri non poterat dignitas.

LXXXI. Subita deinde exercitus seditio, qui, plerumque contemplatus frequentiam suam, à disciplina discessit; [a] &, quod cogere se putat posse, rogare non sustinet, partim severitate, partim liberalitate discussa principis. [1] Speciosumque per id tempus adjectum

INTERPRETATIO.

a *Venerat in eam dementiam, ut arrogaret* sibi, *tanquam suam, totam victoriam, quam retardaverat diu, dissentiendo Cæsari in consiliis, & dicendo semper contraria iis, quæ aliis probabantur*, cùm esset *inutilis socius in victoriâ aliorum.*

b *Cognoscere posses, quantum discrimen esset inter* eos *duces.*

c *Adempta* ei *dignitas, &c.*

a *Et non dignatur petere precibus* id, *quod credit se posse* vi *obtinere.*

NOTÆ.

1 *Cæsaris.*] Acidalius vult legi: *Cæsari.*

2 *Lacernatus.*] Id est, lacernâ indutus: de quâ suprà cap. LXX.

3 *Jacta erant.*] In editione primâ legitur: *acta.* Quod Vossius mutare non debuisset: nam *agere tela* rectè dicitur pro *adigere.* Hinc ponderum impulsores Ovidius 5. *Fast.* vocat actores.

Fulmina de cœli jaculatus Jupiter arce.
Vertit in actores pondera vasta suos.

1 *Speciosumque, &c.*] Sensus est: hoc tempore plurimi coloni submissi sunt Capuam ad supplendum numerum hujus coloniæ.

supplementum Campanæ coloniæ: [2] ejus reditus erant publici: pro his longè uberiores reditus duodecies sestertiûm in Cretâ insulâ redditi, & aqua promissa, quæ hodieque singulare [3] & salubritatis instar, & amœnitatis ornamentum est. Insigne coronæ [4] classicæ, quo nemo unquam Romanorum donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit. Victor deinde Cæsar reversus in urbem, contractas emptionibus complures domos per procuratores, quò laxior fieret ipsius, publicis se usibus destinare professus est: Templumque Apollini, & circa porticus facturum promisit; quod ab eo singulari extructum munificentiâ est.

LXXXII. [1] Quâ æstate Cæsar tam prosperè in Lepidum in Siciliâ, bene fortuna in Cæsare & republicâ militavit ad Orientem; quippe Antonius cum [2] tredecim legionibus egressus Armeniam, ac deinde Mediam, & per eas regiones [3] Parthos petens, habuit regem eorum obvium. Primoque duas legiones, cum omnibus [4] impedimentis, [5] tormentisque, & Statiano legato, amisit; mox sæpiùs

NOTÆ.

2 *Ejus reditus erant publici.*]Hunc locum Dio mirificè illustrat, cùm refert seditionem exercitûs compositam sic fuisse: Cæsar pecuniam primùm, deinde agros militibus dedit. Nam quoniam publici, qui tunc erant, non sufficiebant, etiam alios emit ab iis, qui Capuam incolunt; & ipsis tum aquam Juliam, tum, terram Cnosiam (meliùs Gnosiam: est autem Gnosus in Cretâ.) eorum loco dedit. Ergò sensus loci sit: cùm agri, ex quibus Campanæ coloniæ reditus percipiebantur, publici essent, nec sine injuriâ dividi privatis possent: eos Cæsar emit, ac pro his in insulâ Cretâ reddidit alios agros, ex quibus uberiores reditus ampliùs nonaginta mille librarum provenirent. Insuper promisit se Capuam deducturum aquam, quæ illic & instauravit salubritatem, & est etiam nunc ornamentum amœnissimum.

3 *Et salubritatis instar.*] Existimo sic intelligi debere, *instar*; quasi adjumentum & instaurationem salubritatis. Certè Festus ab *instar* deducit *instaurare*: quoniam instaurari propriè dicitur, quod ad formam similem exemplo priori reducitur Hìc verò, ut bene notat Acidalius, *instar* non exemplum est, nec passivè sumitur pro eo, quod instauratum est: sed activè, ut quod instaurat: hìc nempe salubritatem.

4 *Classicæ.*] Id est, navalis. Aurea erat, & rostrata, sive navium quasi rostris adornata.

1 *Quâ æstate.*]Hunc locum aut maculatum, aut mutilatum Schegkius sic restituit. Quâ æstate Cæsar tam prosperè in Lepidum in Siciliâ, pænè fortuna in Cæsarem & rempublicam militavit ad Orientem. Quæ lectio mihi placere posset, si quid adversi ad Orientem Cæsari contigisse legerem: cùm verò omnia feliciter illi cesserint, probari mihi non potest. Certè codicibus, non emendatoris conjecturâ opus est. Satis igitur & aliis, & mihi erit proferre sensum loci: is sit. Quâ æstate Cæsar in Siciliâ adeò prosperè pugnavit in Lepidum; eâdem fortuna ipsa æquè feliciter pro Cæsare, & pro republicâ militavit ad Orientem.

2 *Tredecim.*] Scribe cum Freinshemio: *sexdecim*. Lege quoque: *ingressus*: quomodo habet editio Gryphiana.

3 *Parthos petens.*]Notissimos Asiæ populos, olim totius imperii Persici dominos.

4 *Impedimentis.*] In exercitu impedimenta dicuntur sarcinæ, instrumenta, & quævis res aliæ, quæ ad exercitûs usum conferuntur: Gallicè, *le Bagage*.

5 *Tormentisque.*] Interpretare bellicas machinas, quæ saxa, tela, & id genus alia torquent.

ipſe, cum ſummo totius exercitus diſcrimine, ea adiit pericula, quibus ſervari ſe poſſe deſperaverat; amiſſaque non minùs quartâ parte militum, captivi cujuſdam, ſed Romani, conſilio ac fide ſervatus. Qui clade Craſſiani exercitus captus, cùm fortunam, non animum, mutaſſet, acceſſit noctè [6] ad ſtationem Romanam; prædixitque, ne deſtinatum iter peterent, ſed diverſo ſilveſtrique pervaderent. [7] Hoc Marco Antonio actò, illis legionibus ſaluti fuit: de quibus tamen, totoque exercitu haud minùs pars quarta, ut prædiximus, militum, calonum, [8] ſervitiique deſiderata eſt; impedimentorum vix ulla ſuperfuit. Hanc tamen Antonius fugam ſuam, quia vivus exierat, victoriam vocabat. Qui, tertiâ æſtate reverſus in Armeniam, regem ejus Artavaſden, fraude deceptum, catenis, ſed, ne quid honori deeſſet, aureis vinxit. Creſcente deinde & amoris in Cleopatram incendio, & vitiorum, quæ ſemper facultatibus, licentiâque, & aſſentationibus aluntur, magnitudine, bellum patriæ inferre conſtituit; cùm antè novum ſe [9] Liberum Patrem appellari juſſiſſet, cùm, redimitus hederis, coronaque velatus aurea, [10] & thyrſum tenens, [11] cothurniſque ſuccinctus, curru, velut Liber Pater, vectus eſſet Alexandriæ.

LXXXIII. Inter hunc apparatum belli, Plancus non judicio recta legendi, neque amore reipublicæ aut Cæſaris, [quippe hæc ſemper impugnabat,] [a] ſed [1] morbo proditor, cum fuiſſet humillimus aſſentator reginæ, & infra ſervos cliens, cùm Antonii librarius, cùm obſceniſſimarum rerum auctor, & miniſter, cùm [2] in omnia, &

INTERPRETATIO.

a *Sed inveteratâ perfidiâ, cùm fuiſſet abjectiſſimus adulator reginæ*, & ejus *cliens humilior, quàm ſervi.*

NOTÆ.

6 *Ad ſtationem.*] Statio de quovis loco dicitur, ubi ſtatur. Hic verò dicitur de loco vigilibus, ac cuſtodibus ad agendas excubias aſſignato: Gallicè: *Corps de Garde.*

7 *Hoc Marco Antonio actò.*] Etſi ſuus eſt huic lectioni ſenſus; malo tamen cum Boëclero legere: *hoc Marco Antonio, ac tot illis legionibus ſaluti fuit.*

8 *Servitiique.*] Id eſt, ſervorum. Deſiderari autem in exercitu dicuntur ii, qui in prælio ceciderunt; eò quòd in recenſione, quæ ſolet à prælio fieri, non comparent.

9 *Liberum.*] Bacchum, Jovis ex Semele filium. Deus vini putatus eſt, ac pro ipſo vino poni ſolet. Unde dictus eſt, teſte Seneca, Liber à *liberando*, quia vinum curas ſolvit, & ab illis mentem liberat: non verò, ut quidam ſcripſerunt, quòd, qui vino uſi ſunt nimio, liberè loquantur.

10 *Et thyrſum.*] Haſta erat aculeata, tectâ hederâ, & in Bacchi orgiis geſtari ſolita.

11 *Cothurniſque.*] Cothurnus calceamenti genus eſt ſubere quodammodo ſublevati: quo utebantur tragœdi, & virgines, ut eminentiores viderentur.

1 *Morbo proditor.*] Inveterata & uſu corroborata vitia morbi animi dicuntur.

2 *In omnia, & in omnibus.*] Lipſius legit: *in omnia, & omnibus venalis*, ut ſenſus ſit; Plancum à quovis ad quod liberet trahi auro potuiſſe.

in

in omnibus venalis, cum [1] cœruleatus & nudus, caputque redimitus arundine, & caudam trahens, genibus innixus, [4] Glaucum saltasset in convivio, [5] refrigeratus ab Antonio, ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæsarem. [6] Et idem postea clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur; dictitans, id probatum à Cæsare, cui ille ignoraverat. Hunc mox avunculum Titius imitatus est. Haud absurdè Coponius, vir prætorius, [7] gravissimus, P. Silii socer, cum recens transfuga, multa ac nefanda Plancus absenti Antonio, in senatu objiceret: multa, inquit, me hercules fecit Antonius, pridiè quàm tu illum relinqueres.

LXXXIV. Cæsare deinde, & Messalla Corvino consulibus [a] debellatum apud [1] Actium; ubi, longe antè quàm dimicaretur, exploratissima Julianarum partium fuit victoria. Vigebat in hac parte miles, atque Imperator. [b] Illa [2] marcebant omnia. [3] Hinc reges firmissi-

INTERPRETATIO.

a *Bellum finitum est.* | b *In illâ omnia languebant.*

NOTÆ.

3 *Cœruleatus, & nudus.*] Id est, alterâ parte cœruleo amictu tectus, alterâ verò nudus.

4 *Glaucum saltasset.*] Id est, Glaucum saltando expressisset, retulisset, imitatus esset. Est simile quid apud Horatium *lib.* 1. *Ser. Sat.* 5.

——— *In faciem permulta jocatus.*
Pastorem saltaret, uti Cyclopa, rogabat.

Glaucus autem Deus maris est. De quo fabula variè narratur. Piscatorem alii aiunt fuisse, qui captos in ripâ pisces cùm explicuisset, quàdam herbâ contactâ, subitò prosilierunt in fluvium. Cujus herbæ vim admiratus cum ipse Glaucus degustasset, in aquam insiluit, pisces insecutus; & acceptus est inter maris numina. Alii verò tradunt urinatorem fuisse, qui cum inspectantibus municipibus suis sæpiùs in fluvium se dejecisset, diutiusque subter aquas moratus semper emersisset: cum tandem frustrà illis expectantibus non rediret, deus maris est creditus.

5 *Refrigeratus.*] An est hic refrigerare, quòd dicit Plautus: *frigidam suffundere*? Certè non abs re omnino, eum, qui Glaucum ageret, aquâ joco aspergi. Atqui hæc est Acidalii interpretatio, ingeniosa quidem; at minime vera. Lipsiana verior est. Significatur intepuisse gratiam Planci apud Antonium, propter manifesta illius rapinarum indicia. Hunc porrò tepòrem memini vocari frigus ab Horatio, & à Seneca. Ab Horatio quidem *lib.* 2. *Ser. Sat.* 1. quanquam etiam id accipi pro *morte* posse scio. *Majorum ne quis amicus frigore te feriat.* A Seneca verò adhuc magis ad Velleii mentem *Epist.* 123. *Votienus Montanus, & amicitiâ Tiberii notus & frigore.*

6 *Et idem postea.*] Sensus est: Et idem postea Plancus laudi sibi vertebat victoris clementiam, quasi clementer & benignè ab illo propter suam virtutem exceptus fuisset.

7 *Gravissimus, P. Silii socer.*] Sic Rhenanus edidit. Aliter Vossius vult legi: *gravissimus patris Silii socer.* Quam conjecturam firmat his Suetonii verbis *in Augusti vitâ*: *accesserunt convivæ, Vinicinus ac Silius pater.*

1 *Actium.*] Epiri promontorium est, ubi Augustus, devictis navali prælio Antonio & Cleopatrâ, urbem condidit, quam Nicopolim à victoriâ nominavit.

2 *Marcebant omnia.*] Sic Rhenanus edidit, quo modo etiam Freinshemius emendavit; cùm in editione primâ legerentur: *illam arcebant omnia.* Burretius autem vult legi: *in illâ marcebant omnia*, quàm lectionem in interpretatione secuti sumus.

3 *Hinc reges firmissimi.*] Lege: *remi-*

mi. Illinc inopiâ affectissimi. Navium hinc magnitudo modica, cum celeritate; adversa illa, specie terribilior. Hinc ad Antonium nemo, illinc ad Cæsarem quotidie aliqui transfugiebant. Denique, in ore atque oculis Antonianæ classis, per M. Agrippam [4] Leucas expugnata, [5] Patræ captæ, Corinthus occupata, bis antè ultimum discrimen classis hostium superata. [6] Rex Amyntas meliora & utiliora secutus: [7] nam Deillius, exempli sui tenax, ut à Dolabella ad Cæsarem: virque clarissimus, Cnæus Domitius, qui solus Antonianarum partium, nunquam reginam nisi nomine salutavit, maximo & præcipiti periculo, transmisit ad Cæsarem.

LXXXV. Advenit deinde [a] maximi [1] discriminis dies, quò Cæsar Antoniusque, productis classibus, pro salute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicavêre. [2] Dextrum navium [3] Julianarum cornu [4] M. Lario commissum, lævum Arruntio, Agrippæ omne classici certaminis arbitrium, Cæsar, ei parti destinatus, in quam à fortunâ vo-

INTERPRETATIO.

a *Maximi certaminis.*

NOTÆ.

ges. Quàm Lipsii emendationem uno omnes consensu sequuntur. *Firmissimi* remiges dicuntur pro *recentes*, & Siculis bellis probè exercitati.

4 *Leucas.*] Urbs insulæ cognominis in Græciâ, *Sainte Maure.* Acarnaniæ adjacet, eique ponte jungitur. Unde quibusdam peninsula perperam dicitur.

5 *Patra.*] Urbs Achaiæ in Peloponneso, apud os sinûs Corinthiaci: vulgò, *Patras.*

6 *Rex Amyntas.*] Scilicet Lycaoniæ & Galatiæ.

7 *Nam Deillius.*] In autographo erat: *nam de illius exemplis vita naxuta Dolabella.* Hinc à Lipsio præter eam, quam textus suppeditat, excogitata duplex lectio. 1. *Nam Deillius exempli sui tenax & illo bello, virque clarissimus *** transmisere,* pro transmisit, *ad Cæsarem.* 2. Quæ mihi magis placet, sensum juvat distinctiuncula, & parenthesi hoc modo: *Rex Amyntas meliora & utiliora secutus (nam Deillius exempli sui tenax fuit & illo bello) virque clarissimus Cnæus Domitius *** transmisere ad Cæsarem.* Cujus lectionis sensum adhuc faciliùs erit intelligere, si de Deillio pauca dixero. 1. juxta Vossium rectiùs legeretur, *Dellius*, ex Plutarcho & Dione. 2. Historicus fuit. 3. Naturâ transfuga, ob eamque rem insignis, & ævo illo palam irrisus. 4. A Dolabella ad Cassium, à Cassio ad Dolabellam, ab Antonio demum transmisit ad Cæsarem, exempli sui, sive moris tenax, & usque similis sibi.

1 *Discriminis.*] Interpretatus sum, *certaminis*: quo sensu dixit Virgilius lib. 5. Æneid.

— *Post hos æquo discrimine Pistrix*
Centaurusque locum tendunt superare priorem.

2 *Dextrum navium cornu.*] In navalibus, uti in terrestribus, præliis acies instruitur: estque sinistra & dextra ala; sinistrum & dextrum cornu. Vide suprà *cap.* 70. *n.* 2.

3 *Julianarum.*] Octavii Cæsaris naves intelligit, quas Julianas idcirco vocat, quod iis Julii Cæsaris vindictam persequeretur Octavius.

4 *M. Lario.*] Ursinus ex æreo quodam Augusti numismate, ubi dicitur P. Lurius. AGRIPPA. III. VIR. A. A. A. F. F. Ursinus, inquam, legit: Lurio. Quod è Dione Lipsius probat.

caretur, ubique aderat: classis Antonii regimen Publicolæ[5] Sosioque commissum. At in terra locatum exercitum Taurus Cæsaris, Antonii regebat Canidius. Ubi initum certamen est, omnia in alterâ parte fuere, dux, remiges, milites; in alterâ nihil, præter milites. [b] Prima occupabat fugam Cleopatra: Antonius fugientis Reginæ, quàm pugnantis militis sui, comes esse maluit: & Imperator, qui in desertores sævire debuerat, desertor exercitus sui factus est. Illis, etiam detracto capite in longum fortissimè pugnandi duravit constantia; & desperatâ victoriâ, in mortem dimicabatur Cæsar, quos ferro poterat interimere, verbis mulcere cupiens, clamitansque & ostendens, fugisse Antonium, quærebat, pro quo & cum quo pugnarent. At illi, cùm diu pro absente dimicassent duce, ægrè summissis armis, cessêre victoriam; citiusque vitam veniamque Cæsar promisit, quàm illis, ut ea precarentur, persuasum est. Fuitque in confesso, milites optimi Imperatoris, Imperatorem fugacissimi militis functum officio. Ut dubites, suóne, an Cleopatræ arbitrio victoriam temperaturus fuerat. Qui ad ejus arbitrium direxit fugam. Idem locatus in terrâ fecit exercitus, cùm se Canidius, præcipiti fugâ rapuisset ad Antonium.

LXXXVI. Quid ille dies terrarum orbi præstiterit, [1] ex quo in quem statum pervenerit fortuna publica, quis in hoc transcursu tam artati operis exprimere audeat? Victoria verò fuit clementissima, nec quisquam interemptus, nisi paucissimi, & ii, qui deprecari quidem pro se non sustinerent. Ex qua lenitate ducis colligi potuit, quem aut initio triumviratus sui, aut in campis Philippiis, si licuisset, victoriæ suæ [2] facturus fuerit ** ad solium alarunt, in prisca gravitate

INTERPRETATIO.

b *Primò Cleopatra se dat in fugam ante alios.*

NOTÆ.

5 *Sosioque.*] Lipsius mallet: *Sossio*, atque ita Græci. Verùm Latini omnes cum Velleio scribunt *Sosium*. Cæterùm ne erres cum multis, nam de Sosio variè commemorant: sic habeto: duos Sosios in castris Antonii fuisse. Alter antè prælium Actiacum in levi pugnâ contra L. Arruntium periit, teste Dione *lib.* 1. Alter verò post Actiacam victoriam incolumitatem ab Augusto impetravit, eodem teste *lib.* 2.

1 *Ex quo in quem statum.*] Ab Oligarchiâ, quæ paucorum dominatio est, ad Monarchiam, sive unius imperium respública transiit. Actiacæ victoriæ diem diligenter Velleius notat, quòd ex eo tempore Romæ repetitus sit uni prorsus parendi mos. Quare ne audias eos, qui à Julio Cæsare potiùs, quàm ab Augusto initia Romanæ Monarchiæ numerant. Non propterea Julio Cæsari eripio primi inter Romanos imperatores loci decus: Sed de Julio & Octavio dici potest, quòd de Philippo Macedone & Alexandro Justinus pronunciavit: *Orbis imperii fundamenta pater jecit; totius operis gloriam filius consummavit.*

2 *Facturus fuerit.* **] Videtur deesse, *modum*: sicque sensus esset: ex lenitate, quàm Cæsar in Actiacâ victoriâ præbuit, judicari potuit, quàm moderatè suâ victoriâ usurus fuisset, aut initio sui triumviratûs, aut in campis Philippiis, si licuisset.

celeberrimi fides, mox diu clementiâ luctatus suâ Cæsar, servavit incolumem. Non prætereatur Asinii Pollionis factum, & dictum memorabile. Namque, cùm se post Brundisinam pacem continuisset in Italiâ, neque aut vidisset unquam reginam, aut post enervatum amore ejus Antonii animum, partibus ejus se miscuisset, rogante Cæsare, ut secum ad bellum proficisceretur Actiacum; mea, inquit, in Antonium majora merita sunt, illius in me beneficia notiora: itaque [3] discrimine vestro me subtraham, & ero præda victoris.

LXXXVII. Proximo deinde anno persecutus reginam Antoniumque [1] Alexandriam, ultimam bellis civilibus imposuit manum. Antonius se ipse [2] non segniter interemit, adeò ut multa desidiæ crimina morte redimeret. At [3] Cleopatra, frustratis custodibus, [4] illatâ aspide, [5] morsu sanè ejus, expers muliebris metûs, spiritum reddidit. Fuitque & fortunâ, & clementiâ Cæsaris dignum, quod nemo ex iis, qui contra eum arma tulerant, ab eo jussúve ejus interemptus. Decimum Brutum Antonii interemit crudelitas. Sextum Pompeium, ab eodem victum, idem Antonius, cùm dignitatis quoque servandæ dedisset fidem, etiam spiritu privavit. Brutus & Cassius

NOTÆ.

Quæ consequuntur, & sunt aut hiulca, aut mutila, Cl. Puteanus ita restituit: *At Sosium L. Arruntii priscâ gravitate celeberrimi fides, mox diu clementiâ luctatus suâ Cæsar servavit incolumem.* Hunc locum mirifice illustrat Dio *lib.* 51. Ubi Sosium unum ex Antonianis ducibus post fugam occultatum ab Arruntio; ab Augusto, demum incolumem servatum scribit.

3 *Discrimine vestro.*] Acidalius vellet legi: *discrimini.* Discrimen porro sumitur hic pro certamine, sive dissensione, hoc sensu: itaque vestris dissensionibus me non interponam, nec immiscebo: sed ero præda victoris.

1 *Alexandriam.*] Est urbs Ægypti: Gallis dicitur, *Alexandrie.* Portum habet percelebrem, cujus ad ostium est insula Pharos, quæ, injectâ mole, nunc terræ adjacet.

2 *Non segniter interemit.*] Sic acta res est. Cùm servus operam Antonio suam, & manum commodare ad mortem noluisset; imò se gladio confodiens cùm ad heri pedes accidisset: tum Antonius ei, Recte tu quidem, inquit, qui, quod facere recusabas, quomodo mihi faciendum esset, ostenderis, Simulque vulnus in ventrem sibi impegit. Cætera ex Plutarcho repete.

3 *At Cleopatra.*] Auletæ filia fuit, soror & uxor Ptolemæi ultimi, regis Ægypti. A Cæsare primùm adamata, cui Cæsarionem filium peperit: dein ab Antonio uxoris loco habita est, relictâ Octaviâ Augusti sorore. Spiritum verò reddidit anno ætatis 39. Vide Horatium *Od.* 37. *Carm.* 1.

4 *Illatâ aspide.*] Serpentis genus est præsentissimi veneni. In Africâ solâ nascitur: unde dicitur nunc Libycâ, nunc Ægyptiâ. Nam quòd Strabo aliis in regionibus aspidas ponit: illud manifesti erroris Salmasius arguit. Neque enim, quas nos vocamus aspidas, habent ullam communem notam cum illis, quas veteres describunt. Quarum commune σύμπτωμα somnus est dormiendique libido, ac sine sensu, & dolore mors.

5 *Morsu sanè ejus.*] Ursini lectionem valde probo: *At Cleopatra: frustratis custodibus, illatâ aspide sinui, morsu ejus expers muliebris metus; spiritum reddidit.* Acidalius voculam, *sanè*, non citra rationem non sic transponit: *morsu ejus: sanè expers muliebris metûs.*

antè, quàm victorum experirentur animum, voluntariâ morte obierunt. Antonii Cleopatræque quis fuisset exitus, narravimus. Canidius timidiùs decessit, quàm professioni ejus, quâ semper usus erat, congruebat. Ultimus autem ex interfectoribus Cæsaris, Parmensis Cassius, morte pœnas dedit, ut dederat [6] Trebonius.

LXXXVIII. Dum ultimam bello Actiaco Alexandrinóque Cæsar imponit manum, Marcus Lepidus, juvenis, formâ, quàm mente, melior; Lepidi ejus, qui Triumvir fuerat reipublicæ constituendæ, filius; Juniâ Bruti sorore natus, interficiendi, simul in urbem revertisset, Cæsaris consilia inierat. Tunc Urbis custodiis præpositus Caius Mæcenas, equestri sed splendido genere natus, vir, ubi res vigiliam exigeret, sanè exsomnis, providens atque agendi sciens, [a] simul verò aliquid ex negotio remitti posset, otio ac mollitiis pænè ultra fœminam fluens; non minùs Agrippâ Cæsari carus, sed minùs honoratus: quippe vixit, [b] [1] angusto clavo pænè contentus; nec minora consequi potuit, [2] sed non jam concupivit. Hic speculatus est, per summam quietem ac dissimulationem, præcipitis consilia juvenis, & mirâ celeritate, nullaque cum perturbatione aut rerum aut hominum oppresso Lepido, immane novi ac resurrecturi belli civilis restrinxit initium. Et ille quidem malè consultorum pœnas exsolvit. [c] Æquetur prædictæ Calpurniæ Antistii, [3] Servilia Lepidi uxor; quæ,

INTERPRETATIO.

a *Sed languens desidiâ, & mollitie propè magis quam fœmina, statim atque negotia concederent illi aliquâ relaxationem*

b *Contentus equestri ordine.*

c *Comparemus cum Calpurniâ, uxore Antistii*, de quâ *suprà diximus*, *Serviliam uxorem Lepidi: qua, devoratis candentibus carbonibus, morte præproperâ nomini suo conciliavit sempiternam gloriam.*

NOTÆ.

6 *Trebonius.*] Usus Latini sermonis postulat, ut legatur: *ut dederat primus Trebonius.* Quod Manutius observavit ex Philippicis Ciceronis.

1 *Angusto clavo.*] Lipsii emendationem, Thysiique editionem secuti sumus, cum vulgò legeretur: *angusti clavi.* Meliùs etiam pro *pænè* legeretur; *planè*. Angustus clavus equestris ordinis insigne fuit, quo à Senatoribus equites discernebantur. Quod ut relinquam penitùs perspectum, observo *clavum* genus quoddam vestis esse, aureis clavis distinctæ; quæ & palmata vocabatur à similitudine palmarum: & Verrucata à verrucis clavo similibus. Quod si latior esset, latus clavus dicebatur, conveniebatque dumtaxat iis, qui Senatores erant. Hac veste tamen induebantur, qui vel patre Senatore, vel equites nati fuissent, ab anno 17. quo togam viridem etiam sumebant ad annum ætatis Senatoriæ. Quo anno si dignitatem senatoriam consequerentur, lati clavi vestem assumebant: sin minùs assequerentur, deponebant; angusto clavo tantummodò contenti.

2 *Sed non tam.*] Schegkius putat *tam* dici pro *valde*; authoritatemque Plauti affert; *ferocem facis, quia te herus tam amat.* Mihi quidem videtur hìc sumi *tam* pro æquè, hoc sensu, nec ad minores quàm Agrippa dignitates pervenire valuit, sed eas non æquè ac ille concupivit.

3 *Servilia.*] Quod de Serviliâ Velleius

[4] vivo igni devorato, præmaturam mortem immortali nominis sui pensavit memoriâ.

LXXXIX. Cæsar autem reversus in Italiam, atque urbem [1] occursus, quo favore omnium hominum, ætatum, ordinum exceptus sit; quæ magnificentia triumphorum ejus, [2] quæ fuerit munerum; ne in operis quidem justi materiâ, nedum hujus tam recisi, dignè exprimi potest. Nihil deinde optare à Diis homines, nihil Dii hominibus præstare possunt, nihil voto concipi; nihil felicitate consummari, quod non Augustus, post reditum in urbem, reipublicæ populóque Romano, terrarúmque orbi [3] repræsentavit. Finita vicesimo anno bella civilia, sepulta externa, revocata pax, sopitus ubique armorum furor; restituta vis legibus, judiciis auctoritas, senatui majestas; imperium magistratuum ad pristinum redactum modum; tantummodò octo prætoribus allecti duo; prisca illa & antiqua reipublicæ forma revocata; rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio; leges emendatæ utiliter, latæ salubriter; senatus sine asperitate, nec sine severitate lectus. Principes viri, triumphisque & amplissimis honoribus functi, hortatu Principis, ad ornandam urbem illecti sunt. [a] Consulatus tantummodo usque ad undecimum, quem continuaret Cæsar, cum sæpe obnitens repugnasset, impetrari potuit. Nam dictaturam, quàm pertinaciter ei deferebat populus, [4] tam constanter repulit. Bella sub Imperatore

INTERPRETATIO.

a *Obtineri non potuit à Cæsare, ut pergeret gerere consulatum ampliùs undecies, cùm sæpe restitisset* etiam *contra* id *obluctans*.

NOTÆ.

narrat, vulgò Porciæ, Bruti conjugi, adscribitur: deinde de Servilia Valerius Maximus, alioqui diligens hujus ævi scriptor, nihil commemorat. Denique Lepidi uxor non Servilia fuit, sed Antonia triumviri filia. Vossius tamen non audet Velleio detrahere fidem. 1. Quia Lepidus, Antoniâ spretâ aut mortuâ, superducere Serviliam potuit. 2. Quia Serviliam inter aliquot matronas Romanas laudat Ælianus *lib.* 14. *cap.* 45. *Var. Hist.*

4 *Vivo igni.*] Vivus ignis dicitur pro ardenti, quo pacto dixit Horatius: *viva lucerna*.

1 *Occursus.*] Aut cum Grutero dele: *occursus*. Aut cum Lipsio repone: *quo occursu*. Nam Dio testatur decretum à Senatu, ut Cæsari urbem ingredienti Virgines Vestæ, Senatus populusque cum conjugibus & liberis occurreret.

2 *Quæ fuerit munerum.*] Id est, spectaculorum, quæ populo exhibuit. Vide *cap.* 48. *n.* 2.

3 *Repræsentavit.*] Lipsius mallet legere: *repræsentârit*, id est, reddiderit, sive præstiterit, & quasi præ manu solverit.

4 *Tam constanter.*] Hic miror Brissonium, Popmam, & Vossium: quorum duo priores affirmant, *tam* sumi pro *valde*; alter verò non dubitat, quin sit reponendum, *tamen*. Nam quis non videt *quàm* hic non esse prænomen, sed adverbium; eique *tam* opponi hoc sensu: nam quod spectat ad dictaturam, tantâ constantiâ eam repulit, quantâ pertinaciâ eam illi populus deferebat. Dictaturam autem rejectâ ab humeris togâ, nudo pectore deprecatus est Cæsar.

gesta, [5] pacatusque victoriis terrarum orbis, & tot extra Italiam domique opera, omne ævi sui spatium impensurum in id solum opus scriptorem [6] fatigent. Nos, memores professionis, universam imaginem Principatus ejus oculis animisque subjecimus.

XC. Sepultis, ut prædiximus, bellis civilibus, coalescentibusque reipublicæ membris, [1] & coram altero, quæ tam longa armorum series laceraverat: [a] Dalmatia viginti & ducentos annos rebellis, ad certam confessionem pacata est imperii; [2] Alpes, feris, multisque nationibus celebres, perdomitæ; Hispaniæ, nunc ipsius præsentiâ, nunc Agrippæ, quem usque in tertium consulatum, [b] & mox collegium tribunicæ potestatis, amicitia Principis evexerat, multo varioque marte pacatæ. In quas provincias cum initio, Scipione & Sempronio Longo Consulibus, primo anno [3] secundi Punici, abhinc annos ducentos quinquaginta, Romani exercitus missi essent, duce Cn. Scipione, Africani patruo; per annos ducentos, [c] in his multo mutuoque ita certatum est sanguine, ut amissis Populi Romani imperatoribus exercitibusque, sæpè contumelia, etiam nonnunquam periculum Romano inferretur imperio. Illæ enim provinciæ Scipiones consumpserunt: illæ contumelioso [4] viginti annorum bello sub duce Viriatho majores nostros exercuerunt: illæ, terrore Numantini belli, populum Romanum concusserunt: in illis turpe Quinti Pompeii fœ-

INTERPRETATIO.

a *Dalmatia*, quæ *rebellaverat viginti & ducentos annos, tandem* ita *pacata est, ut se perpetuò imperii* Romani deinceps *subditam esse agnoverit.*

b *Et non multò post* usque eò, ut esset *ipsius collega in munere Tribuni.*

c *In his pugnatum est ab utraque parte cum tantâ effusione sanguinis, ut, &c.*

NOTÆ.

5 *Pacatusque victoriis.*] Lipsius non incommodè legit: *peragratusque, &c.*

6 *Fatigent.*] Id est, fatigarent, Sed fortè, quod Acidalio placet, *flagitant.*

1 *Et coram altero.*] Hæc tria verba nonnulli, Aldo duce, tollunt: sed audaciores sunt, cum vulgata lectio authoritate MS. nixa sit. Vossium potiùs aut Lipsium sequor; sed Lipsium magis, qui simpliciùs legit: *& curante eo, quæ, &c.* hoc sensu: Augusto curam & medicinam adhibente iis reipublicæ partibus, quas tam longa bellorum series laceraverat.

2 *Alpes.*] Montes excelsi sunt, qui Italiam separant à Galliâ & à Germaniâ. Vulgò dicuntur, *les Alpes.* Tamen multiplices sunt, & pro varia locorum nationumque diversitate varia nomina sortiuntur.

3 *Secundi Punici.*] Scilicet belli.

4 *Viginti annorum.*] Qui laxiores sunt in computando, annos quindecim belli Viriathini numeraverunt, ut epitome Livii, & Florus. Appianus aperte docet hoc bellum gestum annis duntaxat octo: Justinus, annis decem. Verùm historicos inter se componere facile est. Ergo qui decem aut quindecim annos numerant, illi spectant Viriathi imperium, quòd ultra non patuit: qui verò viginti annos, ut Velleius, illi de duratione belli potiùs, quàm de annis imperii Viriathini loquuntur.

dus, turpiusque Mancini, Senatus [d] cum ignominiâ dediti Imperatoris, rescidit, [5] illa tot consulares, tot prætorios absumpsit duces; patrumque ætate, in tantùm Sertorium armis extulit, ut per quinquennium dijudicari non potuerit, Hispanis, Romanisne in armis plus esset roboris, & uter populus alteri pariturus foret. Has igitur provincias, tam diffusas, tam frequentes, tam feras, ad eam pacem abhinc annos fermè quinquaginta perduxit Cæsar Augustus, [e] ut, quæ maximis bellis nunquam vacaverant, eæ sub Caio Antistio, ac deinde Publio Silio legato, ceterisque, postea etiam latrociniis vacarent.

XCI. Dum pacatur Occidens, ab Oriente ac rege Parthorum signa Romana, quæ Crasso oppresso Orodes, quæ Antonio pulso [1] filius ejus Phraates ceperant, Augusto remissa sunt: quòd cognomen illi viro Planci sententia [2] consensus universi senatus populique Romani indidit. Erant tamen, qui hunc felicissimum statum odissent. Quippe Lucius Murena, & Fannius Cæpio, diversis moribus, (nam Murena sine hoc facinore potuit videri bonus, Cæpio & ante hoc erat pessimus) cum iniissent occidendi Cæsaris consilia, oppressi auctoritate publicâ, quod vi facere voluerant, jure passi sunt. Neque multò post Rufus Egnatius, [a] per omnia gladiatori quàm senatori propior, collecto in ædilitate favore populi, quem extinguendis [b] privata familia incendiis in dies auxerat, in tantùm quidem, [3] ut ei præturam continuaret, mox etiam consulatum petere ausus, cùm esset omni flagitiorum scelerumque conscientiâ mersus; nec melior illi res familiaris, quàm mens, foret; aggregatis simillimis sibi, interimere Cæsarem statuit, ut, quo salvo salvus esse non poterat, eo sublato moreretur. Quippe ita se mores habent, ut publicâ quisque ruinâ malit occidere, quàm suâ proteri, & idem passurus, minùs conspici.

INTERPRETATIO.

d *Cùm dedecore ducis, qui traditus fuit hostibus.*

e *Ut, quæ provinciæ nunquam fuerant sine maximis bellis, eæ postea sub Caio Antistio, &c. essent etiam sine latrociniis.*

a *In omnibus similior gladiatori, quàm Senatori.*

b *Operâ suorum domesticorum.*

NOTÆ.

5 *Illa.*] Scilicet, *regio.*

1 *Filius ejus Phraates.*] Hic falsus est Ursinus, qui pro *Phraates* substituendum esse putat *Pacorus*. Nam 1. constat ex Velleio Pacorum ante fugam Antonii à Ventidio jam occisum fuisse. 2. Constat ex Justino, Dione, Zonara, & aliis, Orodem triginta filios habuisse; & inter eos Pacorum & Phraatem.

2 *Consensus.*] Sic, teste Vossio, fuit in veteri codice, non autem, *consensu*, ut aliqui ediderunt.

3 *Ut ei præturam continuaret.*] Noli id interpretari, quasi prætor bis fuisset: nam nihil aliud Velleius innuit, quàm Egnatium ab ædilitate præturam obtinuisse. Quod ut penitùs intelligas, observa, opus etiam olim fuisse annorum aliquot intervallo à magistratu ad magistratum. Quare Vossius, *ei*, refert ad ædilitatem; accipitque *continuare* pro continuò, & sine intervallo jungere.

Neque

Neque hic prioribus [4] in occultando felicior fuit: [5] additusque carceri, cum consciis facinoris, mortem dignissimam vitâ suâ obiit.

XCII. Præclarum excellentis viri factum, Caii Sentii Saturnini, circa ea temporis consulis, ne fraudetur memoria. Aberat [1] in ordinandis Asiæ Orientisque rebus Cæsar, circumferens terrarum orbi præsentiâ suâ pacis suæ bona: tum Sentius forte & solus, & absente Cæsare consul, cùm alia, priscâ severitate summâque constantiâ, vetere consulum more, ac severitate gessisset, [a] protraxisset [2] publicanorum fraudes, punisset avaritiam, regessisset in ærarium pecunias publicas, tum in comitiis habendis [b] præcipuum egit consulem. Nam & quæsturam potentes, quos indignos judicavit, [3] profiteri vetuit, [c] &, cùm id facturos se perseverarent, consularem ([4] si in campum descendissent) vindictam minatus est. Et Egnatium, florentem favore publico, sperantemque, ut præturam ædilitati, ita consulatum præturæ se juncturum, profiteri vetuit; & cùm id non obtinuisset, juravit, etiam si factus esset consul suffragiis populi, [d] tamen se eum non renuntiaturum. Quod ego factum, cuilibet veterum consulum gloriæ comparandum reor; nisi quod naturaliter audita visis laudamus libentiùs; & præsentia, invidiâ; præterita, veneratione prosequimur; & his nos obrui, illis instrui credimus.

XCIII. Ante triennium fere, quàm Egnatianum scelus erumperet, circa Murenæ Cæpionisque conjurationis tempus, abhinc annos quinquaginta, [1] Marcus Marcellus, sororis Augusti Octaviæ filius; quem homines ita, si quid accidisset Cæsari, successorem potentiæ ejus arbitrabantur futurum, ut tamen id per Marcum Agrippam [2] secure ei

INTERPRETATIO.

a *In lucem protulisset.*
b *Præcipuè se præbuit consulem.*
c *Et cùm asseverarent id se facturos, minatus est, se animadversurum in eos auctoritate Consulis, si venissent in campum.*
d *Tamen se eum non declaraturum.*

NOTÆ.

4. *In occultando.*] Subintelligitur aut, *se*; aut, *facinore*.

5. *Additusque carceri.*] Fortè, *additus*: quo modò legit Acidalius.

1. *In ordinandis.*] Subintellige, *occupatus*.

2. *Publicanorum.*] Sic vocantur, qui principum reditus, & vectigalia populi exigunt, eàque certo constituto pretio redimunt.

3. *Profiteri.*] Id est, nomen edere, dare. Sic profiteri bona dicitur, *pro* facultatum suarum numerum, & vim apud magistratum declarare.

4. *Si in campum.*] Intellige, *Martium*: ubi comitia habebantur.

1. *Marcus Marcellus.*] Ille est, de quo Virgilius 6. Æneid. *Tu Marcellus eris.* Ad cujus libri recitationem coram Augusto, sed maximè ad supra dictum versum defecisse dicitur Octavia mater, atque, ægrè collecto spiritu, jussisse Virgilio dena sestertia pro singulo versu dari.

2. *Secure.*] Erat in editione veteri: *securos*. Ex quo Lipsius conjicit legendum: *securo ei*.

posse contingere non existimarent; [a] magnificentissimo [3] munere ædilitatis edito, decessit, admodum juvenis, sanè, ut aiunt, ingenuarum virtutum, lætùsque animi & ingenii, fortunæque, in quam alebatur, capax. Post cujus obitum Agrippa, [b] qui sub specie ministeriorum Principalium profectus in Asiam, ut fama loquitur, [c] ob tacitas cum Marcello offensiones, presenti se subduxerat tempori; reversus inde, filiam Cæsaris Juliam, quam in matrimonio Marcellus habuerat, duxit uxorem; [d] feminam neque sibi, neque reipublicæ felicis uteri.

XCIV. Hoc tractu temporum, Tiberius Claudius Nero, [1] quo primo, ut prædiximus, Livia, Drusi Claudiani filia, despondente Nerone, cui antè nupta fuerat, Cæsari nupserat, innutritus cælestium præceptorum disciplinis, juvenis, genere, formâ, celsitudine corporis, optimis studiis, maximoque ingenio instructissimus, [a] qui protinus quantus est, sperari potuerat, [2] visusque prætulerit principem; quæstor, undevicesimum annum agens, capessere cœpit rempublicam, [b] maximamque difficultatem annonæ, ac rei frumentariæ inopiam, ita [3] Ostiæ, atque in urbe, mandato vitrici, moderatus est, ut per id, quod agebat, quantus evasurus esset, eluceret. Nec multò pòst missus ab eodem vitrico cum exercitu ad visendas ordinandasque, quæ sub Oriente sunt, provincias, præcipuis omnium virtutum experimentis in eo tractu editis, cum legionibus ingressus Armeniam, redactâ eâ in potestatem populi Romani, regnum ejus [4] Artavasdi tradidit. [5] cujus rex quoque Parthorum tanti nominis famâ ter-

INTERPRETATIO.

a *Exhibito, cùm esset ædilis, magnificentissimo spectaculo.*

b *Qui sub prætextu legationis pro principe profectus in Asiam.*

c *Ob secretas inimicitias cum Marcello.*

d *Feminam neque sibi, neque reipublicæ, fortunatæ fœcunditatis.*

a *Qui à principio* pueritiæ *spem dederat*, se tantum fore *quantus* nunc *est*, *& qui aspectu solo princeps esse judicabatur.*

b *Et, jussu vitrici, ita Ostiæ atque Romæ curavit cibos, & rem frumentariam, cujus erat maxima penuria, ut, &c.*

NOTÆ.

3. *Munere ædilitatis.*] Intellige, *spectaculum.* Ædilium enim erat interdum populo spectacula præbere.

1. *Quo primo.*] A quibusdam legitur: *bimo.* Cum Aldo lege: *trimo.* Nam etsi Velleius *cap.* 75. bimum illum nominavit: tamen ab eo tempore ad nuptias annus ferè intercessit.

2. *Visusque prætulerit.*] Copula postulat, ut legatur: *prætulerat.*

3. *Ostiæ.*] Urbs in ostiis Tiberinis sita.

4. *Artavasdi.*] Armeniæ regnum Tigrani, non Artavasdi à Tiberio datum omnes affirmant. An esset autem verosimile Velleium in rebus sui Tiberii, tàm recenti memoriâ, errasse? Pro Velleio facit Tacitus 2. *Annal.* his verbis: *datus à Cæsare Armeniis Tigranes, deductusque in regnum à Tib. Nerone. Nec Tigrani diuturnum imperium fuit, &c. dein Augusti jussu impositus Artavasdes.* Ergo litem sic compono: Tigranem, cùm brevi spatio imperaverit, omisit quidem Velleius: at satis erat indicare Artavasdem à Tiberio, Augusti jussu, impositum regno fuisse.

5. *Cujus rex.*] Cum Lipsio lege: *Cùm rex, &c.*

ritus; liberos suos ad Cæsarem misit obsides.

XCV. Reversum inde Neronem, Cæsar haud mediocris belli molem experiri statuit, adjutore operis dato fratre ipsius Druso Claudio, [a] quem intra Cæsaris penates enixa erat Livia. Quippe uterque, [b] divisis partibus, [1] Rhætos Vindelicosque adgressi, multis urbium & castellorum oppugnationibus, [c] necnon directâ quoque acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, majore cum periculo, quàm damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine, perdomuerunt. Ante quæ tempora censura Planci & Paulli acta inter discordiam, neque ipsis honori, neque reipublicæ usui fuit: cum alteri vis censoris, alteri vita deesset: [d] Paullus vix posset implere censorem, [2] Plancus timere deberet. Nec quidquam objicere posset adolescentibus, aut objicientes audire, [3] quod non agnosceret senex.

XCVI. Mors deinde Agrippæ (qui [1] novitatem suam multis rebus nobilitaverat, atque in hoc perduxerat, ut & Neronis esset socer; cujusque liberos, nepotes suos, Divus Augustus, præpositis Caii ac Lucii nominibus, adoptaverat) admovit propius Neronem Cæsari: quippe filia ejus Julia, quæ fuerat Agrippæ nupta, Neroni nupsit. Subinde bellum [2] Pannonicum, quod inchoatum [3] Agrippâ, Marcoque Vinicio, avo tuo, consulibus, magnum, atroxque, & perquàm vicinum imminebat Italiæ, per Neronem gestum est. Gentes Panno-

INTERPRETATIO.

a *Quem Livia pepererat in domo Cæsaris.*

b *Seorsim & diversis locis.*

c *Et præliati etiam feliciter instructâ acie.*

d *Paullus vix posset obire munus censoris.*

NOTÆ.

1. *Rhætos Vindelicosque.*] Vide supra *cap.* 39. *n* 5.

2. *Plancus timere deberet.*] Intellige, *censorem*: quippe qui sibi malefactorum conscius esset.

3. *Quod non agnosceret.*] Id est, quod non in se susciperet, & confiteretur, etsi senex.

1. *Novitatem suam.*] Id est, qui multis factis nobilitaverat genus suum, antea parum cognitum. Vide *cap.* 34.

2. *Pannonicum.*] Pannoniæ bellum. Est autem Pannonia Europæ regio, quam Ptolemæus in superiorem & in inferiorem dividit. Pannonia superior hodiè partim ab Austriâ, partim à Carinthiâ & Carniolâ occupatur: inferior tota sub Hungaria est, *Hongrie, & Austriche en partie.*

3. *Agrippa Marcoque Vinicio consulibus.*] Sigonius & Onuphrius ex hoc loco male astruunt Agrippæ quartum consulatum. Sed nec bene multi commentatores Agrippam volunt ad hoc bellum esse missum. Nam 1. ex his Velleii verbis (*quem usque in tertium consulatum amicitia principis evexerat*) patet, Agrippam tertium consulatum non transcendisse. 2. Duos annos Velleius ibi signat. 1 . quo Pannonicum bellum natum est, scilicet Agrippæ consulatu. 2 . Quo idem bellum adolevit, avo Vinicii consule. Certè totum illud bellum Tiberius administravit. Quare Lipsio non est dubium, quin Velleius scripserit: *quod inchoatum Agrippa, Marcoque Vinicio avo tuo Cos.*

niorum, [4] Dalmatarumque nationes, ſitumque regionum ac fluminum, numerumque & modum virium, excelſiſſimaſque & multiplices eo bello victorias tanti Imperatoris, alio loco explicabimus. Hoc opus ſervet formam ſuam. Hujus victoriæ compos Nero, [5] ovans triumphavit.

XCVII. Sed, dum in hac parte imperii omnia geruntur proſperrimè, accepta in Germaniâ clades ſub legato Marco Lollio, homine in omnia pecuniæ, quàm rectè faciendi, cupidiore, & [a] inter ſummam vitiorum diſſimulationem vitioſiſſimo; amiſſâque [1] legionis quintæ aquila vocavit ab Urbe in Gallias Cæſarem. Cura deinde, atque onus Germanici belli delegata Druſo Claudio, fratri Neronis, adoleſcenti tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, [2] vel induſtria percipit; [b] cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus ſuffecerit artibus, in incerto eſt. Morum certè dulcedo ac ſuavitas, & adverſus amicos æqua ac par ſui æſtimatio inimitabilis fuiſſe dicitur. [c] Nam pulchritudo corporis, proxima fraternæ fuit. Sed illum, magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus gentis variis in locis profuſo ſanguine, [3] fatorum iniquitas, conſulem, agentem annum triceſimum, rapuit. [d] Moles deinde ejus belli tranſlata in Neronem eſt. Quod is ſuâ & virtute, & fortunâ adminiſtravit: [e] peragratúſque victor omnes partes Germaniæ, ſine ullo detrimento commiſſi exercitus, quod præcipuè huic duci ſemper curæ fuit; ſic perdomuit eam, ut in formam pænè

INTERPRETATIO.

a *Et vitioſiſſimo ſimul & diſſimulantiſſimo vitiorum* ſuorum.

b *De cujus ingenio dubitatur, utrum fuerit magis capax bellicorum factorum, an artium, quæ pertinent ad adminiſtrandam rempublicam.*

c *Nam pulchritudine corporis proximè acceſſit ad fratrem.*

d *Deinde onus ejus belli, &c.*

e *Et cum percurriſſet victor, &c.*

NOTÆ.

4. *Dalmatarumque nationes.*] Petrus Ranzanus in ſuâ Hungariâ ſcribit univerſam Dalmatiam cum ſibi conterminis Illyride atque Liburniâ uno vocabulo dici *Sclavoniam, Eſclavonie*: & quicquid trans Savum agrorum eſt, per quos iter ſit verſûs Italiam, *Croatiam* nominari.

5. *Ovans triumphavit.*] Ovatio eſt minor triumphus: à triumpho κατ' ἐξοχὴν dicto hoc præcipuè differt, quòd triumphans curru, ovans autem vel equo, vel pedibus urbem ingrederetur. Hinc à Græcis θρίαμβος πεζὸς, ſive triumphus pedeſtris appellatur.

1. *Legionis quintæ Aquila.*] Aquila ſignum eſt totius legionis princeps. Signa quidem alia, Lupos, Minotauros, Equos, Apros, Dracones, Romani habuerunt: poſtea tamen, cæteris rejectis, unam ſervaverunt Aquilam, quam Marius, in ſecundo ſuo conſulatu, Romanis legionibus præcipuè addixit.

2. *Vel induſtria percipit.*] Cum Lipſio leges meliùs: *perficit*.

3. *Fatorum iniquitas rapuit.*] Teſte Livio, lapſu equi, fracto crure, periit intra triceſimum diem. Ejus laudes ſcripſit Horatius, *lib.* 4. *Car.*

stipendiariæ [f] redigeret provinciæ. Tum alter triumphus, cum altero consulatu, ei oblatus est.

XCVIII. Dum ea, quæ prædiximus, in Pannoniâ, Germaniâque geruntur, atrox in Trhaciâ bellum ortum, omnibus ejus gentis nationibus in arma accensis, Lucii Pisonis, quem hodiéque diligentissimum, atque eumdem lenissimum [1] securitatis urbanæ custodem habemus, virtus compressit. Quippe, legatus Cæsaris, triennio cum his bellavit; * gentésque ferocissimas, plurimo cum earum excidio, nunc acie, nunc expugnationibus, in pristinum pacis redegit modum; ejusque patratione, Asiæ securitatem, Macedoniæ pacem reddidit. De quo viro hoc omnibus sentiendum ac prædicandum est, esse mores ejus [2] vigore ac lenitate mixtissimos, & vix quemquam reperiri posse, qui aut otium validiùs diligat, aut faciliùs sufficiat negotio, & magis, quæ agenda sunt, curet sine ulla ostentatione agendi.

XCIX. Brevi interjecto spatio, Tiberius Nero, duobus consularibus, totidemque triumphis actis, tribuniciæ potestatis [1] consortione æquatus Augusto, civium post unum (& hoc, quia volebat) eminentissimus, ducum maximus, famâ fortunâque celeberrimus, & verè alterum reipublicæ lumen & caput, mirâ quadam & incredibili atque inenarrabili pietate, (cujus caussæ mox detectæ sunt) cùm Caius Cæsar [2] sumpsisset jam virilem togam, [a] Lucius item maturus esset viris, ne fulgor suus orientium juvenum obstaret initiis, [3] dissimulatâ caussâ consilii sui, commeatum ab socero, atque eodem vitrico, acquiescendi à continuatione laborum, petiit. [b] Quis fuerit eo tem-

INTERPRETATIO.

f *Tributaria.*

* *Et redegit gentes ferocissimas ad conditiones primæ pacis, cum plurimâ earum pernicie, nunc præliis, nunc expugnationibus* urbium; *& hujus belli consummatione, &c.*

a *Item cùm Lucius esset proximus ætati virili, ne splendor suus noceret primordiis* horum *juvenum* in regimen *introeuntium, tectâ ratione sui consilii, postulavit à socero, atque eodem vitrico facultatem abeundi & desistendi à continuandis laboribus.*

b *Quis hoc tēpore fuerit status urbis, &c.*

NOTÆ.

1. *Securitatis urbanæ custodem.*] Id est, urbi præfectum, quem nos Galli diceremus: *Chef de la Police, & Juge criminel de Rome.*

2. *Vigore.*] Cl. Puteanus interpretatur *rigore*, sive *severitate.*

1. *Consortione.*] Id est, *consociatione.* Quâ voce Cicero utitur *lib.* 3. *Offic. dissolvatur necesse est omnis humana consortio.*

2. *Sumpsisset jam togam virilem.*] Septimo & decimo anno hæc toga sumebatur: quo prætexta deponebatur, tanquam non pueriliter, sed viriliter esset vita peragenda.

3. *Dissimulatâ causâ consilii sui.*] Non est ea, quam Velleius adulatoriè indicat; Ergò veram ex Tacito repete. Hanc caussam ait fuisse *Juliam* uxorem; quam neque criminari aut dimittere auderet, neque ultra perferre posset.

pore civitatis habitus, qui singulorum animi, quæ digredientium à tanto viro omnium lacrymæ, quàm pænè ei patria manum injecerit, justo servemus operi. Illud etiam in hoc transcursu dicendum est, ita septem annos Rhodi moratum, ut omnes, [4] qui proconsules legatique, in transmarinas profecti provincias, visendi ejus gratiâ, [5] ad quem convenientes, semper privato ([6] si illa majestas privata unquam fuit) fasces suos summiserint, fassique sint otium ejus honoratius imperio suo.

C. Sensit terrarum orbis, digressum à custodiâ Neronem Urbisnam & Parthus, desciscens à societate Romana, [a] adjecit Armeniæ manum; & Germania, aversis domitoris sui oculis, rebellavit. [b] At in Urbe, [1] eo ipso anno, quo magnificentissimi gladiatorii muneris naumachiæque spectaculis, Divus Augustus, abhinc annos triginta, se, & Gallo Caninio consulibus, dedicato [2] Martis templo, animos oculosque populi Romani repleverat, fœda dictu, memoriaque horrenda in ipsius domo tempestas erupit. Quippe filia ejus Julia, [c] per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil, quod facere aut pati turpiter posset femina, luxuriâ, libidine, infectum reliquit; magnitudinemque fortunæ suæ peccandi licentiâ metiebatur; quidquid liberet, pro licito judicans. [3] Tum Julus Antonius, singulare exem-

INTERPRETATIO.

a *Armeniam invasit.*

b *At quo anno Divus Augustus, qui consul erat cum Gallo Caninio, post dedicatum templum Martis, recreaverat oculos & animos populi Romani spectaculis magnificentissimi ludi gladiatorii, & pugna navalis* (sunt *abhinc triginta anni*) *hoc ipso* anno *exorta est in Augusti domo tempestas turpis dictu, &* quam *meminisse horret animus.*

c *In omnibus oblita gloria sua, sui patris, & sui conjugis.*

NOTÆ.

4. *Qui Proconsules.*] Hoc loco Vossius profitetur, se MS codicis fide restituisse: *qui pro consulibus, vel pro consule.*

5. *Ad quem convenientes.*] Lipsius legit: *visendi ejus gratiâ atque conveniendi.* Nonnulli autem cum minore licentiâ reponunt: *visendi ejus gratia ad eum convenientes.* Quam lectionem præ duabus aliis probamus.

6. *Si illa majestas privata.*] Id est, Si tamen Tiberius Nero, quâ se oris majestate fert, haberi privatus unquam potuit.

1. *Eo ipso anno.*] Hic fuit annus urbis 752. Dio tamen ab hoc calculo valde abit, & commemorat Juliam relegatam anno 748. Lælio Balbo, & C. Antistio Vetere consulibus: at vehementer errat. Erravit quoque Joseph Scaliger prochronismo quadriennii, Dionem secutus; nec attendens apud Dionem hiatum esse, & aliquot annorum defectum: quod diligenter annotavit ejusdem Dionis interpres.

2. *Martis templo.*] Illud Ovidius eleganter describit 5. *Fast.* fuerunt alia Martis Ultoris templa: sed hoc nobilissimum. Nunc *S. Martina* consecratus est, in foro Augusti.

3. *Tum Julus Antonius.*] Marci Antonii filius. Quod autem Velleius affirmat, eum sceleris à se commissi ultorem fuisse, diversus est Dio *lib.* 55. Ubi illum cum aliis multatum, non verò necem sibi conscivisse dicit.

plum clementiæ Cæsaris, violator ejus domus, ipse sceleris à se commissi ultor fuit; quem, victo ejus patre, non tantùm incolumitate donaverat, sed sacerdotio, præturâ, consulatu, provinciis, honoratum etiam matrimonio sororis suæ filiæ, in artissimam affinitatem receperat. Quinctiusque Crispinus, singularem nequitiam supercilio truci protegens, & Appius Claudius, & Sempronius Gracchus, ac Scipio, [d] aliique minoris nominis, utriusque ordinis viri, quasi [4] cujuslibet uxore violatâ, [5] pœnas pependêre; cùm Cæsaris filiam & Neronis violassent conjugem. Julia relegata [6] in Insulam patriæque, & parentum subducta oculis. Quam tamen comitata mater Scribonia, [7] voluntarii exilii permansit comes.

CI. Breve ab hoc intercesserat spatium, cùm Caius Cæsar, antè aliis provinciis [1] ad sidendum obitis, in Syriam missus, convento priùs Tiberio Nerone, [2] cui omnem honorem, ut superiori, habuit, tam variè se ibi gessit, [a] ut nec laudaturum magna, nec vituperaturum mediocris materia deficiat, cum rege Parthorum, [3] juvene ex celsissimæ, in insulâ, quam amnis [4] Euphrates ambiebat, [b] æquato utriusque partis numero, coït. Quod spectaculum stantis ex diverso hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, cum duo inter se eminentissima imperiorum & hominum coirent capita, perquàm clarum & memorabile, sub initia stipendiorum meorum, [5] tribuno militum

INTERPRETATIO.

d *Et alii obscurioris conditionis.*

a *Ut is, qui laudaturus est* hunc Caium, *non careat ingenti materiâ, & qui* eundem *insimulaturus est, non careat mediocri.*

b *Utrimque comitante pari hominum numero.*

NOTÆ.

4. *Cujuslibet.*] Hoc pronomen eo sensu dicitur, quo dixit Horatius: *non cuivis homini contingit adire Corinthum*: pro cujuslibet fortunæ, & conditionis homine.

5. *Pœnas pependêre.*] In exilium lege Juliâ pellebantur adulteri, cujuscumque tandem conditionis essent.

6. *In insulam.*] Dictam Trimerum, haud procul Apuliis litoribus, ubi vigesimo exilii anno diem obiit.

7. *Voluntarii.*] Lipsius legit: *voluntaria*, id est, sponte. Neque enim exilium Juliæ voluntarium erat.

1. *Adsidendum.*] Lipsius legit: *ad visendum.* Alii cum Rhenano scribunt: *ad sedandum*, nempe *motus.*

2. *Cui omnem honorem ut superiori.*] Adulatoriè pro more suo Velleius. Contrà enim Dio planissimè scripsit *lib.* 56. *Caiū missum ad bellum ad Armeniacum Tiberius coluit & veneratus est.* Idem scripsit Zonaras.

3. *Juvene excelsissima.*] Aliqui scribunt: *excelsissimo, in insulâ, &c.* Hoc autem difficile est: imò incredibile. Erat enim Phraates hoc tempore rex Parthorum; & cum eo colloquium. Nec juvenis erat: sed, teste Lipsio, annorum & regni vetus. Ergo verissimè emenda: *juvenis excelsissimus*, ut sermo sit de Caio, summo juvenum, & ad spem imperii ab Augusto destinato.

4. *Euphrates.*] Fluvius Mesopotamiæ, quem Strabo, Plinius & Sallustius tradiderunt ex Niphate Armeniæ monte nasci; & in mare Rubrum influere, Tygrique conjunctum facere Mesopotamiam.

5. *Tribuno militum mihi.*] An in legione Tribuno, cum imperio in mille milites? An verò Tribuno castrorum, sive Gallicè, quemadmodum vocant, *Maré-*

mihi visere contigit. Quem militiæ gradum ante sub patre tuo, [6] Marce Vinici, & Publio Silio auspicatus, in Thracia, Macedoniaque, mox Achaia, Asiaque, & omnibus ad Orientem [7] versus provinciis, [c] & ore atque utroque maris Pontici latere, haud injucundâ tot rerum, locorum, gentium, urbium recordatione perfruor. Prior Parthus apud Caium in nostra ripa, posterior hic apud regem in hostili epulatus est.

CII. Quo tempore Marci Lolli, quem veluti moderatorem juventæ filii sui Augustus esse voluerat, perfida & plena subdoli ac versuti animi consilia, per Parthum indicata, [1] Cæsaris ira evulgavit: cujus mors intra paucos dies fortuita, an voluntaria fuerit, ignoro. Sed, quàm hunc decessisse lætati homines, tam paulò pòst obisse Censorinum in iisdem provinciis, graviter tulit civitas, [a] virum demerendis hominibus genitum. Armeniam deinde ingressus, primâ parte introitus prosperè gessit; mox in colloquium (cui se temerè crediderat) [2] circa Artageram graviter à quodam, nomine Adduo, vulneratus, ex eo, ut corpus minùs habile, ita animum minùs utilem reipublicæ habere cœpit. Nec defuit conversatio hominum, vitia ejus assentatione alentium. Etenim semper magnæ fortunæ comes adest Adulatio: per quæ cò ductus erat, ut in ultimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenescere, quàm Romam regredi, mallet. Diu reluctatus, invitusque revertens in Italiam, [3] in urbe Lyciæ (Limyram nominant) morbo obiit; [4] cùm ante annum fermè L. Cæsar, frater ejus, Hispanias petens, [5] Massiliæ decessisset.

INTERPRETATIO.

c *Et ostiis, atque utroque latere Ponti Euxini.*

a *Virum* officiosissimum, & *natum ad sibi devinciendos homines.*

NOTÆ.

cibal de Camp. Hoc postremum existimem ex infra dicendis: *Hoc tempus me, functum ante tribunatu castrorum, Tiberii Cæsaris militem fecit.*

6. *M. Vinici.*] Vulgò: *M. Vinicio.* Sed procul dubio malè. Nam ejus pater *Publius* vocabatur.

7. *Versus provinciis.*] Scehgkius ex editione veteri reposuit: *visis.* Sicque censeo legendum; & redundare, *versus*, cum scripserit: *ad Orientem.*

1. *Cæsaris ira evulgavit.*] Cum Rhenano & Lipsio lege: *per Parthum indicata Cæsari, fama vulgavit.*

2. *Circa Artageram.*] Est urbs Armeniæ, quam nonnulli appellant, *Artaxata.*

3. *In urbe Lyciæ.*] Seneca rhetor, Florus, ac Rufus Festus Caium in Syriâ mortuum volunt. Aliundè Suetonius, & Zonaras Velleium sequuntur. Urbem porrò Limyram, ut & Limyrum fluvium Ptolemæus in Lycia collocat. Est autem Lycia Asiæ minoris regio, inter Pamphyliam & Cariam.

4. *Cùm ante annum fermè L. Cæsar.*] Hoc loco turpiter erratum est in editione, quam Gerardus Vossius curavit Ann. 1654. scripsit: *Cùm ante annum fermè quinquagesimum Cæsar, &c.* Deceptus littera L. quam sumpsit pro quinquagenarii notâ, cùm hìc intelligi debeat Lucius Cæsar, de quo Suetonius: *Caium & Lucium in duodeviginti mensium spatio amisit ambos.*

5. *Massiliæ.*] Vide sup



CIII. [a] Sed fortuna, quæ subduxerat spem magni nominis, jam tum reipublicæ sua præsidia reddiderat. Quippe ante utriusque horum obitum, patre tuo Publio Vinicio consule, Tiberius Nero, reversus Rhodo, incredibili lætitiâ patriam repleverat. Non est diu cunctatus Cæsar Augustus. Neque enim quærendus erat, quem legeret; sed legendus, qui eminebat. Itaque, quod post Lucii mortem, adhuc Caio vivo, facere voluerat, atque vehementer, repugnante Nerone, erat inhibitus; post utriusque adolescentium obitum facere perseveravit, [b] ut, & [1] tribuniciæ potestatis consortionem Neroni constitueret, multùm quidem eo cùm domi, tùm in Senatu recusante, & eum, Ælio Cato, & Sentio consulibus, [c] quinto Kalendas Julias; post Urbem conditam annis septingentis quinquaginta quatuor, abhinc annis viginti septem, [2] adoptaret. Lætitiam illius diei, concursumque civitatis, & vota pænè inserentium cœlo manus, spemque conceptæ perpetuæ securitatis æternitatisque Romani imperii, [d] vix in illo justo opere abundè persequi poterimus, nedum hic implere tentemus. [3] Id [illegible] dixisse juvat, quàm ille omnibus fuerit carus. [e] Tum refulsit certa spes liberorum parentibus, viris matrimoniorum, dominis patrimonii, omnibus hominibus salutis, quietis, pacis, tranquillitatis; adeo, ut nec plus sperari potuerit, nec spei responderi felicius.

CIV. Adoptatus eâdem die etiam Marcus Agrippa, quem post mortem Agrippæ Julia enixa erat. sed in Neronis adoptione illud [illegible]

INTERPRETATIO.

a *Sed fortuna, quæ ademerat reipublicæ spem, quam dabat ingens* Caii & Lucii *nomen, jam tùm ipsi reddiderat suum columen.*

b *Ut & sibi adjungeret Neronem socium tribunicii muneris.*

c *Vigesimo septimo Junii.*

d *Vix poterimus satis* [illegible] *prolixò opere*, quod [illegible] *abest ut conemur ho*[illegible]

e *Tùm reluxit* [illegible] educandi *liberos*, [illegible] *uxoribus*, [illegible] *na, omnibus* [illegible] *quiete, in pace.* [illegible]

NOTÆ.

1. *Tribunicia potestatis.*] Intellige tribuniciam potestatem iterum Tiberio communicatam. Augustus enim antea sibi Tiberium adjunxerat socium hujus muneris. Observa, tùm scilicet, Augusti tempore, Tribunatum fuisse præcipuam supremæ dominationis imaginem.

2. *Adoptaret.*] Id e[illegible] adscisceret. Adoptio [illegible] modis fiebat. 1. [illegible] proprie adoptio [illegible] magistratu rog[illegible]

[illegible] cipere. Hæc [illegible] Adoptionem [illegible] tus est. [illegible]

jectum, his ipsis Cæsaris verbis: [1] Hoc, inquit, reipublicæ causâ facio. Non diu vindicem, custodemque imperii sui morata in Urbe patria, protinus in Germaniam misit; ubi ante triennium sub Marco Vinicio, avo tuo, clarissimo viro, immensum exarserat bellum. [2] erat & ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter, eóque nomine decreta ei, cum speciosissimâ inscriptione operum, ornamenta triumphalia. [a] Hoc tempus me, functum antè tribunatu castrorum, Tiberii Cæsaris militem fecit. Quippe, protinus ab adoptione missus cum eo præfectus equitum in Germaniam, successor officii patris mei, cælestissimorum ejus operum per annos continuos novem præfectus, aut legatus, spectator, &, pro captu mediocritatis meæ, adjutor fui. [b] Neque illi spectaculo, [3] quo fructus sum, simile conditio mortalis recipere videtur mihi; cùm per celeberrimam Italiæ partem, tractum omnem Galliæ provinciarum, veterem Imperatorem, & antè [4] meritis ac viribus, quàm nomine, Cæsarem revisentes, sibi quisque, quàm illi, gratularentur pleniùs. At verò militum conspectu ejus elicitæ gaudio lacrymæ alacritasque, [c] & salutationis nova quædam exultatio, & contingendi manum cupiditas, [d] non continentium protinus, quin adjicerent, Videmus te, Imperator; salvum recepimus. Ac deinde, ego tecum, Imperator,

INTERPRETATIO.

a *Hoc tempore militavi sub Tiberio Cæsare, cùm antea fuissem tribunus castrorum.*

b *Equidem non puto, conditionem mortalium posse percipere* lætitiam *parem huic, quam cepi ex iis, quæ vidi: cùm per frequentissimas oras Italiæ, & per omnes plagas provinciarum Galliæ, universi, qui revisebant* illum *veterem ducem, qui antè meritis & virtutibus, quàm nomine Cæsar erat, gauderent* de ejus reditu, *magis suâ, quàm illius causâ.*

c *Et lætitia quadam insolita in eo salutando.*

d *Non valentium se tenere, quominùs adjicerent, &c.*

NOTÆ.

1. *Hoc, inquit, reipublicæ causâ.*] Longè à Velleii mente Tacitus, apud quem aliqui putant ab Augusto Tiberium non caritate aut reipublicæ curâ adscitum esse successorem; sed Augustum, quoniam arrogantiam sævitiamque Tiberii introspexerat, comparatione deterrimâ gloriam sibi quæsivisse. Cum Velleio tamen Suetonius, liberi aliàs prudentisque judicii scriptor, consentit, & ab Augusto removet eam suspicionem, dùm *in Tib.* 21. scribit: *Adduci nequeo quin existimem, circumspectissimum & prudentissimum principem, in tanto præsertim negotio, nihil temerè fecisse; sed vitiis virtutibusque Tiberii perpensis, potiores duxisse virtutes: præsertim cùm & reipublicæ causâ adoptare se eum pro concione juraverit, & epistolis aliquot ut peritissimum rei militaris, utque unicum populi Romani præsidem prosequatur.*

2. *Erat &c.*] Lipsius legit: *erat id.*

5. *Quo fructus sum.*] Pro *fruitus sum*, à *fruor*. Ita Cicer. *in Hortens. & amœnitate summâ perfructus est*: Et Lucretius *lib.* 3. *Sin ea, quæ fructus cumque es, periere profusa.*

4. *Meritis, ac viribus.*] Idem Lipsius vult legi: *meritis ac virtutibus.*

[5] in Armeniâ, ego in Rætia fui: ego à te in Vindelicis, ego in Pannoniâ, ego in Germaniâ donatus sum. Neque verbis exprimi, & fortasse vix mereri fidem potest.

CV. Intrata protinus Germania, subacti [1] Caninefates, Attuari, Bructeri, recepti Cherusci [2] gentes, & amnis, [3] mox nostrâ clade nobilis, transitus [4] Visurgis: penetrata ulteriora: [a] cùm omnem partem asperrimi & periculosissimi belli Cæsar vindicaret; in iis, quæ minoris erant discriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus patris ejus in Germaniâ fuerat, præfecisset; [b] virum multiplicem virtutibus, navum, agilem, providum, militariumque officiorum patientem ac peritum pariter, sed eundem, ubi negotia fecissent locum otio, liberaliter lautéque eo abutentem; ita tamen, ut eum splendidum ac hilarem potiùs, quàm luxuriosum, aut desidem, diceres. De cujus viri claro celebrique consulatu prædiximus. [5] Anni ejus æstiva, usque in mensem Decembrem perducta, immanis emolumentum fecêre victoriæ. [6] Pietas sua Cæsarem, pænè obstructis hieme Alpibus, in Urbem traxit, ad tutelam imperii: eum veris initio reduxit in Germaniam; in cujus mediis finibus, ad caput [7] Juliæ fluminis, hiberna digrediens princeps locaverat.

INTERPRETATIO.

a *Cùm Cæsar* sibi *sumeret id omne*, quod erat *difficillimum & periculosissimum* in hoc *bello*.

b *Hominem præditum multis virtutibus*, *diligentem*, *&c.*

NOTÆ.

5. *In Armeniâ.*] *Turcomanie.* Rætia, in aliquibus marmoribus sic scribitur sine afflatu; *Grisons & Tirol.*] In Vindelicis, *Partie de Suaube & de Baviere.*] In Pannonia, *Hongrie & Austriche en partie.* De quibus singulis suo loco suprà dictum est.

1. *Caninefates.*] *Kennemerlandt en Hollande, & Province d'Utrecht.*] Attuari, *partie d'Ouer-issel, & de l'Evêché de Munster.*] Bructeri, *Evêché de Paderbon, ou partie.*] Cherusci, *Duchez de Brunsuic & de Lunebourg.*

2. *Gentes.*] Hanc voculam tanquam glossema delet Lipsius.

3. *Mox nostrâ clade.*] Intelligit cladem Varianam, de quâ mox infra.

4. *Visurgis.*] Germaniæ fluvius est, hodie, *Le Vueser.* Oritur in confinio Franconiæ: & inter Ducatum Bremensem, & Comitatum Oldenburgensem. Oceano Germanico miscetur.

5. *Anni ejus Æstiva.*] Gallicè, *la Campagne de cette année.* Bellum sic appellamus, quod geri æstate solet. Hinc æstiva castra dicuntur loci, in quibus æstate milites degunt: ut hiberna, in quibus hiemem transigunt.

6. *Pietas sua Cæsarem.*] Hujus loci duplex lectio. 1. Lipsiana: *pietas sua Cæsarem....in Urbem traxit: at tut la imperii eum veris initio, &c.* 2. Vossiana: *pietas sua Cæsarem.... in Urbem traxit: ad tutelam imperii eum veris initium reduxit in Germaniam.* Utraque placet. Sensus est: Cæsaris pietas in suos, eum in Italiam retraxit: ad tutelam autem imperii, quod ei defendendum erat adversus barbaros, eum veris initium in Germaniam reduxit.

7. *Julia.*] Consensus omnium, & res ipsa jam pridem evicit legendum esse: *Lupia.* Est autem Lupia Germaniæ fluvius in Rhenum per westphaliam decurrens, & se exonerans apud wesaliam urbem. Vulgò: *La Lippe en Vvestphalie.*

CVI. [a] Prô dii boni, quanti voluminis opera insequenti æstate sub duce Tiberio Cæsare, gessimus! Perlustrata armis tota Germania est. Victæ gentes, pænè nominibus incognitæ. Receptæ [1] Gauchorum nationes. Omnis eorum juventus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis, unà cum ducibus suis, septa fulgenti armatóque militum nostrorum agmine, ante imperatoris procubuit tribunal. Fracti [2] Langobardi; [b] gens etiam Germanâ feritate ferocior. Denique, quòd nunquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat, [3] ad quadringentesimum milliarium, à Rheno usque ad flumen [4] Albim, [5] qui Semnonum Hermundorumque fines præfluit, Romanus cum signis perductus exercitus; [c] & eòdem, mirâ felicitate & curâ ducis, temporum quoque observantiâ, classis, quæ oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito, atque incognito antè mari flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victoria, cum abundantissima rerum omnium copia, exercitui Cæsarique se junxit.

CVII. [a] Non tempero mihi, quin tantæ rerum magnitudini hoc, qualecumque est, inseram. Cùm citeriorem ripam prædicti fluminis

INTERPRETATIO.

a *Prob dii boni, quàm prolixo libro digna describi facta patravimus insequenti æstate, sub ductu Tiberii Cæsaris!*

b *Natio etiam ferocior, quàm sunt vulgò Germani.*

c *Et eodem* tempore *curâ & mirâ felicitate ducis, etiam observatione temporum, classis, postquam circum navigavisset sinus Oceani, ingressa mari inaudito, & antea incognito in flumen Albim, devictis plurimis nationibus, junxit se exercitui & Cæsari, cum maxima copia omnium rerum.*

a *Non possum tenere me, quin narrem inter tantas res hoc, qualecumque est.*

NOTÆ.

1. *Gauchorum.*] Hæc natio complectitur Comitatus Embdanum & Oldenburgensem; & Episcopatum Bremensem.

2. *Langobardi.*] Germaniæ populi, qui in Ducatu Mechleburgensi circa Oderam (*l'Odere*) fluvium incolentes, egressi suis finibus in Italiam profecti sunt; & victis ibi Gothis, usque ad Caroli Magni tempora imperaverunt: à quibus Gallia Cisalpina maxima ex parte adhuc Lombardia quasi *Lancobardia* nominatur: hodiè, *La vieille Marche de Brandebourg.*

3. *Ad quadringentesimum miliarium.*] Ad ducentas leucas, juxta communem Franciæ leucam, quæ duo millia passuum continet. Ad centum verò & triginta tres leucas cum tertia parte leucæ, juxta astronomicam leucam, quæ tria passuum millia comprehendit.

4. *Albim.*] Vulgò, *l'Elbe.* In Silesiæ finibus oritur, & per Bohæmiam, Misniam, & Saxoniam in Oceanum fluit infrà Hamburgum urbem Holsatiæ maximam.

5. *Qui Semnonum.*] Ita cum Thysio edidimus, ex Schegkii lectione, quàm Ptolemæi, Strabonis, Tacitique stabilit auctoritas; cùm vulgò legeretur: *Senonum.* Sunt autem Semnones Germaniæ populi in eo tractu, ubi hodie Lusatia provincia, & pars Silesiæ inferioris.] *Hermundorum*, sunt quoque Germaniæ populi, quorum regio olim Misnia vocabatur. Nunc verò habitant, ubi Voitlandia, pars australis Thuringiæ, & pars superior Franconiæ.

castris occupassemus, [b] & ulterior armatâ hostium juventute fulgeret, sub omnem motum nostrarum navium protinus refugientium, unus è barbaris, ætate senior, corpore excellens, dignitate, quantùm ostendebat cultus, eminens, cavatum, ut illis mos est, [1] ex materiâ conscendit [2] alveum, solúsque id navigii genus temperans, ad medium processit fluminis; & petiit, liceret sibi, sine periculo, in eam, quam armis tenebamus, egredi ripam ac videre Cæsarem. Data petenti facultas. Tum, [c] appulso lintre, & diu tacitus contemplatus Cæsarem, [d] Nostra quidem, inquit, furit juventus, quæ cùm vestrum numen absentium colat, præsentium potiùs arma metuit, quàm sequitur fidem. Sed ego, beneficio ac permissu tuo, Cæsar, [e] quos ante audiebam, hodie vidi deos: nec feliciorem ullum vitæ meæ aut optavi, aut sensi diem. Impetratóque, ut manum contingeret, reversus in naviculam, sine fine respectans Cæsarem, ripæ suorum appulsus est. Victor omnium gentium, locorumque, quos adierat Cæsar, cum incolumi inviolatóque, [f] & semel tantummodo, magna cum clade hostium, fraude eorum tentato exercitu, in hiberna legiones reduxit, eâdem, quâ priore anno, festinatione urbem petens.

CVIII. Nihil erat jam in Germaniâ, quòd vinci posset, præter gentem [1] Marcomannorum; quæ, Maroboduo duce, excita sedibus suis, atque in inferiora refugiens, incinctos [2] Herciniæ silvæ campos

INTERPRETATIO.

b *Et tenerent ulteriorem* ripam *copia hostium, quorum arma fulgebant*, & qui *ad omnem motum nostrarum navium statim recedebant; unus ex barbaris ætate senior, staturâ procerus, dignitate præstans, quantùm conjiciebatur ex* ejus *vestibus, conscendit cymbam cavatam, pro eorum consuetudine, ex arbore, & solus gubernans hoc genus navigii, processit, &c.*

c *Appulsâ cymbâ.*

d *Nostri milites, ait, non sunt sani, qui vos colentes ut numina, cùm abestis, timent potiùs vestra arma, cùm adestis, quàm se tradunt vestræ fidei.*

e *Quos antè cognoveram auditione.*

f *Et oppugnato solùm semel hostium insidiis, cum ingenti eorum clade.*

NOTÆ.

1. *Ex materiâ.*] Materiæ appellatione præcipuè intelligimus ligna, quæ ædificiis aptantur, ut arbores, &c. Hoc sensu Livius accepit materiam: *multam*, inquit, *materiam ceciderat miles.*

2. *Alveum.*] Alveus hîc accipitur pro naviculâ ex arboris cortice cavatâ, Gallicè; *un canot.* Certè hujusmodi naviculas ex arborum cortice sic vocant, qui degunt in novâ Franciâ, ubi plurimus earum usus est. Mirum est quot acceptiones præter superiorem patiatur idem nomen. 1. Significat fossam, per quam amnis decurrit; *Lit d'une riviere.* 2. Vas, cujus usus esse solet in balneis, *Bassin.* 3. Tabulam lusoriam, *Damier.* 4. Receptaculum, in quo apes mellificant, *Ruche.*

1. *Marcomannorum.*] Germaniæ populi fuerunt, primùm incolæ tractuum Palatini ad Rhenum, Brisgoi, & Suevi maximam partem: unde egressi, deinde Herciniam sylvam habitaverunt. Hinc Sanson, Brietius, aliique, Marcomannos posuerunt, ubi postea Bohæmia propria: Vulgò, *La Boheme.*

2. *Hercinia sylva.*] Sylva est aliàs amplissima Germaniæ, & varii nominis pro varietate locorum: nunc autem angustio-

incolebat. [a] Nulla festinatio hujus viri mentionem transgredi debet. [b] Maroboduus, genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magis, quàm ratione, barbarus, non tumultuarium, neque fortuitum, neque mobilem, & ex voluntate parentium constantem inter suos occupavit principatum; sed, certum imperium, vimque regiam complexus animo, statuit, avocatâ procul à Romanis gente suâ, eò progredi; ubi, cum propter potentiora arma refugisset, sua faceret potentissima. Occupatis igitur, quos prædiximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit, [c] aut conditionibus juris sui fecit.

CIX. [a] Corpus suum [1] custoditum, imperium, perpetuis exercitiis, pænè ad Romanæ disciplinæ formam redactum, brevi in eminens, & nostro quoque imperio timendum perduxit fastigium; gerebatque se ita adversùs Romanos, ut neque bello nos lacesseret, &, si lacesseretur, superesse sibi vim, ac voluntatem resistendi declararet. Legati, quos mittebat ad Cæsares, interdum ut supplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus hominibusque à nobis desciscentibus erat apud eum perfugium; [b] totumque ex malè dissimulato agebat æmulum; exercitúmque, quem septuaginta millium peditum, quatuor equitum, fecerat, assiduis adversùs finitimos bellis exercendo, majori, quàm quod habebat, operi præparabat. Eratque etiam eò timendus, quòd, cùm Germania ad levam, & in fronte; Pannoniam ad dexteram; à tergo sedium suarum haberet [2] Naricos; tanquam in omnes semper venturus, ab omnibus timeba-

INTERPRETATIO.

a *Ob nullam festinationem debeo prætereire hunc hominem silentio.*

b *Maroboduus* erat ortus *nobili familiâ*, *robustus præ* aliis *corpore*, *animo ferox*, & *barbarus gente potiùs*, *quàm intelligentiâ. Usurpavit dominatum inter suos, non* dominaturus *tumultuariò*, *& quasi casu*, *& obnoxius mutationi*, *& hominibus qui obedirent ex arbitrio suo: sed cogitatione complexus* ideam *imperii stabilis*, *& regiæ potestatis*, *decrevit*, *&c.*

c *Aut pactionibus redegit in suam potestatem.*

a *Brevi extulit ad majestatem altissimam & formidolosam nostro etiam imperio*, tùm *corpus suum*, quod *satellitio muniebat*, *tùm regnum* suum, *quod redegerat continuâ exercitatione ferè ad* modum *Romanæ disciplinæ.*

b *Et omnino se ostendebat æmulum* nostrum, *postquam malitiosè dissimulaverat.*

NOTÆ.

ribus limitibus restringitur, & Bohæmiam propriam circumcingit. Unde dicitur hodie Gallis: *Forest de Boheme.*

1. *Custoditum.*] Editio vetus habet: *Custod'à tum.* Ex quo Lipsius legit: *Custod'â tutum.*

2. *Noricos.*] Nomen gentis pro regione, quæ Europæ est, aliàs Illyrici Occidentalis pars extra Germaniam, a quâ Danubio dividebatur; nunc intra Germaniæ limites contenta. In Norico sunt Austria pro majori parte, & versus Occidentem, Stiriæ pars superior, Carinthia, Carniola superior, ditio Salisburgensis, aliquot loca Comitatûs Tirolensis ad boream, & minuta pars Bavariæ superioris & ad Orum. Ex quo liquet errare. 1. Ortelium qui Noricum *Bavariam* appellat, cùm

tur. [e] Nec securam incrementi sui patiebatur esse Italiam : quippe cùm à summis Alpium jugis, quæ finem Italiæ terminant, initium ejus finium haud multò plus [3] ducentis millibus passuum abesset. Hunc virum, & hanc regionem proximo anno diversis è partibus Tiberius Cæsar aggredi statuit. Sentio Saturnino mandatum, [4] ut per Cattos, [d] excisis continentibus Herciniæ silvis, legiones [5] Boiohæmum (id regioni, quàm incolebat Maroboduus, nomen est) * duceret : [6] ipse à Carnunto, qui locus Norici Regni proximus ab hac parte erat, exercitum, qui in illyrico merebat, ducere in Marcomannos orsus est.

C X. Rumpit, interdum moratur proposita hominum, Fortuna. Præparaverat jam hiberna Cæsar [1] ad Danubium, admotóque exercitu non plus, quàm quinque dierum iter à primis hostium, Saturninum [2] admoverit placuerat ** [3] pænè æquali divisæ intervallo ab hoste, intra paucos dies in prædicto loco cum Cæsare juncturæ erant; cùm

INTERPRETATIO.

e *Nec ejus incrementa sinebant Italiam securam esse.*

d *Amputatâ sylvâ Herciniâ in locis proximis.*

NOTÆ.

major Bavariæ pars in Vindeliciâ sit; quem errorem Thysius erravit Ortelium secutus. 2. Illos, qui Noricum *Austriam* esse contendunt, quod non nisi de Norico Ripensi verum est.

3. *Ducentis millibus passuum.*] Centum leucis.

4. *Ut per Cattos.*] Germaniæ populos, qui aliàs erant, ubi nunc Hassia cum parte Thuringiæ, & Brunsvicensis Ducatûs : quorum urbs primaria Castellum Cattorum erat, hodie *Cassel.*

5. *Boiobæmum.*] Quibusdam scribitur, *Boiemum.* Ampla Germaniæ regio est : ubi primùm Boii fuerunt, deinde Marcomanni, denique Bœmi. Nunc Gallis dicitur, *Boheme.*

* *Duceret.*] Hoc verbum deest in aliquibus editionibus : addidimus verò, auctore Lipsio: alioqui imperfecta foret sententia. Aliud addere quoque Cluverius conatur. Quòd enim *Boiobæmum* sit nomen regionis, vult legi : *in Boiobæmum duceret.* Fallitur : neque enim, ut benè notat Vossius, hæc regula semper observatur. Unus sit instar omnium, qui sic locuti sunt, Virgilius *lib. 6. Æneid.*

——finesque
Venturum Ausonios.

6. *Ipse à Carnunto.*] Urbs olim Pannoniæ superioris erat ad Danubium : nunc Austriæ pagus in Hungariæ confinio, qui, teste Lazio, dicitur. *S. Petronel*, ob Cœnobium D. Petronillæ dicatum non longè à Viennâ.

1. *Ad Danubium.*] Notissimum & maximum Germaniæ fluvium. Gallicè, *Le Danube.* Oritur ex monte Abnoba, in comitatu *Bar* dicto, propè Villingam oppidum Sueviæ. Deinde per plurimas regiones delatus, & auctus inter eundum sexaginta navigabilibus amnibus, tandem in Pontum Euxinum se per sex ostia exonerat versus Bessarabiam.

2. *Admoveri placuerat.*] Etsi Boëclerus observat tolerari posse : *admoveri*; cùm Lipsio tamen lege : *admoneri*, scilicet, certiorem de suo adventu fieri.

3. *Panè æquali.*] Hanc lacunam cum Lipsio & Vossio supple hoc modo : *Saturninum admoneri placuerat : cujus copia pænè æquali divisa intervallo, &c.*

universa Pannonia, insolens longæ pacis bonis, [a] & adulta viribus Dalmatia, omnibus tractus ejus gentibus in societatem adductis, [b] ex constituto arma corripuit. Tum necessaria gloriosis præposita; neque tutum visum, abdito in interiora exercitu, vacuam tam vicino hosti relinquere Italiam. Gentium nationumque, quæ rebellaverant, omnis numerus ampliùs octingentis millibus explebat. Ducenta ferè peditum colligebantur, armis habilia; equitum novem. Cujus immensæ multitudinis, parentis acerrimis ac peritissimis ducibus, pars petere Italiam decreverat, junctam sibi [4] Nauporti ac Tergestis confinio; pars in Macedoniam eruperat; [c] pars suis sedibus præsidium esse destinaverat. [5] Proxima duobus Batonibus, ac Pinneti ducibus auctoritas erat. In omnibus autem Pannoniis non disciplinæ tantummodò, sed linguæ quoque notitia Romanæ; plerisque etiam litterarum usus; & familiaris animorum erat exercitatio. [d] Itaque, Hercules, nulla unquam natio tam maturè consilio belli bellum junxit, ac decreta patravit. [e] Oppressi cives Romani, trucidati negotiatores, magnus [6] vexillariorum numerus, ad internecionem, eâ in regione, quæ plurimùm ab Imperatore aberat, cæsus. Occupata armis Macedonia, omnia, & in omnibus locis, igni ferróque vastata: quin tantus etiam hujus belli metus fuit, ut stabilem illum, & firmatum tantorum bellorum experientia, Cæsaris Augusti animum quateret atque terreret.

INTERPRETATIO.

a *Et Dalmatia aucta viribus.*

b *Ad decretum diem.*

c *Pars remanserat ad tuendum suas sedes.*

d *Itaque nunquam profectò gens ulla tàm cito junxit bellum consilio belli, &* *perfecit*, quæ *statuerat*

e *Cives Romani ex improviso occisi sunt;*

NOTÆ.

4. *Nauporti.*] Nunc est urbs parva Germaniæ, dicta Gallis, *Le petit Laubac*, in Carniolà superiori ad amnem cognominem.] *Tergestis*, Urbs fuit aliàs Carnorum, nunc Istriæ in ora maris Hadriatici; parva quidem, sed munitissima, sub Austriacorum Dominio, Gallis *Trieste*.

5. *Proxima duobus Batonibus.*] Huic lectioni Lipsius auctoritatem nescio quam quærit è Dione, qui *duos Batones* in hoc bello fuisse docet. Sed fuerint duo: quid hoc ad historiæ nostræ contextum? Enimverò duos hic duces Velleius recenset Batonem & Pinnetem; non Batones duòs. Quare cum Delbenio & Acidalio scribe: *Batoni*. Est autem Bato, teste Josepho Scaligero, populare nomen Pannonum. Deinde cum Vossio malumus *prima*; quàm *proxima*: quòd etiam Lipsio in mentem venit.

6. *Vexillariorum.*] Juxta Vegetium *lib. 2. cap.* 1. Vexillarii erant equites, primùm *Alarii* dicti, quòd veluti alis aciem ab utraque parte protegerent: deinde *Vexillarii*, quòd equitum alæ postea Vexillationes vocatæ sint. Juxta Turnebum *lib. 3. Advers. cap. 5. & lib. 5. cap.* 2. Vexillationum nomen tribuitur emeritis veterani: (*Subsignanos* appellavit Ammianus. *Vexillarios* Tacitus.) Id est, iis militibus, qui licet exauctorati; sub signo adhuc tenebantur, donec præmia & agros acciperent.

CXI.

CXI. [a] Habiti itaque delectus, revocati undique omnes veterani viri, fœminæque ex censu libertinum coactæ dare militem. Audita in senatu vox principis, Decimo die, ni caveretur, posse hostem in urbis Romæ venire conspectum. [1] Senatorum, equitumque Romanorum exactæ ad id bellum operæ pollicitæ. Omnia hæc frustra præparassemus, nisi, qui illa regeret, fuisset. Itaque [2] ut præsidium militum, respublica ab Augusto ducem in bellum poposcit Tiberium. [b] Habuit in hoc quoque bello [3] mediocritas nostra speciosi [4] ministri locum. [5] Finitâ equestri militiâ, [6] designatus quæstor, necdum senator æquatus Senatoribus, [7] & jam designatis tribunis plebis, partem exercitus ab urbe, traditi ab Augusto, perduxi ad filium ejus: in quæstura deinde, [c] remissa sorte provincia, legatus ejusdem ad eun-

INTERPRETATIO.

a *Itaque conscripti* sunt *milites*, *omnes veterani undique revocati* sunt, *viri & fœminæ coactæ sunt suppeditare pro suis facultatibus militem* ex numero *libertorum.*

b *Etsi parvi sumus*, *gessimus* tamen *honorificum munus in hoc bello.*

c *Postquam cessi jure sortiendi provinciam.*

NOTÆ.

1 *Senatorum equitumque exacta, &c.*] Duplex sensus esse potest: 1°. Senatores equitesque Romani operam diligentem in hoc bellum polliciti sunt. 2°. Postulatum est à Senatoribus equitibusque Romanis, ut traderent suas operas (homines qui pretio conducti aliquid operis faciunt) idque promiserunt se facturos.

2 *Ut præsidium militum, respublica.*] Lipsium, Acidalium, Vossium, aliósque sollicitos habuit hic locus. Lipsius non probat ducem *præsidium militum* esse, cum potiùs dici debeat regimen. Ergo legit: *præsidium ultimum*. Acidalius verbis immutatis scribit: *itaque ut præsidium manium Respublica Augustum, ita ducem bellum poposcit Tiberium*. Vossius nihil mutat, existimans Tiberium ideò dici *præsidium militum*, quod militum sanguini studiosè parceret. Boëclerus *præsidium* interpretatur *præcipuum robur decusque militum*. Sed quid illi omnes, alioqui eruditi viri, se impediunt ipsi in re apertâ & facili? Absque mutatione rem expedire mihi videor hoc sensu: itaque ut respublica ab Augusto petiit (scilicet *urbi*) præsidium militum; ita ab eodem poposcit, ut Tiberius esset hujus belli dux. Atqui hic sensus efficitur ex superioribus verbis: *Audita vox Principis*, (Augusti) *Decimo die, ni caveretur, posse hostem in urbis Romæ venire conspectum.* Ergò quid aliud operæ pretium erat ab Augusto petere ad urbis Romæ custodiam, quàm militum præsidium: Gallicè, *Une Garnison.*

3 *Mediocritas nostra.*] Jam tùm hujusmodi formulæ loquendi usurpari cœperunt, ubi de se ipso, aut ad Principes viros sermo erat. Jam tùm, scilicet sub Tiberio, Valerius Maximus ausus est dicere, *mea parvitas*, pro *ego*.

4 *Ministri.*] Lipsius non incongruè legit: *ministerii*. Tamen vulgatam lectionem tolerat.

5 *Finitâ equestri militiâ.*] Absoluto stato tempore merendi inter equites: Gallicè, *Ayant achevé mon temps de service parmi la Cavalerie.*

6 *Designatus quæstor.*] Non urbis, sed exercitus: quod munus militare est.

7 *Et jam designatis tribunis plebis.*] Aliqui emendant, & edunt: *etiam designatus tribunus plebis.* Quam lectionem sequi me cogit Romanæ reipublicæ ritus: Tribunos eligi non posse, nisi è Senatu: cùm prius è plebe dumtaxat eligerentur. Hunc ritum Lipsius eruit quidem è situ:

dem missus, quas nos primo anno acies hostium vidimus? quantis, prudentiâ ducis, opportunitatibus, furentes eorum vires universas [8] evasimus partibus? quanto cum temperamento simul utilitatis res auctoritate Imperatoris agi vidimus? quâ prudentiâ hiberna disposita sunt? [d] quanto opere, inclusus custodiis exercitus nostri, ne quâ posset erumpere, inopsque copiarum, & intra se furens, viribus hostis elanguesceret?

CXII. [a] Felix eventu, forte conatu, primâ æstate belli Messalini opus mandandum est memoriæ; qui vir animo etiam, quàm gente nobilior, dignissimus qui & patrem Corvinum habuisset, & cognomen suum Cottæ fratri relinqueret, præpositus Illyrico, [b] subitâ rebellione, cum semiplena [1] legione vicesima, circumdatus hostili exercitu, ampliùs viginti millia hostium fudit, fugavitque, & ob id ornamentis triumphalibus honoratus est. [c] Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, ut, ubicumque Cæsar esset, nihil in se reponerent. [d] Pars exercitus eorum proposita ipsi duci, & ad arbi-

INTERPRETATIO.

d *Quanto labore hostis inclusus* est *custodiis nostri exercetûs, ne quâ posset effugere*, & ut *carens omni cibo*, & *vertens furorem in se ipsum, debilitaretur propriis viribus.*

a *Oportet tradere literis factum Messalini primo anno hujus belli*: cujus facti *exitus* fuit *felix*, & *animosa susceptio.*

b *Cum rebellio cœpit erumpere.*

c *Placebat quidem barbaris multitudo sua*, & ii *fidebant suis viribus*; *ita tamen, ut ubicumque Cæsar adesset, nullam spem in se haberent.*

d *Pars exercitûs eorum opposita ipsi Tiberio*, & *attenuata* inopiâ quam pertulerat *ex arbitrio nostro* & *ad nostram utilitatem*; & *redacta ad famem*, quæ *multos absumebat*, *non ausa concurrere* nobis *offerentibus pugnam*, & *instruentibus aciem*, *recessit in montem Claudium*, *ubi se munimentis defendit.*

NOTÆ.

ad eundem in alienum sensum, meo judicio, detorquet. Ait enim Velleium, nondum Senatorem, æquatum esse Senatoribus, id est, *Tribunis plebis*, in eo quod æquè ac tribuni copiis præfuerit. Nonne magis est ad Velleii mentem: Velleium finitâ equestri militiâ, non modo designatum quæstorem urbis; sed etiam designatum tribunum plebis, (in quo, cum nondum esset Senator, æquatus est Senatoribus, è quibus solùm tribuni plebis eligebantur) præfuisse copiis, earumque partem duxisse ad Tiberium?

8 *Evasimus partibus.*] Rejectis variorum lectionibus 1. Rhenani: *evasimus artibus*. 2. Lipsii; *invasimus partibus*. 3. Gruteri: *exhausimus partibus*; cum Vossio sequor editionem primam, *evasimus partibus*. Quam lectionem Suetonius in vitâ Tiberii confirmat his verbis: *Batonem Pannonum ducem ingentibus donatum præmiis, Ravennam transtulit, gratias referens, quòd se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum passus esset evadere.*

1 *Legione vicesimâ.*] Legiones vulgò agnominabantur ab ordine temporis, quo conscriptæ fuerant. Erant tamen alia legionum cognomina. 1. Ab Imperatoribus: *Augusta*, *Claudia*, *Flavia*. 2. Ab Hibernis: *Gallica*, *Scythica*, *Macedonica*, &c. 3. A Diis: *Apollinaris*, *Minervia*. 4. Ab armis: *ferrata*, &c. 5. A locis: *fretensis*, id est, freto assita. 6. Ab insigni scutorum: *fulminatrix*, *victrix*, &c.

trium utilitatemque nostram macerata, perductáque ad exitiabilem famem, neque facientibus copiam pugnandi, dirigentibusque aciem, ausa congredi, occupato [2] monte Claudio, munitione se defendit. At ea pars, quæ obviam se effuderat exercitui, quem Aulus Cæcina, & Silvanus Plautius consulares ex transmarinis adducebant provinciis, circumfusa quinque legionibus nostris, auxiliaribusque, [3] & equitatui regio, (quippe magnam Thracum manum junctus prædictis ducibus Rhemætalces, Thraciæ rex, in adjutorium ejus belli secum trahebat) pænè exitiabilem omnibus cladem intulit. Fugata [4] regiorum equestris acies, fugatæ alæ, [e] conversæ cohortes sunt: [5] apud signa quoque legionum tripidatum, sed Romana virtus militi plus eo tempore [f] vindicatum gloriæ, quàm ducibus, reliquit: qui, multùm [6] à more imperatoris sui discrepantes, antè in hostem inciderunt, quàm per exploratores, ubi hostis esset, cognoscerent. Jam igitur, in dubiis rebus semet ipsæ [7] legiones adhortatæ, jugulatis ab hoste quibusdam tribunis militum, interempto præfecto castrorum, præfectisque cohortium, non incruentis centurionibus, [8] quibus etiam primi ordines cecidêre, invasere hostes: nec sustinuisse contenti, perruptâ eorum acie, [g] ex insperato victoriam vindicaverunt. Hoc ferè tempore Agrippa, qui eodem die, quo Tiberius, adoptatus ab avo suo naturali erat, & jam ante biennium, qualis esset, apparere cœ-

INTERPRETATIO.

e *Cohortes terga verterunt; legiones trepidaverunt etiam circum signa.*

f *Partum.*

g *Victoriam præter spem retulerunt.*

NOTÆ.

2 *Monte Claudio.*] In Hungariâ & Stiriâ, vulgò *Motay*.

3 *Et equitatui.*] Vulgò, *equitatu*. Sed maluimus Acidalium sequi legentem: *equitatui*, quod ratio suadet. Nam ea pars inimici exercitûs Romanas legiones; non autem Romanæ legiones eam inimici exercitûs partem circumdederant.

4 *Regiorum equestris acies.*] Gallicè, *les Escadrons du Roy*. (Alæ, *les deux aisles*.) Cohortes, *les Bataillons d'Infanterie*.

5 *Apud signa.*] Jam observavimus signum Romanæ legionis *aquilam* fuisse. Cujus moris originem alii repetunt à Jove, qui aquilam insigne suæ militiæ habuit: alii à Trojanis. Sed fortè, teste Lipsio, Romani id repererunt à se ipsis, cùm vicinos viderent animalium rapacium figuras in bello præferre. Aquilæ porrò Romanæ forma talis erat: summæ hastæ insistebat extensis alis, & sæpè fulmen unguibus tenens, quasi jaculatura.

6 *A more imperatoris sui.*] Vulgò: *amore imperatoris sui crepantes.* Quæ verba sic fracta sunt, ut Gruterus & Lipsius non ea capere se fateantur. Isaacio verò Pontano debemus, quòd restituta sunt.

7 *Legiones.*] Legiones dixit, pro *legionariis militibus*: unde subjecit, *nec sustinuisse contenti.*

8 *Quibus etiam primi ordines, &c.*] Ita in MS. legitur, ut nec audiendi sint Lipsius, Acidalius, & alii qui sic emendant: *qui etiam primi ordines cecidêre*; nec necesse sit cum Vossio subintelligere præpositionem (*à*) An Vossio non placuit hic dandi casus, *quibus*? Nam autem est oratio tàm congrua, *alicui cadere*, quàm *alicui commori*, hoc sensu: primos legionum ordines adeò pertinaciter incubuisse suis centurionibus, ut solâ nece divelli ab iis potuerint.

perat, [9] mirâ pravitate animi atque ingenii [h] in præcipitia conversus, patris, atque ejusdem [10] avi sui animum alienavit sibi; moxque, crescentibus in dies vitiis, [11] dignum furore suo habuit exitum.

CXIII. Accipe nunc, Marce Vinici, tantum in bello ducem, quantum in pace vides principem. Junctis exercitibus, quique sub Cæsare fuerant, quique ad eum venerant, contractisque in una castra decem legionibus, septuaginta ampliùs cohortibus, [1] quatuordecim, sed pluribus quàm decem veteranorum millibus, ad hoc magno voluntariorum numero, [a] frequentique equite regio; tanto denique exercitu, quantus nullo unquam loco post bella fuerat civilia, omnes eo ipso læti erant, maximámque fiduciam victoriæ in numero reponebant. At imperator optimus, eorum, quæ agebat, judex, & utilia speciosis præferens, quodque semper eum facientem vidi, in omnibus bellis, quæ probanda essent, non quæ utique probarentur, sequens, paucis diebus exercitum, qui venerat, ad refovendas ex itinere ejus vires moratus; cum eum majorem, quàm ut temperari posset, neque habilem gubernaculo cerneret, dimittere statuit: prosecutúsque longo, & perquàm laborioso itinere, cujus difficultas narrari vix potest, ut neque universos quisquam auderet aggredi, [2] & partem digredientium suorum quisque metu finium universi tentare non possent, remisit eò, unde venerant, & ipse, asperrimæ hiemis initio regressus [3] Sisciam, legatos, inter quos ipsi fuimus, partitis præfecit hibernis.

CXIV. [1] O rem dictu non eminentem, sed solidâ veráque vir-

INTERPRETATIO.

h *Ad perniciosa consilia.*

a *Et multis equitum turmis*, quas *reges* adduxerant.

NOTÆ.

9 *Mirâ pravitate animi.*] Suetonius inter alios *ingenium sordidum & ferox* Agrippæ tribuit. Hunc Dio vocat *ira præcipitis* hominem; ausum etiam *Novercalem animum* Liviæ, & Augusto *paternorum bonorum detentionem* exprobrare. Tacitus 1. Ann. eum *rudem bonarum artium & robore corporis stolidè ferocem*, *nullius tamen flagitii compertũ* memorat.

10 *Avi sui animum.*] Augusti, à quo in exilium pulsus est.

11 *Dignum furore suo exitum.*] Suâ temeritate. Hoc primum imperii Tiberiani facinus, adulationis velo hic obductum Dio revelavit his verbis: *Agrippam Nolâ misso percussore* (Tiberius) *necavit. Quam cædem cùm postea injussu suo factam diceret, eique, qui fecisset, minaretur; non tamen ultus est. Quod variis sermonibus locum dedit.*

1 *Quatuordecim.*] Eruditis Lipsii conjectura placuit, hîc scilicet adjiciendum esse: *alis*, Gallicè, *quatorze corps de Cavalerie.*

2 *Et partem digredientium suorum.*] Sensus est: & ne hostes quoque possent oppugnare partem eorum, qui à se *Tiberio* digrediebantur, propter hunc metum, ne scilicet sui fines aliorum, qui remanebant, incursionibus paterent.

3 *Sisciam.*] Olim erat urbs Pannoniæ superioris: nunc pagus vulgò, *Sisseg.*

1 *O rem dictu non eminentem.*] Sensus est: narraturus sum rem dictu quidem

tute atque utilitate maximam, experientiâ suavissimam, humanitate singularem! Per omne belli Germanici Pannonicique tempus, nemo è nobis, gradúmve nostrum aut præcedentibus, aut sequentibus, imbecillus fuit, cujus salus ac valetudo non ita sustentaretur Cæsaris curâ, tanquàm distractissimus ille tantorum onerum mole huic uni negotio vacaret animus. Erat desiderantibus paratum [2] junctum vehiculum; [a] lectica ejus publicata, [3] cujus beneficium cùm alii, tum ego sensi. Jam medici, jam apparatus cibi, jam in hoc solum importatum instrumentum [4] balinei, nullius non succurrit valetudini. Domus tantùm, ac domestici deerant: ceterùm nihil, quod ab illis aut præstari, aut desiderari posset. Adjiciam illud, quod, quisquis illis temporibus interfuit, (ut alia quæ retuli) agnoscat protinus. Solus semper equo vectus est; solus cum iis, quos invitaverat, majore parte æstivarum expeditionum, [5] cenavit sedens; [b] non sequentibus disciplinam, quatenùs exemplo non nocebatur, ignovit; admonitio frequens inerat, & castigatio, vindicta rarissima: agebatque medium, plurima dissimulantis, aliqua inhibentis. [c] Hiems emolumentum patrati belli contulit, [6] sed insequenti æstate omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Dalmatiâ manentibus, pacem petiit. [d] Ferocem illam

INTERPRETATIO.

a *Ejus lectica* erat *facta publica.*

b *Pepercit* iis, qui *non observabant disciplinam, dum non prodebatur perniciosum exemplum; admonebat & objurgabat sæpè* eos, qui *peccaverant, puniebat* autem *rarissimè: & tenebat* quoddam *medium plurima dissimulans, nonnulla prohibens.*

c *Hiems attulit commodum consummati belli.*

d *Spero me narraturum ordine, prolixioribus libris*, quomodo *tot millia militum illorum ferocium*, qui *paulo ante minati* erant *servitutem Italiæ, deposuerint arma, quibus usi erant ad ripam fluminis vocati Bathini*; quomodo *universi provoluti sint ad pedes Tiberii*: quomodo *ex ambobus ducibus Batone & Pinete, altissima statura* viris, *unus captus sit, alter verò deditus.*

NOTÆ.

minimè speciosam; sed maximam, si eam solidâ veraque virtute, & utilitate metiamur; & suavissimam iis, qui experti sunt; quæque singularis est humanitatis nota.

2 *Junctum vehiculum.*] Idem planè legitur apud Livium: *juncto vehiculo uti*, id est, juxta Gellium *lib.* 20. *cap.* 1. *Jumento uti.* Est quidem jumentum pecus quodlibet aut sarcinas gerens, aut plaustrum trahens, aut terram excolens: sed præterea significat, *inquit*, vehiculi genus, quòd junctis pecoribus trahitur, quodque veteres dixerunt *junctum vehiculum.*

3 *Cujus beneficium.*] In MS. non erat: *beneficium*, quod addidit de suo Rhenanus. Mallet Vossius cum Lipsio substituere: *usum.*

4 *Balinei.*] Instrumento Balinei significatur supellex quælibet idonea balneo. Βαλανεῖον Græci appellant; quo sanitatis causa utebantur, ut per sudores elicerent malignos vapores.

5 *Cenavit sedens.*] Romani in cibo capiendo vulgò discumbebant; non more nostro sedebant. Hinc lectus dicitur Plinio *discubitorius*, super quo cenaturi discumbebant.

6 *Sed insequenti.*] Auctore Lipsio lege: *& insequenti.*

tot millium juventutem, paulò antè servitutem minatam Italiæ, conferentem arma, quibus usa erat apud flumen nomine [7] Bathinum, prosternentemque se universam genibus imperatoris, Batonemque & Pinetem, excelsissimos duces, captum alterum, [8] alterum deditum, justis voluminibus ordine narrabimus, ut spero. Autumno victor in hiberna reducitur exercitus, cujus omnibus copiis à Cæsare Marcus Lepidus præfectus est, [e] vir nominis [9] ac fortunæ eorum proximus, quem in quantum quisque aut cognoscere, aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque nominum, quibus ortus est, ornamentum judicat.

CXV. Cæsar [1] ad alteram belli Delmatici molem animum atque arma contulit; in quâ regione quali adjutore legatóque fratre meo, Magio Celere Velleiano, usus sit, ipsius patrisque ejus prædicatione testatum est, [2] & amplissimorum honorum, quibus triumphans eum Cæsar donavit, signat memoria. Initio æstatis Lepidus, educto hibernis exercitu, per gentes integras, immunésque adhuc clade belli, & eo feroces ac truces, tendens ad Tiberium imperatorem, & cum difficultate locorum, & cum vi hostium luctatus, magna cum clade obsistentium, [a] excisis agris, exustis ædificiis, cæsis viris, lætus victoriâ, prædáque onustus, pervenit ad Cæsarem; & ob ea, quæ si propriis gessisset auspiciis, triumphare debuerat, [3] ornamentis trium-

INTERPRETATIO.

e *Vir* qui *proximè accedit ad famam & ad fortunam suorum: quem quisque admiratur, & amat, & judicat* esse *decus illustrium majorum à quibus, oriundus est, prout potuit illum cognoscere & penitùs perspicere.*

a *Vastatis agris.*

NOTÆ.

7 *Bathinum.*] Scribe cum Pontano: *Batinum*. Fluvius est Picenorum in Apruţio, Interamnam urbem alluens, & ad Flavianum castrum in mare Hadriaticum exiens.

8 *Alterum deditum.*] Vossius addit, *à se deditum*, auctore Dione, qui Batonem docet ad Tiberium sponte venisse, seque dedidisse. Quam notulam Rhenano debere se profitetur.

9 *Ac fortunæ eorum proximus.*] Vossius aliique rectè emendant & legunt: *suorum*, scilicet Æmiliorum: è quâ gente Lepidus erat.

1 *Ad alteram belli Delmatici molem.*] Ad aliud bellum, quod restabat in Dalmatiâ æquè difficile.

2 *Et amplissimorum honorum.*] Lipsius legit: *Donorum*, quia mox de fratre & de se: *quem* (triumphum) *mihi fratrique meo inter præcipuos præcipuisque donis adornatos viros comitari contigit.* Notus mos triumphorum, in quibus coronæ, torques & phaleræ bello meritis dabantur. Si tamen servas, *honorum*, intellige triumphales honores.

3 *Ornamentis triumphalibus.*] Hæc ornamenta & insignia erant corona, patera aurea, sella curulis, scipio eburneus, tunica palmata, toga picta, laurea; quibus appellationem imperatoris adjicit Onuphrius: sed falsò, ut notat Schegkius ex Tacito *Ann.* 3. & ex Velleio, infra de Blæso: *qui post paucos annos Procos. in Africa ornamenta triumphalia cum* (vides imperatoris appllationem, tanquam augustius aliquid, ab ornamentis triumphalibus distingui) *appellatione imperatoris meruit.*

phalibus, consentiente cum judicio principum voluntate senatus, donatus est. Illa æstas maximi belli consummatus effectus, quippe [4] Daorisi & Desitiates Delmatæ, situ locorum ac montium, ingeniorum ferociâ, mira etiam pugnandi scientia, & præcipuè angustiis saltuum pænè inexpugnabiles, non jam ductu, sed manibus atque armis ipsius Cæsaris tùm demum pacati sunt, cùm pænè funditus eversi forent. Nihil in hoc tanto bello, nihil in Germaniâ aut videre majus, aut mirari magis potui, quàm quòd imperatori nunquam adeò ulla opportuna visa est victoriæ occasio, [b] quam damno amissi pensarct militis: semperque visum est gloriosum, quòd esset tutissimum; & antè conscientiæ, quàm famæ, consultum; nec unquam consilia ducis judicio exercitûs, sed exercitus providentiâ ducis rectus est.

CXVI. Magna in bello Delmatico experimenta virtutis, in multos ac difficiles locos præmissus [1] Germanicus dedit; celebris etiam operâ diligenti [2] Quintus Julius Postumus, vir consularis, præpositus Delmatiæ, ornamenta meruit triumphalia: quem honorem ante paucos annos Passienus & Cossus, viri quibusdam diversis virtutibus celebres, in Africâ meruerant. Sed Cossus victoriæ testimonium etiam in cognomen filii contulit, adolescentis in omnium virtutum exempla geniti. At Postumi operum Lucius Apronius particeps, illâ quoque militiâ eos, quos mox consecutus est, honores excellenti virtute meruit. Utinam non majoribus experimentis testatum esset, quantùm in omni re Fortuna posset; sed in hoc quoque genere abundè agnosci vis ejus potest, [3] nam & Sejanus, vir antiquissimi moris, & priscam

INTERPRETATIO.

b *Quam vellet emere jacturâ suorum militum.*

NOTÆ.

4 *Daorisi & Desitiates Delmatæ.*] Illyrici populi in Dalmatiâ. Vossius pro *Daorisi* substituit *Pirustæ* ob litterarum vicinitatem, cùm in MS. esset: *Perusiæ ade Sitiates Delmatæ.* Ad id probandum movet, quòd hos populos situ locorum ac montium penè inexpugnabiles esse Velleius dicat. Nam *Pirustæ* in confinio Dalmatiæ, & Macedoniæ ad ortum siti sunt, ad Glanam fluvium, juxta Scardum montem, qui magnâ parte eos ambit. Vignereo nunc dicuntur *Albanesi.*

1 *Germanicus.*] Drusi ex juniore Antoniâ filius, C. Cæsaris Caligulæ pater, à Tiberio patruo adoptatus.

2 *Q. Julius Postumus.*] Schegkius ex Tacito 4. *Annal.* Putat illum esse, quem Sejanus post Drusi mortem ad tollendos Germanici liberos delegerat socium. Falsò putat: affirmant enim Pighius & Vossius ex Floro *lib. 4. cap. ultimo*, intelligendum hoc loco esse *C. Vibium Postumum.* Sanè ex Rhenani editione variisque Burrerii lectionibus liquet in MS. expressum fuisse: *Celeberi etiam opera diligenti quibus Jul. Postumus.* Unde Vossius sic legit: *Celebri etiam opera diligentique Vibius Postumus.*

3 *Nam & Sejanus.*] Hæc certè in Sejanum non cadunt, ut bene Lipsius observavit, qui equestri loco provincias aut exercitus non rexit, quare Lipsius vult legi: *nam & Blæsus.* Caussa suspicionis ex Velleii capite cxxv. ubi 1. dicit Junium Blæsum *in Illyrico celeberrimâ militiâ fuisse, &c.* 2. interserit, *ut prædiximus.*

gravitatem semper humanitate temperans, in Germaniâ Illyricoque, & mox in Africa, splendidissimis functus ministeriis, non merito, sed materiâ adipiscendi triumphalia, [a] defectus est. Et Aulus Licinius Nerva Silianus, Publii Silii filius, [b] quem virum, ne qui intellexit quidem, abundè miratus est, ne nihil non optimo civi, simplicissimo duci perisset, præreptus immaturè, & fructu amplissimæ principis amicitiæ [4], & consummatione evectæ in altissimum paternumque fastigium imaginis, defectus est. Horum virorum [5] mentione si quis quæsisse me dicet locum, fatentem arguet. [c] Neque enim justus sine mendacio candor apud bonos crimini est.

CXVII. [a] Tantum quòd ultimam imposuerat Pannonico ac Delmatico bello Cæsar manum, cùm, intra quinque consummati tanti operis dies, funestæ ex Germaniâ epistolæ, cæsi Vari, trucidatarumque legionum trium, totidemque alarum, & sex cohortium, velut in hoc saltem tantummodò indulgente nobis fortunâ, [1] ne occupato duce. [2] Et caussa, persona, moram exigit. Varus Quinctilius,

INTERPRETATIO.

a *Privatus est.*

b *Vir, quem* ii qui illum *introspexerant optimè, non poterant satis admirari; ut nihil esset, quod civis optimus, & dux summi candoris non amisisset, extinctus morte immaturâ, privatus est fructu maximæ amicitiæ imperatoris erga* ipsum *nec potuit assequi altissimam* illam *fortunam, ad quam suus pater pervenerat*, & cujus *ideam animo conceperat.*

c *Nam nuda* rerum *expositio sine mendacio non meretur ullam vituperationem apud bonos.*

a *Vix Cæsar finierat bellum Pannoniæ & Dalmatiæ, cùm quinto die post consummationem tanti operis, allatæ sunt ex Germaniâ tristes litteræ de clade Vari, & de cæde trium legionum, & totidem turmarum equestrium, & sex cohortium, fortunâ saltem velut obsequente nobis in eo,* quòd *hæc clades non contigerit occupato alibi Tiberio.*

NOTÆ.

Ubi autem de Junio & Illyrico aliquid prædictum*, nisi hic? Adde quod Junio Blæso convenit Africæ præfectura, cujus hic quoque mentio est. Turbat tamen; quod ait Velleius Junium Blæsum *defectum materiâ adipiscendi triumphalia*: nam ea retulit ex Africâ. Sed Velleii verba ad Germaniam & Illyricum tantùm restringenda sunt.

4 *Et consummatione evectæ, &c.*] Præter hujus loci sensum, quem habes in interpretatione: Ecce affero alium, in quo inest aliqua Romani moris notitia: *** *privatus est fructu maxima amicitia imperatoris erga* ipsum, *& perfectione* consilii quo destinabat *eò evehere suam imaginem ad altissimum culmen*, ad quod *pater suam extulerat.* Hoc sensu sumeretur *imago* pro nobilitate, & pro familiæ stemmatis.

5 *Mentione.*] Acidalius legit: *mentioni.*

1 *Ne occupato duce.*] Aliquibus hic locus videtur mutilus. 1. Gruterus animadvertit *saltem tantummodo* superfluè dici. 2. Lipsius, ut sibi videtur, lacunam supplet unico verbo: *ne occupato duce faveret.* Sed quare mutilus hic locus? Habent verba, ut jacent, facilem sensum: nimirum in eo positam fuisse fortunæ indulgentiam, quòd Vari clades non acciderit, occupato & districto alibi duce Tiberio. Quia secus futurum fuisset, ut hostis usus victoria latiùs arma protulisset, nisi obviam itum esset.

2 *Et caussa, persona, moram exigit.*] Omissâ lectione Delbenii: *sed caussa perillustri*

illustri magis quàm nobili ortus familiâ, vir ingenio mitis, moribus quietus, [b] ut corpore & animo immobilior, otio magis castrorum, quàm bellicæ assuetus militiæ; [c] pecuniæ verò quàm non contemptor, Syria, cui præfuerat, declaravit; quam pauper divitem ingressus, dives pauperem reliquit: is cùm exercitui, qui erat in Germaniâ, præesset, concepit esse homines, qui nihil, præter vocem membraque, haberent hominum; quique gladiis domari non poterant, posse jure mulceri. [d] Quo proposito mediam ingressus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, jurisdictionibus, agendoque [3] pro tribunali ordine, trahebat æstiva.

CXVIII. At illi, quod, nisi expertus, [1] vix credebat, in summâ feritate versutissimi, [a] natumque mendacio genus, simulantes fictas litium series, & nunc provocantes alter alterum injuriâ, nunc agentes gratias, quòd eas Romana justitia finiret, feritásque sua, novitate incognitæ disciplinæ, mitesceret, & solita armis discerni, jure terminarentur, in summam socordiam perduxere Quinctilium. Usque eò, ut se prætorem urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præesse crederet. Tum juvenis, genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri, [2] principis gentis ejus filius, ardorem animi vultu oculisque præferens, [b] assiduus militiæ nostræ prioris comes, & jam civitatis Romanæ jus equestrémque consecutus gradum, segnitiâ ducis in occasionem sceleris usus est; haud imprudenter speculatus, neminem celeriùs opprimi, quàm qui nihil timeret; & frequentissimum initium esse calamitatis, Securitatem. Primò igitur paucos, mox plures in societatem consilii recipit; opprimi posse Romanos, & dicit & persuadet; decretis facta jungit; tempus insi-

INTERPRETATIO.

b *Æquè corpore & mente tardior.*

c *Syria verò, quam rexerat, patefecit quàm non pecuniam aspernabatur.*

d *Hac cogitatione progressus in medium Germaniæ, traducebat æstatem, quâ fi. bellum, reddendo jus, & præcipiendo è tribunali gradu, quasi* fuisset *inter homines amantes dulcedinem pacis.*

a *Et gens nata dissimulationi.*

b *Qui diu militaverat inter nos superioribus bellis.*

NOTÆ.

sona moram exigit. Et neglectâ observatione Gruteri, qui *causa* ablativo casu accipit, secuti sumus Lipsii lectionem: *sed causa, & persona, moram exigit*, hoc sensu: sed hujus causa cladis, & Varus qui illam accepit, postulant ut in iis consistamus.

3 *Pro tribunali ordine.*] Has duas voces existimo cum Lipsio conjungendas simul esse: *pro tribunali ordine.* Id est, è loco sive sede, unde jus tanquam judex reddebat.

1 *Vix credebat.*] Lipsius legit: *vix credat.*

2 *Principis gentis ejus.*] Cattorum de quibus suprà.

diarum constituit. Id Varo per virum ejus gentis fidelem, clarisque nominis Segesten indicatur: sed prævalebant jam fata consiliis, omnémque animi ejus aciem [3] præstinxerant. Quippe ita se res habet, ut plerumque, [4] qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpat, efficiatque, quod miserrimum est, ut, quod accidit, id etiam meritò accidisse videatur, & casus in culpam transeat. Negat itaque se credere, [c] spemque in se benevolentiæ ex merito æstimare profitetur. [d] Nec diutiùs, post primum indicem, secundo relictus locus.

CXIX. Ordinem atrocissimæ calamitatis, quâ nulla, post Crassi in Parthis damnum, in externis gentibus, gravior Romanis fuit, justis voluminibus, ut alii, ita nos conabimur exponere: [1] nunc summa deflenda est. Exercitus omnium fortissimus, disciplinâ, manu, experientiáque bellorum inter Romanos milites princeps, [a] marcore Ducis, perfidiâ hostis, iniquitate fortunæ circumventus, cùm ne pugnandi quidem egregiè occasio, in quantùm voluerant, data esset miseris, castigatis etiam quibusdam gravi pœnâ, quia Romanis & armis & animis usi fuissent, inclusus silvis, paludibus, insidiis, ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidaverat, [b] ut vitam aut mortem ejus nunc ira, nunc venia temperaret. Duci plus ad moriendum, quàm ad pugnandum, animi fuit. Quippe [2] paterni avitique exempli successor, se ipse transfixit. At è præfectis castrorum duobus quàm clarum exemplum Lucius Eggius, tam turpe Cejonius prodidit; qui, cùm longè maxi-

INTERPRETATIO.

c *Et denuntiat se metiri fiduciam, quam habere debet in benevolentiâ* Germanorum *erga se, officiis suis erga* ipsos.

d *Nec longo tempore post primum delatorem opportunitas fuit* audiendi *alterius.*

a *Langore imperatoris.*

b *Ut decerneret de vitâ militum pro ut* tantùm *suadebant nunc ira, nunc misericordia.*

NOTÆ.

3 *Præstinxerant.*] Num potius Vellieus scripsit: *præstruxerant*, quòd idem est atque *obstruxerant*: quo modo Julius Celsus: *perituris oculos obstruit fortuna.* Apud Ciceronem quidem *Philip.* 12. legitur: *Præstinxerat aciem animi D. Bruti salus.* Sed fortè idem est error.

4 *Qui fortunam mutaturus est.*] In Autographo, teste Vossio, pro *est*, erat *Deus.* Quæ vox omitti non debuit. Idem Vossius pro *qui* censet esse reponendum *cui*, rectissimè.

1 *Nunc summa deflenda est.*] Nunc oportet eam cladem deplorare breviter, & omnibus quasi simul comprehensis. Non omittendus est Augusti luctus, de quo refert Suetonius *cap.* 23. *Eum adeò Variana clade consternatum esse, ut per continuos menses barbâ capilloque submisso caput interdum foribus illideret vociferans: Quinctili Vare, redde legiones.*

2 *Paterni avitique.*] Ejus pater Varus Quinctilius in bello Philippensi, ut vidimus suprà *cap.* 71. cùm se insignibus honorum velavisset, liberti manu interfectus est. De avo non tam obvium, Lipsius tamen reperit apud Cæsarem 1. *civil. bell.* Quinctilium Varum quæstorem L. Domitii fuisse: ut probabile sit, eum aut in Pharsaliâ, aut in Africâ sic periisse.

mam partem absumpsisset acies, [e] auctor deditionis, supplicio, quàm prælio, mori maluit. [3] At Vala Numonius, legatus Vari, cetera quietus ac probus, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquens, fuga cum alis Rhenum petere ingressus est, quod factum ejus fortuna ulta est. Non enim desertis superfuit, sed desertor occidit. Vari corpus semiustum hostilis laceraverat feritas, caput ejus abscissum, latumque ad Maroboduum, & ab eo missum ad Cæsarem, [d] gentilitii tandem tumuli sepulturâ honoratum est.

CXX. His auditis, revolat ad patrem Cæsar: perpetuus patronus Romani Imperii, [a] assuetam sibi causam suscipit. Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, disponit exercitus, præsidia munit; se magnitudine suâ, non fiduciâ hostium, metiens, [b] qui Cimbricam Teutonicamque militiam Italiæ minabantur; ultra Rhenum, cum exercitu, transgreditur. [1] Arminio terito, quem arcuisse pater & patriâ contenti erant, penetrat interius, [c] aperit limites, vastat agros, urit domos, fundit obvios, maximáque cum gloriâ incolumi omnium, quos transduxerat, numero, in hiberna revertitur. Reddatur verum Lucio Asprenati testimoium; qui, legatus sub avunculo suo Varo militans, navâ virilique operâ duarum legionum, quibus præerat, exercitum immunem tantâ calamitate servavit; [d] maturéque ad inferiora hiberna descendendo, vacillantium etiam cis Rhenum sitarum gentium animos confirmavit. [e] Sunt tamen, qui, ut vivos ab eo vindicatos, ita jugulatorum sub Varo occupata crediderint patrimonia, hæreditatémque excisi exercitus, in quantùm voluerit, ab eo aditam. Lucii etiam Cæditii, præfecti castrorum, eorumque, qui unâ

INTERPRETATIO.

e *Suasor, ut se in hostium potestatem traderent, &c.*

d *Tandem mandatum est*, cum *honorificis* exequiis, *tumulo sua familia.*

a *Quam tueri solitus erat.*

b *Qui minitabantur Italia bellum par* bello *Cimbrorum ac Teutonum.*

c *Latiores vias facit*

d *Et citò recedendo in hiberna ad inferiorem Rhenum continuit* in officio *nutantes animos nationum, qua sunt citra hunc fluvium.*

e *Sunt tamen, qui putaverunt* quòd, *si liberaverat* milites *vivos, invasisset etiam in bona eorum, qui sub Varo trucidati fuerant, &* quòd *in se transtulisset, ad arbitrium suum, pecuniam relictam ab exercitu deleto.*

NOTÆ.

3 *At Vala Numonius.*] Ursinus ex argenteo denario sic legit, cùm in manuscripto Velleii codice legeretur: *Valnumonius.* Addit Ursinus se credere Valam Numonium eum esse ad quem Horatius scripsit *epistolam* 15. *lib.* 1. Ubi Vossius dubitat, an non potius scribendum sit; *Ad Cn. Vmonium Valam*: & in Velleio, *Vala Vmonius*, ut Golzius ex Lauredani numismate expressit, & Cruquius ad prædictam Horatii epistolam monet.

1 *Arminio territo.*] Ita Rhenanus Vossiana lectio paulò diversa est: *arma infert hosti quem, &c.* hoc sensu; Rhenum transgreditur, & ultrò petit in suis sedibus Arminium, quem arcuisse à nostris satis habebant Augustus & cives.

circumdati [2] Alisone, immensis Germanorum copiis obsidebantur, laudanda virtus est: qui omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexsuperabiles, nec temerario consilio, nec segni providentiâ usi, speculatique opportunitatem, ferro sibi ad suos peperêre reditum. Ex quo apparet, Varum sane gravem, & bonæ voluntatis virum, [3] magis imperatoris defectum consilio, quàm virtute destitutum militum, se magnificentissimumque perdidisse exercitum. Cùm in captivos sæviretur à Germanis, præclari facinoris auctor fuit Caldus Cœlius, vetustate familiæ suæ dignissimus; qui, complexus catenarum, quibus vinctus erat, seriem, ita illas inlisit capiti suo, [4] ut protinus pariter sanguinis cerebrique in fluvio expiraret.

CXXI. [a] Eadem & virtus & fortuna, subsequenti tempore, ingressa animam Imperatoris Tiberii fuit, quæ initio fuerat; qui, concussis hostium viribus, classicis peditumque expeditionibus, cùm res Galliarum maximæ molis, accensasque plebis [1] Viennensium dissensiones, coërcitione magis, quàm pœnâ, mollisset, & senatus populúsque Romanus, postulante patre ejus, ut æquum ei jus in omnibus provinciis exercitibúsque esset, quàm erat ipsi, decreto complexus esset; [etenim absurdum erat, non esse sub illo, quæ ab illo vindicabantur; &, qui ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non judicari parem] in urbem reversus, jampridem debitùm, sed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Delmatisque egit triumphum. Cujus magnificentiam quis miretur [2] in Cæsare?

INTERPRETATIO.

a *Eadem virtus, & eadem fortuna, quæ initio Tiberium comitata fuerat, cum* adhuc *comitata est subsequenti tempore. Is reversus Romam debilitatis viribus hostium expeditionibus navalibus & terrestribus, postquam composuisset difficillima negotia Galliarum, & dissidia inflammata Viennensium; postquam Senatus & populus Romanus edixisset, rogatus ejus patris, ut haberet in omnibus provinciis & exercitibus eandem potestatem, quam ipse habebat (nam non erat æquum non judicari æquè dignum honoribus* eum, *qui primus auxilium præstabat patriæ;)* is, inquam, Tiberius *egit triumphum qui jam dudum ipsi debebatur ob victorias, quas retulerat ex Pannonibus & Delmatis: sed quem continua bella retardaverant.*

NOTÆ.

2 *Alisone.*] Urbs est non procul ab ortu Lippiæ in Vvestphaliâ, vulgò *Elsen.* Aliis dicitur *Iselbug* in Gueldriâ ad fluvium Isalam: H. Junio *Vvesel* in Ducatu Clivensi ad Rhenum: verùm, opinor, male.

3 *Magis imperatoris defectum consilio.*] Sensus est: amisisse exercitum suâ potiùs, quàm militum culpâ; & caruisse magis prudentiâ quæ inesse debet imperatori, quàm generosis militibus.

4 *Ut protinus pariter sanguinis, &c.*] Ut statim moreretur profuso sanguine simul, & sparso ex vulnere cerebro.

1 *Viennensium.*] Incolæ sunt Viennæ, quæ urbs est Galliæ ad Rhodanum, & cujus tractus in Delphinatu, Viennensis dicitur, vulgò, *Le Viennois.*

2 *In Cæsare.*] Id est, cùm Cæsar esset is, qui triumpharet.

fortunæ verò quis non miretur indulgentiam? [3] Quippe omnes eminentissimos hostium duces non occisos fama narravit, sed victos triumphus ostendit. Quem mihi fratrique meo, inter præcipuos, præcipuisque donis adornatos viros, comitari contingit.

CXXII. Quis non inter reliqua, quibus singularis moderatio Tiberii Cæsaris elucet, atque eminet, hoc quoque miretur, quòd, cùm sine ulla dubitatione septem triumphos meruerit, tribus contentus fuerit? [a] Quis enim dubitare potest, quin ex Armeniâ receptâ, & ex rege ei præposito, cujus capiti [1] insigne regium suâ manu imposuerat, ordinatisque rebus Orientis, [2] ovans triumphare debuerit? & Vindelicorum Rhætorumque victor, curru urbem ingredi? fractis deinde post adoptionem, continuâ triennii militiâ, Germaniæ viribus, idem illi honor & deferendus, & recipiendus fuerit? Et, post cladem sub Varo acceptam, ociùs prosperrimo rerum eventu, eadem excisa Germania, triumphum summi ducis adornare debuerit? Sed in hoc viro, nescias, utrum magis mireris, quòd laborum periculorumque semper excessit modum, an quod honorum temperavit.

CXXIII. Venitur ad tempus, in quo fuit plurimum metus. Quippe Cæsar Augustus, cùm Germanicum, nepotem suum, reliqua belli patraturum, misisset in Germaniam, Tiberium autem filium missurus esset in Illyricum, ad firmanda pace, quæ bello subegerat, prosequens eum, simulque interfuturus [1] athletarum certaminis ludi-

INTERPRETATIO.

[a] *Nam quis potest dubitare, quin meruerit triumphum ovationis, quòd recuperavit Armeniam, quod ei præfecit regem, cujus super caput posuerat insigne regium*; & *quod ordinavit negotia Orientis.* Quis potest dubitare, quin *victor & Vindelicorum & Rhetorum debuerit introire Romam curru: quin deinde debuerit hic honor ei tribui; & quin debuerit eundem recipere, consumptis post adoptionem suam viribus Germaniæ, continuo trium annorum bello: & quin eadem Germania eversa statim à clade quam acceperamus sub Varo, debuerit ornare triumphum maximi imperatoris.*

NOTÆ.

3 *Quippe omnes eminentissimos, &c.*] In eo fuit indulgentia fortunæ, tum quòd, ejus honoris causâ, hostium clarissimi duces non occisi in prælio, sed capti fuerint: tum quòd eos fortuna victos ostenderit priùs in triumpho, quàm captos fama narraverit. Hostium duces captos Romani imperatores reservabant in triumphum, ut his per eum ductis pulcherrimum spectaculum, fructumque victoriæ populus Romanus percipere posset. Sed cùm de foro in Capitolium triumphalem currum flectere incipiebant, illos in carcerem duci jubebant; idemque dies & victoribus imperii sive triumphi, & victis vitæ finem faciebat. Ita Cicero *Orat.* 10. *lib.* 5. *in Verrem*, *num.* 76.

1 *Insigne regium.*] Diadema: intellige porrò *Tigranem*, cui impositum est hoc insigne regium.

2 *Ovans triumphare.*] De Ovatione suprà *cap.* 96. *n.* 5. Addo ovationem, quæ minor est triumphus, ab ove dictam esse: quod ovantibus mos esset ovem immolare.

1 *Athletarum.*] Hoc nomine Gymnici omnes intelliguntur, luctatores, cursores, pugiles, item disco & saltu certantes. Athletæ, inquam, dicti sunt à verbo Græco ἀθλεῖν quod est certo.

cro, quod ejus honori sacratum à Neapolitanis est, processit in Campaniam: [a] quamquam jam motus imbecillitatis, inclinatæque in deterius principia valetudinis senserat; tamen obnitente vi animi, prosecutus filium, digressusque ab eo Beneventi, ipse Nolam petiit,&, ingravescente in dies valetudine, cùm sciret, quis, volenti omnia post se salva remanere, accersendus foret, festinanter [2] revocavit filium. Ille ad patrem patriæ exspectato revolavit maturiùs. Tum, securum se Augustus prædicans, circumfususque amplexibus Tiberii sui, commendans illi sua, atque ipsius opera, [b] nec quidquam jam de fine, si fata poscerent, recusans, subrefactus primo conspectu, alloquioque carissimi sibi spiritus, mox, cùm omnem curam fata vincerent, in sua resolutus initia, Pompeio Apuleioque Consulibus, septuagesimo sexto anno animam cælestem [3] cœlo reddidit.

CXXIV. Quid tunc homines timuerint, quæ sanatus trepidatio, quæ populi confusio, quis orbis metus, in quàm arto salutis exitiique fuerimus confinio, neque mihi tam festinanti exprimere vacat; neque, cui vacat, potest. Id solum voce publicâ dixisse habeo; cujus urbis ruinam timueramus, eam ne commotam quidem sensimus. Tantaque unius viri majestas fuit, ut nec bonis, neque contra malos opus armis foret. [a] Una tamen veluti luctatio civitatis fuit;

INTERPRETATIO.

a *Quamvis jam sensisset motus debilitatis, & initia valetudinis labentis in pejus, tamen, vi animi contra nitente, comitatus filium, & digressus ab eo Beneventi, ipse Nalam ivit; & morbo crescente in dies, revocavit filium celeriter, cùm sciret, quis* esset, quem *oporteret advocari, si vellet omnia remanere in bono statu post suam mortem. Ille* protinus *rediit ad patrem patriæ citiùs*, quàm *exspectatus fuerat.*

b *Et nihil jam recusans de morte, si fata peterent, paulùm recreatus primo aspectu, & alloquio hominis, quem unicè diligebat; mox, fatis superantibus omnem curam, dissolutus in principia, ex quibus compositus erat, reddidit cœlo animam* quam *inde acceperat*, ætatis *anno septuagesimo sexto, sub consulatu Pompeii & Apuleii.*

a *In urbe tamen fuit una quasi concertatio*, hinc *Senatûs & populi Romani enitentis obtinere à Cæsare, ut succederet loco patris*: illinc *Tiberii* rogantis, *ut sinerent se esse potiùs æqualem* omnibus *civem quàm inter eos dominum.*

NOTÆ.

2 *Revocavit filium.*] Longè aliter Tacitus. Ait Tiberium properis Liviæ litteris accitum; neque satis compertum esse, spirantem adhuc Nolæ Augustum, an exanimem repererit. Acribus namque custodiis domum, viasque Livia sepserat, lætosque interdum vulgabat nuntios, donec provisis, quæ tempus monebat, Augustum excessisse simul & rerum potiri Neronem fama ipsa nuntiavit.

3 *Cœlo reddidit.*] Anno Christi 14. decimo quarto Kal. Septemb. cùm annos à primo edito Magistratu vixisset 56. ab Antonii nece tres & quadraginta solidos. Augustum obiisse non sine suspicione veneni à Liviâ dati referunt Dio *lib.* 55. Suetonius *cap.* 98. & Tacitus 1. *Annal.* De Nolâ ubi dicunt eum obiisse, non inter omnes veteres constat. Nam id Atellæ in Campaniâ contigisse scripserunt Eutropius & Eusebius.

pugnantis cum Cæsare Senatûs Populique Romani, ut stationi paternæ succederet; illius, ut potiùs æqualem civem, quàm eminentem liceret agere principem. [1] Tandem magis ratione, quàm honore, victus est; cum, quidquid tuendum non suscepisset, periturum videret: solique huic contigit, pænè diutius recusare principatum, quàm ut occuparent eum, alii armis pugnaverant. [b] Post [2] redditum cœlo patrem, & corpus ejus humanis honoribus, nomen divinis honoratum, primum Principalium ejus operum fuit, [3] Ordinatio comitiorum; quam, manu suâ scriptam, [4] Divus Augustus reliquerat. [c] Quo tempore mihi fratrique meo, [5] candidatis Cæsaris, proximè à nobilissimis ac sacerdotibus viris, destinari prætoribus contigit, consecutis, ut neque post nos quemquam Divus Augustus, neque ante nos Cæsar commendaret Tiberius.

CXXV. [a] Tulit protinus & voti, [1] & consilii sui pretium respublica: neque diu latuit, aut quid non impetrando, passuri fuissemus; aut quid, impetrando, profecissemus. Quippe exercitus, qui

INTERPRETATIO.

b *Postquàm* Tiberius *adscripsisset patrem inter Deos, postquam detulisset ejus corpori humana officia, & ejus nomini divinos* honores, *illud primum*, quod tanquam *princeps egit*, *ordinatio fuit comitiorum, &c.*

c *Quo tempore evenit mihi, & meo fratri designari prætoribus, omnium primis post nobilissimos viros & insignitos sacerdotio*, cùm *à Cæsare propositi* fuissemus. Id *habuimus præcipuè*, *ut neque Divus Augustus post nos, neque Tiberius Cæsar ullum ante nos commendaret.*

a *Respublica statim percepit fructum votorum suorum, atque consilii sui.*

NOTÆ.

1 *Tandem magis ratione, &c. victus est.*] Ergo Augusto patri Tiberius successit in imperium; cœpitque illo ipso, quo Augustus mortuus est anno imperare, cùm ageret annum ætatis 55.

2 *Redditum cœlo patrem.*] Augusti apotheosis est. Dio refert Liviam ante Numerio cuidam Attico, Senatori & Prætorio, decies sestertiûm dono dedisse: quòd juravisset visum à se Augustum in cœlum ascendere, quemadmodum antiquitùs Romulum Proculus vidisse perhibetur.

3 *Ordinatio comitiorum.*] Ad magistratuum creationem. Jus comitiorum, sive creandi magistratus olim ad populum pertinebat. Augustus illud primò cum populo partitus est, Consulum creatione sibi, Senatuique duntaxat reservatâ: quod deinde Tiberius, ademptum populo, sibi vindicavit.

4 *Divus Augustus.*] Augusto etiam viventi aræ, & ludi quinquennales constituti. Unde à Virgilio *Deus* passim vocatur *Eclog.* 1. Atque hinc de ejus flaminibus ac Sacerdotibus plena sunt omnia monumenta. In Augusti sacerdotio præcipuum fuit, tum quod ei non viri solùm, sed etiam fœminæ adscriptæ sint; tum quòd ejus uxor Livia, ex decreto Senatus illius pariter Sacerdos fuerit.

5 *Candidatis Cæsaris.*] Candidati dicuntur viri principis, quos vir princeps populo commendat, & suâ gratiâ promovet ad magistratus. Ita Suetonius *in vitâ Augusti: quoties magistratuum comitiis interesset, tribus cum Canditatis suis circumibat, prensabatque more solemni.*

1 *Et consilii sui.*] Scilicet consilii, quod ceperat, enitendi quacumque ratione, Tiberius ut imperii habenas regimenque capesceret.

in Germaniâ militabat, præsentisque Germanici imperio regebatur simulque legiones, quæ in Illyrico erant rabie quâdam, & profundâ confundendi omnia cupiditate, novum ducem, novum statum, novam quærebant rempublicam. Quin etiam ausi sunt minari, daturos senatui, daturos principi leges; modum stipendii, [2] finem militiæ sibi ipsi constituere conati sunt. [b] Processum etiam in arma, ferrumque strictum est; & pænè in ultimum gladiorum erupit impunitas: defuitque, qui contra rempublicam duceret, non qui sequerentur. [c] Sed hæc omnia veteris Imperatoris maturitas, multa inhibentis, aliqua cum gravitate pollicentis, inter severam [3] præcipuè nostrorum ultionem, mitis aliorum castigatio, brevi sopiit ac sustulit. [d] Quo quidem tempore, [4] ut pleraque ignavè Germanicus, ita Drusus, qui à patre in id ipsum, plurimo quidem igne emicans, incendium militaris tumultus missus erat, priscâ antiquâque [5] severitate usus, ancipitia sibi tam re, quàm exemplo perniciosa, & his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coërcuit; singulari adjutore in eo negotio usus Junio Blæso, viro nescias utiliore in castris, an meliore in togâ.

INTERPRETATIO.

b *Ventum est etiam ad arma, & enses districti sunt, & impunitas*, quâ sumpti sunt *gladii, tulit omnia pænè in extremum discrimen.*

c *Sed prudentia ducis, longo usu bellorum edocti, sopiit atque extinxit brevi hos omnes tumultus, tum prohibendo multa, & nonnulla promittendo cum gravitate, tum maximè puniendo rigidè auctores* horum tumultuum, *& animadvertendo leniter in alios.*

d *Quo quidem tempore ut Germanicus egit pleraque fortiter; ita Drusus, qui à patre missus erat ad* extinguendum *illud ipsum incendiū seditionis militum, quod profectò plurimùm ardebat;* Drusus, inquam, agens *cum gravitate* dignâ *vetere & antiquâ* Româ, & *ausus rem dubii exitûs; repressit* motus *æquè damnosos exemplo atque re; & eos qui ipsum obsidebant repressit, cum his ipsis armis militum, quibus obsessus erat. In quo negotio usus est singulari operâ Junii Blæsi, viri, de quo vix dicas utiliorne sit in bello, an præstantior in pace.*

NOTÆ.

2 *Finem militiæ.*] Legitimæ militiæ tempus erat, pedestris quidem viginti annorum: equestris verò decem. Nauticorum militum paulò diuturnior erat militia, scilicet annorum quinque & viginti. Intra quos qui se subducebat, morte aut servitute pœnam luebat.

3 *Præcipuè nostrorum.*] Cùm Lipsio legimus: *præcipuè auctorum.*

4 *Ut pleraque ignavè Germanicus,*] Malo cum Boëclero: *ignavè*, id est, strenuè, fortiter: ob eam in primis rationem, quòd ex usu & more assentatoris aulici, qualis erat Velleius, minimè fuisset Augusti nepoti, & Tiberii adoptivo convitium publicè facere.

5 *Severitate usus, ancipitia sibi, &c.*] Hunc locum fœdè corruptum variè emendant Gruterus, Acidalius, & Vossius. Ex quorum lectionibus hanc, quam secuti sumus in Interpretatione, confecimus: *Priscâ antiquâque severitate, ausus ancipitia sibi; tam re quàm exemplo perniciosa, & his ipsis militum gladiis, quibus obsessus erat, obsidentes coërcuit.* Ita ut *coërcuit* referatur tùm ad *obsidentes*, tùm ad *perniciosa*.

qui

qui post paucos annos proconsul in Africâ, ornamenta triumphalia, [6] cum appellatione Imperatôria, meruit. Ac Hispanias, exercitumque virtutibus, celeberrimáque in Illyrico militiâ, ut prædiximus, cum imperio obtineret, in summâ pace quietè continuit; cum ei pietas rectissima sentiendi, & auctoritas, quæ sentiebat, obtinendi, superesset. Cujus curam ac fidem, Dolabella quoque, vir simplicitatis generosissimæ, in maximâ parte Illyrici per omnia imitatus est.

CXXVI. [a] Horum sexdecim annorum opera quis, cùm inserta sint oculis animisque omnium, in partibus eloquatur? [1] Sacravit parentem suum Cæsar non imperio, sed religione. Non appellavit eum, sed fecit Deum. Revocata in forum fides; [b] summota è foro seditio, ambitio [2] campo, discordia curiâ: sepultæque ac situ obsitæ justitia, æquitas, industria, civitati redditæ, accessit magistratibus auctoritas, senatui majestas, judiciis gravitas; [c] compressa theatralis seditio; rectè faciendi omnibus aut incussa voluntas, aut imposita necessitas: honorantur recta, prava puniuntur. Suspicit potentem humilis, non timet. Antecedit, non contemnit humiliorem potens. Quando annona moderatior? [d] quando pax lætior? Diffusa in Orientis Occidentisque tractus; [3] & quidquid meridiano aut septentrione finitur, pax augusta per omnes terrarum orbis angulos à latrociniorum metu servat immunes. Fortuita non civium tantummodò, sed urbium damna Principis munificentia [e] vindicat. Restitutæ urbes Asiæ: vindicatæ ab injuriis magistratuum provinciæ: honor dignis paratissimus.

INTERPRETATIO.

a *Quis enarret particulatim res gestas per hos sexdecim annos, cùm posita sint ante oculos & in mentibus omnium?*

b *Seditio depulsa est è cœtibus publicis, ambitio è Campo* Martio, *discordia è curiâ: & justitia, æquitas, industria, quæ sepulta & obsoleta fuerant, restituta sunt in civitate.*

c *Repressæ sunt seditiones* solitæ exoriri *in theatro.*

d *Augusta* illa *pax, quæ dispersa est in plagas Orientis & Occidentis, & in omnia loca, quæ terminantur Meridie & Septentrione, præstat* cunctos homines, *in omnibus angulis orbis terrarum, securos à latrociniis.*

e *Reparat.*

NOTÆ.

6 *Cum appellatione Imperatoriâ.*] Lipsio rectè observatum est, Junium Blæsum omnium postremum à Tiberio fuisse Imperatorio nomine insignitum.

1 *Sacravit parentem suum, &c.*] Sensus est: Cæsar sui parentis memoriam consecravit, eumque Diis immortalibus adscripsit vero religionis sensu magis, quàm edicto: nec etiam satis illi fuit eum vocare deum, sed talem & habuit & vere coluit.

2 *Campo.*] In Campo Martio comitia habebantur ad magistratuum creationem.

3 *Et quidquid Meridiano, &c.*] Aliter & Lipsius legit, & Thysius edidit: *Diffusa in Orientis Occidentisque tractus, quidquid Meridiano finitur, pax augusta per omnes terrarum orbis angulos à latrociniorum metu servat immune.*

pœna in malos fera, sed aliqua. Superatur æquitate gratia, ambitio virtute: nam facere rectè cives suos; Princeps optimus faciendo docet; cumque sit imperio maximus, exemplo major est.

CXXVII. Raro eminentes viri non magnis adjutoribus ad gubernandam fortunam suam usi sunt; ut duo Scipiones duobus Læliis, quos per omnia æquaverunt sibi; ut Divus Augustus Marco Aggrippa, & maximè ab eo, Statilio Tauro. [a] Quibus novitas familiæ haud obstitit, quominùs ad multiplices consulatus, triumphosque, & complura eniterentur sacerdotia. Etenim magna negotia magnis adjutoribus egent: [1] neque in parvo paucitas ministeria defecit: interestque reipublicæ, quod usu necessarium, & dignitate eminere; utilitatemque auctoritate muniri. [b] Sub his exemplis Tiberius Cæsar [2] Sejanum Ælium, principe equestris ordinis patre natum, [3] materno verò genere clarissimas, veteresque, & insignes honoribus complexum familias, habentem consulares fratres, consobrinos, avunculum, ipsum verò laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singularem principalium onerum adjutorem in omnia habuit, atque habet; virum severitati: lætissimæ, hilaritatis priscæ, [c] actu otiosis simillimum, nihil sibi vindicantem, eoque assequentem omnia, semper infra aliorum æstima-

INTERPRETATIO.

a *Quos obscuritas sua familiæ non impedivit, quominùs ascenderent ad consulatus multoties* repetitos, *& ad triumphos, & ad plurima sacerdotia.*

b *Ductus his exemplis Tiberius Cæsar habuit, & adhuc habet præcipuum adjutorem onerum,* quæ comitantur *principatum, Sejanum Ælium, qui natus est patre clarissimo in ordine equitum, & qui ex parte matris adjunctus est familiis illustrissimis, antiquis, & insignibus* propter urbanas *dignitates: cujus fratres, consobrini, avunculus fuerunt consules: qui ipse quoque* is est, *ut par sit cuicumque labori, & ut ei possit haberi fides, constitutione corporis* omnino *respondente vigori mentis.*

c *Qui, etiam tum cùm agit, simillimus est nihil agentibus; qui nihil assumit sibi, & ideo obtinet omnia.*

NOTÆ.

1 *Neque in parvo paucitas, &c.*] Aliquibus hæc non esse Velleiana putantur: ex his tamen sensus existet tolerabilis, si legatur: *neque in parvo paucitas ministerii* (id est ministrorum) *deficit.* Is existet, inquam, sensus: etenim magna negotia magnis adjutoribus indigent; quod ita verum est, ut in rebus etiam parvi momenti, etsi pauci sunt, non tamen ministri desint.

2 *Sejanum Ælium.*] Hic ei Velleius adulatur. Quare verum è Tacito repete; à quo narratur, quem suæ gratiæ & vitæ exitum Sejanus habuerit. Post summa enim scelera, jam animo summa quæque destinans, unis Tiberii literis contra ipsum datis ad Senatum, ex honorum fastigio dejicitur, & cum omni suâ stirpe carnificis manu necatus est anno Tiberii 18. Patrem habuit Seium Strabonem, Vulsiniis in Hetruria oriundus. Sed in adoptionem datus ex Æliis alicui, mutato inflexoque, ut solet, patris nomine, Sejanus Ælius dictus est.

3 *Materno verò genere.*] Quodnam? Junium, ut opinatur Lipsius, hoc argumento, quod Junius Blæsus, Proconsul Africæ, avunculus ei fuerit.

tiones se metientem; vultu, vitâque tranquillum [d] animo exsomnem. In hujus virtutum æstimatione jampridem judicia civitatis cum judiciis principis [e] certant.

CXXVIII. Neque novus hic mos senatus populique Romani est, putandi, quod optimum sit, esse nobilissimum. Nam & illi antiqui, ante primum bellum Punicum, abhinc annos trecentos, Titum Coruncanium, [1] hominem novum, cum aliis omnibus honoribus, tum Pontificatu etiam maximo, [a] ad principale extulere fastigium; & equestri loco natum Spurium Carvilium, & mox Marcum Catonem, novum etiam, [2] Tusculo, [3] Urbis inquilinum, Mummiumque Achaïcum in consulatus, censuras, & triumphos provexere, [b] &, qui Caium Marium, ignotæ originis, usque ad sextum consulatum sine dubitatione Romani nominis habuere principem; & qui [4] Marco Tullio tantùm tribuêre, ut pænè, [5] assentatione suâ, quibus vellet, principatus conciliaret; quique nihil Asinio Pollioni negaverunt, quod nobilissimis, summo cum sudore, consequendum foret; profectò hoc senserunt, in cujuscunque animo virtus inesset, ei plurimum esse tribuendum. Hæc naturalis exempli imitatio ad experiendum Sejanum, Cæsarem, ad juvanda verò onera principis; Sejanum protulit; senatumque & populum Romanum eò perduxit, ut, quod usu optimum intelligit, id in tutelam securitatis suæ libenter advocet.

CXXIX. Sed, propositâ quasi universâ Principatus Tiberii Cæsaris formâ, singula recenseamus. Qua ille prudentiâ [1] Rhascupolim,

INTERPRETATIO.

d *Mente vigilem.*
e *Certatim consentiunt.*
a *Evexerunt ad supremas dignitates.*

b *Et qui agnoverunt sine difficultate usque ad sextum consulatum, Caium Marium, incognitæ originis, caput Romanæ gentis.*

NOTÆ.

1 *Hominem novum.*] Hominem, cujus in familiâ nemo dignitatem ullam antea adeptus fuerat.

2 *Tusculo.*] Subauditur: *Oriundum.* Erat Tusculum urbs Latii: nunc autem eversa est, apud Frascatam, *Frascati:* quò se summi Pontifices æstivo tempore recipere solent.

3 *Urbis inquilinum.*] Qui in conducto tantùm Romæ habitabat.

4 *Marco Tullio.*] Hæc est Lipsii lectio, cùm vulgò legeretur malè: *Fulvio.* Gens enim *Fulvia* non est inrer novas. Omnino Tullius est, in quem Velleiana laus cadit. Nam 1. homo novus fuit, ut ipse aliique testantur. 2. Cœlesti suo ore Senatus populique rector erat: provincias, exercitus, & tantum non regna dedit. Testes sunt Cæsar, & Pompeius: quorum illi Gallias prorogavit; hunc ad Piraticum bellum misit. Unde vulgò palam *Regnare in judiciis, in concionibus* dicebatur: atque inimici objiciebant, *Tertium peregrinum Romæ esse Regem.*

5 *Assentatione.*] Assensione. Ut supra *assentari* dixit pro *assentiri.* Vide *cap.* 48. *n.* 1.

1 *Rhascupolim.*] Thraciæ regem. Scribitur apud Suetonium: *Thrascypolis.* Apud Tacitum *Rescuporis.* Forte scribi debet: Rascuporis, quod in MS. invenit Torrentius.

interemptorem fratris sui filii [2] Cotys, consortisque ejusdem imperii, [3] evocavit? singulari in eo negotio usus operâ Flacci Pomponii, consularis viri, nati ad omnia, quæ rectè facienda sunt, simplicique virtute [4] merentis semper, quàm captantis gloriam. Cum quanta gravitate, ut senator, & judex, non ut princeps, & causas pressius audit? Quam celeriter [6] Libonem ingratum, & nova molientem, oppressit? Quibus præceptis instructum Germanicum suum, imbutumque rudimentis militiæ secum actæ, domitorem recepit Germaniæ? Quibus juventam ejus exaggeravit honoribus, respondente cultu triumphi rerum, quas gesserat, magnitudini? Quoties populum [7] congiariis honoravit, senatorumque censum, cùm id senatu auctore facere potuit, quàm libenter explevit; [8] ut neque luxuriam invitaret, neque honestam paupertatem pateretur dignitate destitui? [9] Quanto cum honore Germanicum suum [10] in transmarinas misit provincias? Quâ vi, consiliorum suorum ministro & adjutore usus Druso, filio suo, Maroboduum, inhærentem occupati Regni finibus, pace majestatis ejus dixerim, velut serpentem abstrusam terræ, [11] salubribus consiliorum suorum medicamentis coëgit egredi? [12] Quam illum & honoratè, nec securè continet? Quantæ molis bellum, principe Galliarum ciente Sacroviro, Floroque Julio, mira celeritate ac

Notæ.

2 *Cotys.*] Hujus nominis duo fuerunt; ambo Thraciæ reges. Unus in bello civili Pompeii partes secutus est. Alter, Tiberii tempore, Rhascupolis patrui fraude circumventus occisus est.

3 *Evocavit.*] E Thraciâ Romam accersivit.

4 *Merentis semper quàm captantis, &c.*] Subauditur: *magis*, locutione quæ familiaris est Valerio Maximo lib. I. cap. I. *Factum Masanissa animo, quàm Punico sanguine conveniens.* Comico: *Tacita mulier, quàm bona.* Et passim Tacito.

5 *Et causas pressius audit.*] Sequor cum Vossio Lipsium, qui sic legit: *etiam causas præsens audit.* Scilicet, teste Suetonio, sæpe magistratibus pro Tribunali cognoscentibus offerebat se consiliarium, assidebatque mistim, vel ex adverso in parte primori.

6 *Libonem.*] Libo erat è nobili Scriboniorum gente. Cujus consilia è Tacito repete *lib. 2. ann.* id unum habeo dicere; Libonem, cùm videret detecta esse sua consilia, necem attulisse sibi, non dubitanti, quin vitam supplicio redderet.

7 *Congiariis.*] Congiarium dicitur Imperatoris munus, quo populus donabatur, Donativium, quo milites.

8 *Ut neque luxuriam.*] Sensus est; ita ut nec luxuriam profusis largitionibus excitaret: nec ferret nobiles familias suis dignitatibus, præ inopiâ, cadere.

9 *Quanto cum honore.*] Dic magis ex Tacito: quantâ cum calliditate. Certo enim certius erat, Tiberium amoliri Germanicum honoris specie, metuque illius omni tum virtutum ac rerum gestarum laude florentis, &, quod aptior imperio videretur, maximè suspecti.

10 *In transmarinas provincias.*] In Orientem & contra Parthos.

11 *Salubribus consiliorum, &c.*] Salubria consiliorum medicamenta vocat blanditias, promissa, & fraudes, quibus extractos ad se reges nonnullos non remisit. Quam metaphoram sic effer Gallicè: *par ses sages intrigues.*

12 *Quam illum & honoratè, &c.*] Sensus est: Quàm honorificè regem illum custodiendum curat! id curat tamen cum eâ vigilantiâ, quâ opus est, ne effugiat,

virtute compressit? ut antè populus Romanus vicisse se, quàm bellare, cognosceret; nunciosque periculi victoriæ præcederet nuncius. Magni etiam terroris bellum Africum, [13] & quotidiano auctu majus, auspiciis consiliisque ejus brevi sepultum est.

CXXX. [1] Quanta, suo suorumque nomine, exstruxit opera! Quam pia munificentia, superque humanam evecta fidem, Templum patri molitur! [a] Quam magnifico animi temperamento Cnæi quoque [2] Pompeii munera absumpta igni restituit! [b] qui, quidquid umquam claritudine eminuit, id veluti cognatum censet tuendum. Quâ liberalitate, cùm aliàs, tum proximè, incenso [3] monte Cœlio, omnis ordinis hominum jacturæ, patrimonio succurrit suo? [c] Quanta cum quiete hominum, rem perpetui præcipuique timoris, [4] supplementum, sine trepidatione [5] delectûs, providet? Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, apud aures Deorum de his queri, quid hic meruit? Primùm, ut scelerata [6] Drusus Libo iniret consilia? Deinde, ut Silius & Piso; quorum alterius dignitatem constituit, auxit alterius? Ut ad majora transcendam, quamquam & hæc ille duxit maxima; [7] quid, ut juvenes amitteret filios? Quid, ut ne-

INTERPRETATIO.

a *Quantâ magnificentiâ simul & modestiâ reparat etiam munera Cnæi Pompeii, quæ ignis combusserat.*

b *Qui credit sibi conservandum, tanquam suum & domesticum, id omne quod unquam splendore præcelluit.*

c *Quantâ cum tranquillitate hominum curat fieri supplementum, sine metu conquisitionis, quam rem universi semper & maximè reformidaverunt?*

NOTÆ.

13 *Et quotidiano auctu majus.*] Id est, quodque crescebat in dies.

1 *Quanta suo.*] Longè aliter Tacitus docet, Tiberium nunquam publicè nisi duo struxisse opera; templum Augusto, & Pompeiani Theatri scenam. Imò, si Suetonio fides est, hæc duo quæ sola susceperat, imperfecta post tot annos reliquit. Eadem verò Caligula absolvit.

2 *Pompeii munera.*] Intellige Theatrum, quod extruxerat Pompeius, & veluti dono publicum fecerat.

3 *Monte Cœlio.*] Unus est è septem urbis Romæ collibus. A Cœlio Vibeno, nobilissimo duce Tusco sic dictus est: quòd cum Romulo contra Sabinos socia arma conjungens in eo castra posuisset. Hic mons ab Anco Urbi additus est, ut Strabo docet. A Tullo Hostilio, ut Livius. A Tarquinio Prisco, ut Tacitus. Demum à Tiberio Cæsare, quòd is post incendium habitatoribus ædificia absumpta instaurasset, dici cœptus est Mons Augustus.

4 *Supplementum.*] Cùm legio diminuta additis, qui desunt, militibus suppletur: qui adjiciuntur, supplementum appellantur. Gallice, *Des recrües.*

5 *Delectus.*] Hujus vocis tum usus est, cùm Imperator auctoritate suâ, quos ei visum fuerit, ad militiam conscribit etiam invitos. Per quos hujusmodi delectus habetur, eos à conquirendis militibus *Conquisitores* Cicero vocavit.

6 *Drusus Libo.*] Vide *sup. cap. n. 6.* Silii verò crimen, teste Tacito, duplex fuit. 1. Amicitia Germanici. 2. Intemperantia in laudando suorum militum obsequio, cùm alii ad seditiones prolaberentur. Silius sub Germanico legatus erat exercitûs, qui militabat ad Rhenum superiorem.

7 *Quid.*] Subauditur *meruit.*] *Ut ju-*

potem ex Druso suo ? Dolenda adhuc retulimus : veniendum ad erubescenda est. Quantis hoc triennium, Marce Vinici, doloribus laceravit animum ejus ? [d] Quamdiu abstruso, quod miserrimum est, pectus ejus flagravit incendio ? [8] Quòd ex nuru, quòd ex nepote, dolere, indignari, erubescere, coactus est. Cujus temporis ægritudinem auxit [9] amissa mater eminentissima, & per omnia Deis, quàm hominibus, similior fœmina; cujus potentiam nemo sensit, nisi aut levatione periculi, aut accessione dignitatis.

CXXXI. Voto finiendum volumen sit. [1] Jupiter Capitoline, [2] & auctor ac stator Romani nominis, Gradive Mars, perpetuorumque custos; Vesta ignium, & quidquid numinum hanc Romani imperii

INTERPRETATIO.

d *Quanto tempore cor ejus arsit igne, quod est dignissimum commiseratione, occulto ?*

NOTÆ.

venes amitteret filios.] Germanicum & Drusum. Sed de Germanico amissio Tiberii anno sexto, nemini unquam dubium fuit, quin perierit tum veneno dato à Cn. Pisone, quocum Germanico graves erant inimicitiæ: tum invidiâ Tiberii, qui tantarum non ignaros inimicitiarum, tamen per idem tempus, quo Germanicum transtulerat in Orientem, Cn. Pisonem miserat in Syriam ordinarium præsidem. Certè ob veneni dati suspicionem Romæ judicio postulatus ab Agrippinâ, Germanici conjuge, Piso voluntariâ morte damnationem anteverit.

8 *Quod ex nuru, &c.*] Ex Agrippinâ Marci Agrippæ filiâ, nepte Augusti, tunc Germanici a Tiberio adoptati Viduâ. Ipsa sibi mortem inediâ conscivit, cùm se apud Tiberium nullo suo merito adductam videret in invidiam.

9 *Amissa mater.*] Livia. Decessit ætatis anno 86. Tiberiani imperii 16. Erat tum Tiberius in insulâ Capreis (*l'Isle de Capri*) regni Neapolitani : quam insulam habebat in deliciis, & quò secesserat anno imperii 13. nunquam deinceps ad urbem rediturus : ubi remotis arbitriis per omnia se vitiorum flagitia volutavit. Inter hæc dedecora non magis omnibus aliis, quàm sibi execratus ipsi, moritur 17 Cal. Apr. imperii anno 23. Christi 37. vitæ agens octavum & septuagesimum.

1 *Jupiter Capitoline.*] Jupiter sic dictus est à monte Capitolino, ubi colebatur.

2 *Et auctor ac stator, &c.* Duplex lectio. 1. Puteani, & aliorum nonullorum: *Jupiter Capitoline ac stator; & auctor Romani nominis.* Nam *stator*, inquiunt, solum referri potest ad Jovem, qui sic dictus est, teste Seneca *de Benef. lib.* 4. *cap.* 7. quia Jovis beneficio stant omnia : non verò quia post susceptum votum, ut quidam tradiderunt, Romanorum fugientium acies stitit. 2. Ursini : *Jupiter Capitoline; & auctor ac Sator Romani nominis Gradive Mars.* Quæ lectio præ alia mihi placet : Mars enim sator est, sive genitor Romuli, unde Romana gens.

3 *Vesta.*] Saturni filia ex Ope. Alteram volunt esse, Saturni matrem, quæ pro terrâ sumi solet à Poëtis: de quâ Ovid. lib. 6. Fast. *Stat vi terra suâ : vi stando Vesta vocatur.* Quæ verò pro igne sumitur, ex Ovidio : *Nec tu aliud Vestam, quàm vivam intellige flammam?* Saturni filia est. Cujus nomen Cicero *lib.* 1. *de Nat. Deor.* deducit ἀπὸ τῆς ἑστίας quòd *de leg.* interpretatur, *focus.* Huic Deæ colendæ præerant virgines : quibus erat commissa cura custodiendi & continuò sovendi ignis, qui dictus est propterea *perpetuus.* Quem nefas erat, si extingueretur, aliter quàm accensâ per fomites ex sole flammâ reparare.

molem in ampliſſimum terrarum orbis faſtigium extulit, vos publica voce obteſtor, atque precor, cuſtodite, ſervate, protegite hunc ſtatum, [4] hanc pacem; eique, functo longiſſima ſtatione mortali, deſtinate ſucceſſores quàm ſeriſſimos, ſed eos, quorum cervices tam fortiter ſuſtinendo terrarum orbis Imperio ſufficiant, quàm hujus ſuffeciſſe ſenſimus; conſiliaque omnium civium [5] aut pia, ***

NOTÆ.

4 *Hanc pacem, eique functo.*] Lipſii lectionem cum Voſſio ſequere: *hanc pacem, hunc principem, eique functo longiſſimâ ſtatione mortali, &c.*

5 *Aut pia* ***.] Hanc per oratiunculam nemo feliciùs, quia preſſiùs, abſolviſſe mihi videtur, quàm Voſſius legit: *aut pia fovete, aut impia opprimite*, hoc ſenſu: ac omnium civium conſilia, ſi pia ſunt, in exitum felicem provehite; ſed, ſi qua impii nefaria moliuntur, ea cum auctoribus peſſumdate.

FINIS.



PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers qu'il apartiendra ; SALUT. Notre bien amé JEAN-JOSEPH BARBOU, Libraire à Paris ; Nous ayant fait très-humblement representer que les Editions des Auteurs-cy devant composez pour l'usage de notre très-cher & honoré Seigneur & Ayeul Loüis Dauphin de France, étant consommées, & que plusieurs Sçavans es recherchant avec empressement, il seroit utile d'en donner une nouvelle Edition plus ample & plus correcte que les précedentes. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter ledit Barbou, & exciter par son exemple les autres Libraires & Imprimeurs de notre Royaume, à entreprendre des Ouvrages considerables, dont la lecture puisse contribuer à l'avancement des Sciences & au progrés des belles Lettres, & soûtenir de plus en plus la Librairie & Imprimerie ; Nous avons permis & permettons par ces Présentes audit Barbou d'imprimer ou faire imprimer les Livres qui ont pour titre, *Authores, Oratores, Historici, Philosophi & Poëta ad usum Serenissimi Delphini cum Indicibus & Tabulis, Interpretatione, Commentariis & Notis* ; qui ont paru avec des Lettres de Privilege de notre très-honoré Seigneur & Bisayeul le feu Roy de glorieuse memoire, & de les donner au public en tels volumes, forme, marge, caracteres, & autant de fois que bon lui semblera, conjointement ou separement, & de les vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de vingt années consecutives, à compter du jour de la date desdites Présentes : Faisons défenses à toutes sortes de personnes de quelque qualité & condition quelles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéissance ; comme aussi à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire lesdits Livres en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits sous quelque prétexte que ce soit, d'augmentation, correction, changement de titre ou autrement, sans la permission expresse & par écrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de lui ; à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de dix mille livres d'amende contre chacun des Contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Exposant ; à condition néanmoins que ces Présentes ne pouront nuire ni prejudicier aux Privileges ou permissions que Nous avons cy-devant pû accorder pour l'impression de quelques-uns desdits Auteurs, qui seront executées selon leur forme & teneur, & ausquels Nous n'entendons déroger en aucune façon ; Et sans aussi que ces Présentes puissent nuire ni préjudicier aux Privileges ou Permissions que Nous avons accordez ou accorderons cy-aprés pour l'impression du Texte desdits Auteurs, des Notes ou Commentaires, ou Traductions qui ont été ou pourront être faites cy-aprés, autres que ceux desdits Auteurs *ad usum Serenissimi Delphini* ; & en outre à condition que les augmentations que ledit Exposant fera faire ausdits Auteurs, seront examinées par le Censeur qui sera pour ce commis ; A la charge aussi que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles ; que ledit Exposant sera tenu de donner au public chaque année un huitieme desd. Auteurs, & d'en achever l'impression entiere dans l'espace de huit années à peine de nullité des Présentes, laquelle peine ne pourra être reputée comminatoire ; que l'impression desdits Auteurs sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caracteres, conformément aux Reglemens de la Librairie ; & qu'avant que de les exposer en vente, les Manuscrits ou Imprimez qui auront servi de copie à l'impression desdits Auteurs, seront remis dans le même état où les Approbations y auront été données ez mains de notre très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sr. Fleuriau Darmenonville ; & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliotheque Publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notred. très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sr. Fleuriau Darmenonville, le tout à peine de nullité des Présentes : Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir ledit Exposant ou ses ayans cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empéchements. Voulons que la copie desd. Présentes qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin desdits Livres, soit tenue pour duement signifiée ; & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, foy soit ajoûtée comme à l'Original : Commandons au premier notre Huissier ou Sergent, de faire pour l'execution d'icelles tous Actes requis & necessaires, sans demander autre permission, & nonobstant Clameur de Haro, Chartre Normande, & Lettres à ce contraires ; Car tel est notre plaisir. Donné à Paris le quinziéme jour du mois d'Octobre l'an de grace mil sept cent vingt-deux, & de notre Regne le huitieme. *Par le Roy en son Conseil*, DE LAVERGNE.

Registré sur le Registre V. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, Page 225. N. 351. conformément aux Reglemens, & notamment à l'Arrêt du Conseil du 13. Aout 1703. A Paris le 20. Octobre 1722.

BALLARD, Syndic.

INDEX
VOCABULORUM OMNIUM
QUÆ IN VELLEIO PATERCULO
LEGUNTUR.

Prior numerus paginam, alter verò, vel alii ad proximam usque lineolam, paginæ lineam vel lineas significant.

B.

C.

Curio,

exercuit

F.

G.

H.

K.

L.

M.

maturius

O.

P.

323:

Cc

Q.

quamquam

R.

S.

T.

V.

X.

Finis Indicis denuò elaborati.

Ex Typographia JOSEPHI BARBOU, 1726.


ACAD.
SCIENT. LITT.
ET ART.
LUGD


Dulcedine Cantus
Trahitur
CORNELIUS NEPOS

CORNELIUS NEPOS
DE VITA EXCELLENTIUM IMPERATORUM.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT
NICOLAUS COURTIN,
Humanitatis Professor in Universitate Paris.

JUSSU CHRISTIANISSIMI
REGIS,
IN USUM SERENISSIMI
DELPHINI.



PARISIIS,
Sumptibus FRATRUM BARBOU, viâ Jacobæâ
sub Ciconiis.

M. DCC. XXVI.
CUM PRIVILEGIO REGIS.







SERENISSIMO

PRINCIPI

DELPHINO.

JAMDUDUM injuriâ temporum Patriâ suâ profugi viri totius Antiquitatis illustrissimi toto orbe terrarum circumspiciunt ad quem confugere possint (PRINCEPS SERENISSIME:) *Nec hactenus facilè invenerunt, qui & in eo dignitatis aut potestatis apice constitutus esset, cujus sub clientela securi quiescerent; & qui linguarum ac literarum satis peritus, ut se Romanâ linguâ loquentes intelligeret, atque adeuntes se benigno vultu exciperet. In Te uno utrumque feliciter inveniunt* (PRINCEPS ILLUSTRISSIME.) *Te enim veluti nascentem Solem intuentur, ex cujus lumine*



novum ſibi ſplendorem contrahant, & ſub cujus felici aſpectu nihil amplius reformident. Se Tibi ſuâ linguâ, licet extraneâ, non minùs notos & familiares fore confidunt, quàm ſi noſtrâ vernaculâ loquantur. Ex Græcia, Aſia, Sicilia, Africa, Italia profecti, in Auguſtiſſimam totius orbis Aulam ingrediuntur, ut inter tuos Aulicos ipſos admittere non dedigneris. Sed quia varii variis linguis, pro regionum diverſitate, uterentur; CORNELIUM NEPOTEM *Interpretem nacti ſunt, cujus unius ore ſe manifeſtent, variam vitæ ſuæ fortunam, & præclariſſima tum belli cùm pacis facinora exponant. Congenitas ſibi dotes tuis, velut in obſequium, offerunt; Miltiades ſummam humanitatem & comitatem; Themiſtocles artis militaris peritiam & ſolertiam; Ariſtides juſtitiam; Alcibiades egregiam corporis formam, & animi magnitudinem; alii alia tuos ob oculos ponunt. Sed ea omnia, eximia licèt, & omnium ſæculorum retroactorum celeberrima, tuis tamen, tum corporis, cùm animi virtutibus longè eſſe poſtponenda fatentur: neque tam, ut Te doceant, quàm ut ipſimet doceantur, conſpectum tuum ambiunt. Ferunt quidem ſecum plurimas togæ militiæque artes; varias præ manibus ſuis palmas geſtant, capútque ſuum multis laureis redimitum exhibent.*

Sed quid hæc omnia si cum præstantissimis LUDOVICI MAGNI *Patris tui virtutum exemplis conferantur? si cum ejus triumphis, bellíque facinoribus componantur? An negabit aliquis Te in obsidione Dolensi, ad quam Illustrissimo ac Sapientissimo* MONTAUSERIO *Duce & Rectore profectus es, longè plura ab Augustissimo tuo Parente didicisse, quàm in evolvendis omnibus veterum sæculorum monumentis? Quum enim Te urbis mœnia circumducebat; quum Tibi inter ignes & tela hostilia Castrensium operum munitiones ostendebat, nonne, quemadmodum & olim suum Iulum Æneas, his te verbis compellare videbatur:*

Disce puer virtutem ex me, verúmque laborem.

Ita est sanè; nec, si illud ex ejus ore non profluebat, impavidus illius animus, perpetuus ac indefessus labor conticessebant. Patrem verbo & exemplo docentem audiebas; hi verbis tantùm docent. Audis ipsos multa narrantes; at Regem plura & majora facientem vides. Præterea, quid his in Illustribus Viris invenias, quod non in Illustrissimo Duce MONTAUSERIO *longè excellentiùs jampridem inveneris? Nonne Miltiade humanior, Themistocle peritior, Aristide justior, vitæ integritate Phocione cla-*

rior; unus denique omnibus præstantior? Quatuor olim viri apud Persas educandis futuris Regni hæredibus præficiebantur: ex quibus qui sapientissimus, res sacras ac politicas Principem edocebat; qui justissimus, ab omni mendacio & dissimulatione, tanquam à vitiis regio sanguine indignis, avertebat; qui moderatissimus, in omnes voluptatum illecebras ipsi odium instillabat; qui fortissimus, animum Principis adversus omnia pericula confirmabat. Quis nescit autem quatuor illos Principum Persarum Moderatores in uno Duce MONTAUSERIO *contineri? Si sapientiam quæras, quis eo sapientior? Si justitiam, quis justior? Si temperantiam, quis moderatior? Si denique fortitudinem, quis generosior, quis manu fortior?*

Non habet ille parem, quem tot de millibus unum
Rex voluit Gnato moribus esse Ducem.
Quíque Phrygum excidio quondam formavit, Achillem,
Quanquam par Superis, est tamen ille minor.
Nam quantùm tener hic Pelidem vincit Alumnus,
Tantùm ille æmonio præstat ubique Seni.

Scilicet ut Magnum LODOÏCUM Gnatus adæquet
Unus hic à Magno Rege legendus erat.

Non ergo illi CORNELII NEPOTIS *Viri illustres ad te accedunt* (PRINCEPS SERENISSIME) *quasi Doctores ; sed futurorum tuorum operum Admiratores ; non Emendatores, at præstantissimarum dotium Æmulatores : quos si benignè admiseris, atque tui magni Nominis umbrâ tutos esse volueris, neque exilium suum, neque cætera reflantis fortunæ incommoda quæ olim passi sunt, recordabuntur. Nec ingratum omnino fore confido primum illud obsequii specimen, quod, quantùm in se est, submissè, ac fideliter tibi devovet ac consecrat,*

CELSITUDINIS TUÆ.

Humillimus, obsequentissimus
ac fidelissimus Servus.
N. COURTIN.



PRÆFATIO




VARIIS, ac prope jam innumeris *Cornelii Nepotis* de excellentium Imperatorum vita editionibus, hæc iterum ſub Serenissimi Principis Delphini auſpiciis acceſſit. Quum enim ſapientiſſimus ille Principis Moderator Dux Montauserius eò maximè tendat, ut Galliæ Imperio Regem omnibus, tum mentis, tum corporis dotibus abſolutum inſtituat; ſingularem curam adhibuit, ut omnes Latinos Autores pluribus in locis, aut vitiatos, aut obſcuros, aut denique difficili verborum involucro implicitos, reſtitutos, perſpicuos, & nitida interpretatione expeditos offerat, quos ſine ullo, vel ſaltem gravi labore, teneræ menti inſtillare poſſit. Quum enim ex his Autoribus, tanquam ex uberrimo fonte, innumera Sapientiæ, Fortitudinis, Moderationis, Munificentiæ, cæterarúmque virtutum regiarum exempla eruantur, quibus Heroum filii teneram adhuc ætatem ſuam ad ardua promoveant; idcirco peritiſſimus ille tanti

Principis

Principis Formator, non eos solùm summis, ut aiunt, labris delibandos, at avido ore ipsi absorbendos voluit. Sed quemadmodum dapes malè paratæ, malè coctæ, & stomacho parùm convenientes, vel nauseam, vel cruditatem pariunt; ita etiam in artibus & studiis, nisi ea ingeniorum captui accommodaveris, vix proficies, & pusillos tuis curis creditos ægre admodum promovebis. Quamobrem ex Illustrissimi DUCIS MONTAUSERII mandato viri complures selecti in enucleandis omnium Latinorum Autorum difficultatibus diligentiùs quàm hactenus incubuerunt. Cuique suus assignatus est labor, cuique sua demandata est Provincia; atque mihi *CORNELIUS NEPOS* obtigit, Autor quidem primo aspectu facilis, sed si intimiùs & attentiùs perpendas, plerisque in locis propter abruptum dicendi genus, difficilis. Multi quidem viri eruditi & graves jam in eo exponendo magnoperè insudarunt; variæ, ut jam præmonuimus, editiones extiterunt, quarum tamen nulli penitus adhærere voluimus, sed prout ad intentum nostrum expedire visum est. Dionysius Lambinus, vir sanè profundæ eruditionis, amplissimas super eo Autore Annotationes contexuit; accessit & Gebhardi super eodem Autore spicilegium; adde diligentissimas elucubrationes Andreæ Schotti, Joannis Vossii, Petri Danielis, Longolii, Magii, Gifanii, Savaronis, Boecleri, Ernstii, Bosii, Manutii, Barthii, Beroaldi, Bongarsii, Buchneri, Casauboni, Freinshemii, Gronovii, Grotii, Lipsii, Mureti, Pighii, Pontani, Puteani, Rutgersii, Salmasii, Scaligeri, Turnebii, Hornii, & quorumdam aliorum Commendatorum illustrationes: quorum omnium di-

ē

ligentiâ & labore non mediocriter emendatus, restitutus ac illustratus est. Nihilominus tamen, quia vel nimis in rebus minùs necessariis morati sunt, vel plurima interpretatione egentia prætereierunt, vel immoderatâ verborum prurigine fusiùs atque obscuriùs scripserunt; idcirco SERENISSIMI PRINCIPIS DELPHINI auspiciis, Illustrissimi DUCIS MONTAUSERII nutu confirmatus; ac prætereà Excellentissimi Viri Domini BOSSUETII Condomensium olim Episcopi; necnon & Clarissimi, & profundissimæ eruditionis Viri Domini HUETII luminibus illustratus novum illud opus tentavi; idque unum in mente habui, ut & compendiosè, sed circa obscuritatem, omnia dicerem; nec quidquam tamen quod desiderari posset, & ad genuinum nitorem, lucemque perfundendam conduceret, præterirem. Itaque instituti nostri duæ sunt partes; prima quidem, ut simplici vocum Interpretatione obscuriora verba nitidioribus explicemus; altera, ut Notis accuratissimis omnem rerum difficultatem subtrahamus. Quod si utrumque assecuti fuerimus, nostrum quoque intentum omnino assequemur.



CORNELII NEPOTIS
VITA,
EX VARIIS AUTORIBUS EXCERPTA.


UANDOQUIDEM nobis de Autoris nostri vitâ dicturis multa occurrunt statuenda ac confirmanda, de quibus inter se Scriptores dilitigant, variique in varias opiniones distrahuntur: pauca quædam de ejus nomine, patriâ, ætate, variisque ejus operibus differamus.

Quod ad ejus nomen pertinet, hunc CORNELIUM NEPOTEM, cum Onuphrio Panuinio, Joan. Savarone, Petro Nannio, Gifanio, Schotto, Vossio, Lambino, & aliis benè multis non deteriori autoritate Scriptoribus, asserimus: licet plerique, ex quorum numero est Hieronymus Magius, Æmilium Probum esse velint. At primò, ab ipso autore abundè refelluntur, qui Procii Catonis vitam his verbis claudit: *Hujus de vitâ & moribus plura in eo Libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus, rogatu Tit. Pomp. Attici &c.* Quæ quidem nullatenus de Æmilio Probo, sed de Cornelio Nepote intelligenda sunt; quum ille Theodosio, hic Julio Cæsare, & Octavio imperantibus, vixerit; quo etiam tempore Tit. Pomp. Atticum vixisse certum est. Deinde nec Æmilium Probum, nec Theodosiani ævi quemquam alium, hujus operis autorem fuisse, pura & Romana hujus Libri dictio evidentissimè arguit. Accedit & altera duplex ratio, quòd nimirum (ut in ejus vitâ inquit Vossius) *Tulliani esse ævi scriptorem, neque alium quàm Nepotem, tum veterum aliquot Librorum indicio cognoscitur; tum etiam, quòd ad Pomp. Atticum (cujus idem rogatu de vitâ Catonis Librum fecit) vita ista scribantur.* Præterea eo in opere multa leguntur, *quæ* (ut idem Vossius ibidem ait) *opus hoc scriptum esse clamant quo tempore Pompeius & Cæsar plus poterant, quàm libera in Rep. expediret.* Hæc autem omnia Dionys. Lambinus congessit: quorum tamen præcipua, & quæ ad intentum nostrum magis conducent, cæteris brevitatis causa, quia plura sunt, semotis, seligere liceat. Primum autem ex Miltiade sic habetur. *Cujus victoria non alienum videtur, quale præmium Miltiadi sit tributum, docere, quo faciliùs intelligi possit eamdem omnium Civitatum esse naturam: ut populi nostri honores quondam fuerunt rari, & tenues, ob eamque causam gloriosi, nunc autem effusi, atque obsoleti; sic olim apud Athenienses fuisse reperimus.* Hæc autem verba, inquit Lambinus, arguunt hunc Librum scriptum esse, quo tempore penes populum aliqua adhuc potestas erat;

non tempore Theodosii, quo nihil populus poterat. In Epaminonda verò sic legitur. *Quo tempore duce Pelopidâ exules Thebas occuparunt, & præsidium Lacedæmoniorum ex arce expulerunt, Epaminondas, quandiu facta est cædes Civium, domi se retinuit, quòd neque malos defendere volebat, neque impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret. Namque omnem civilem victoriam, funestam putabat.* Videtur his verbis, inquit, noster scriptor, & belli civilis autores, Pompeium & Cæsarem, in quo tantùm sanguinis civilis profusum sit, notare, & tacitè Pomponii Attici consilium approbare, qui bellis civilibus, quæ in ejus ætatem inciderunt, interesse noluerit &c. At illud sanè perspicuum est, quod sic ex Agesilao excipitur. *In hoc non minùs ejus pietas suspicienda est, quàm virtus bellica: qui quum victori præesset exercitui, maximamque haberet fiduciam Regni Persarum potiundi, tantâ modestiâ dicto audiens fuit jussis absentium Magistratuum, ut si privatus in Comitio esset Spartæ, cujus exemplum utinam Imperatores nostri sequi voluissent.* Hic locus, inquit, clamat, Autorem hujus Libri carpere & notare Pompeii & Cæsaris, sed maximè Cæsaris potentiam non ferendam, qui imperium, & exercitum retinere ultra tempus lege concessum voluerit. Ad aliud transeo, quod ex Eumene deducitur. *Sic Macedones verò milites eâ tunc erant famâ, quâ nunc Romani feruntur. Etenim semper habiti sunt fortissimi, qui summam Imperii potirentur.* At, inquit, locus ille declarat hunc Librum esse scriptum quo tempore Populus Rom. Imperii summam obtinebat, &c. Supersunt duo tantùm testimonia. Sed in uno solùm hæreo, hocque etiam in Eumene sic habetur. *Namque illa Phalanx Alex. M. qua Asiam devicerat, inveteratâ cùm gloriâ, tum etiam licentiâ, non parere se Ducibus, sed imperare postulabat: ut nunc Veterani faciunt. Itaque periculum est ne faciant, quod illi fecerunt suâ intemperantiâ, nimiâque licentiâ, ut omnia perdant, néque minùs eos cum quibus steterint, quàm adversùs quos fecerint.* Hic locus si attentè consideretur, inquit Lambinus, unaque legantur quæ ad eum annotavimus, omnium apertissimè indicat, atque arguit hujus Libri scriptorem Consulum annuorum, non Imperatorum perpetuórum temporibus & floruisse & scripsisse. Sic autem Lambinus in Annotationibus ad hunc locum habet. *Etiam hic locus clamat, hujus Libri Autorem floruisse ætate M. Tullii, & Pomponii Attici, & Cn. Pompeii, & C. Julii Cæsaris, & quo tempore lababat Resp. Rom. & ad tyrannidem propendebat; nondum autem prorsus in unius potestate versabatur. Quo minùs credibile est ætate eum Theodosii vixisse.* Sic autem queritur M. Tullius de Veteranorum superbiâ, & arrogantiâ, Philipp. XI. Q*uanquam, Patres conscripti, quousque sententias dicemus Veteranorum arbitratu? quod eorum fastidium, qua tanta arrogantia est, ut ad arbitrium eorum etiam Imperatores deligamus?*

Quibus omnibus Lambini testimoniis, hæc insuper adjicio ex vitâ Attici deprompta, quibus manifestum est, & Atticum tempore belli civilis Pompeii & Cæsaris, imò & multò post vixisse; & Corn. Nepotem tunc floruisse & scripsisse. Sic autem primum legitur. *Incidit Cæsarianum civile bellum quum haberet annos circiter sexaginta*: (de Pomponio

Attico loquitur, ut cuilibet legenti patebit) *usus est ætatis vacatione; neque se quoquam movit ex urbe. Quæ amicis suis opus fuerant, ad Pompeium proficiscentibus, omnia ex sua re familiari dedit, &c.* Deinde ita habetur. *Sic vetere instituto vitæ effugit nova pericula. Secutum est illud occiso Cæsare, & cùm Resp. penes Brutos videretur esse, & Cassium, ac tota Civitas se ad eum convertisse videretur. Sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens æquali familiariùs, quàm hoc sene:* Atticum intellige. Hæc clariora sunt quàm ut aliâ luce indigeant. Sunt & ejusmodi innumera, quibus supersedebimus. Nunc ad ea veniamus quibus Corn. Nepotem tunc vixisse, & scripsisse probemus 1. est. *Sæpe enim, propter familiaritatem, domesticis rebus interfuimus.* De semetipso loquitur Nepos, séque Attici rebus domesticis interfuisse prædicat. Quid clariùs? 2. *De pietate autem Attici quid plura commemorem? cum hoc ipsum verè gloriantem audierim, in funere matris suæ, quam extulit annorum nonaginta, quum esset septem & sexaginta, se nunquam cum matre in gratiam rediisse, &c.* 3. *Hactenus, Attico vivo, edita à nobis sunt. Nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqua persequemur.* Si ergo Nepos, Atticum loquentem audivit; si eo vivo, hæc edidit; si superstes ei fuit; certè eum tunc vixisse necesse est. Sunt & plura alia: sed hæc retulisse satis sit.

Ex eo autem error ille provenit, *quòd* (teste eodem Vossio, ibidem) *Librario id fuerit nomen, qui vitas eas partim suâ, partim patris, & matris manu scriptas, Theodosio obtulit.* Idque verum esse confirmat Jo. Savaro, cujus hæc sunt verba. *Æmilium autem Probum, cujus nomine circumfertur hic Liber, Theodosio regnante vixisse, & hujus libri ex scriptorem potius esse quàm autorem, patet ex his versibus.*

Vade Liber noster, fato meliore memanto,
Cùm leget hæc Dominus, te sciat esse meum.
Ne timeas fulvo strictos Diademete crines,
Ridentes blandum vel pietate oculos.
Communis cunctis, hominem se regna tenere
Sed meminit, vincit hinc magis ille homines.
Ornentur steriles: facilis tectura Libelli,
Theodosio, & Doctis carmina nuda placent.
Si rogat Autorem, paulatim detege nostrum
Tunc Domino nomen: me sciat esse Probum.
Corpore in hoc, manus est genitricis, avíque, meáque
Felices, Domini quæ meruere manus.

Hos versus tanquam ineptos, & malè notos arguit Lambinus; imò Nebulone indocto, & barbaro, aut scriptore Librario vix semidocto, esse factos. Et paulo superiùs. *Quòd autem*, inquit, *etiam versus ad hoc probandum afferunt, iisque valde movebatur is, quem modò commemoravi, Robortellus: si quis eos attentè leget, intelliget, non Autorem, &, ut ita dicam, Parentem Libri significari, sed Scriptorem Librarium, id est, eum qui manu descripserit.*

Unde Andreas Schottus scribit: *Librum de vitâ & moribus excellentium*

Græciæ Imperatorum ad Tit. Pomp. Atticum; sequioris ætatis Autori Æmilio Probo attribuunt: à quo stylus, dicendi character, Attici ætas, multáque abjudicant.

Hic ergo (cum Savarone exclamemus) *suo autori reddatur, quem sibi Cornelius Nepos justo titulo vindicat, quémque coævo suo & familiari Pomp. Attico dedit cujus, etiam rogatu vitam M. Catonis separatim scripsit, & illi superstes, elegantissimam ejusdem vitæ consuetudinem elegantiâ pari prosequutus est.* Nec est cur dicat aliquis cum Berthio: *Æmilius Probus, in ævo Theodosii Cornelii Nepotis Libros in Epitomen redegit.* Namque aliud Nepos ipse concinnitate, ac brevitate suâ demonstrat; idque maximè his Præfationis suæ verbis: *Sed plura persequi, tum magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, quæ exorsus sum.*

Adde & ista quæ Pelopidæ vitæ initio sic leguntur: *Cujus de virtutibus dubito, quemadmodum exponam: quòd vereor, si res explicare incipiam non vitam ejus enarrare: sed historiam videar scribere*: & ex Epaminonda *plurima quidem proferre possemus, sed modus adhibendus est, quoniam uno hoc volumine vitam excellentium virorum complurium concludere constituimus.* Quæ quidem indicant, omnia complexum fuisse eâ brevitate, ut in Epitomen redigi minimè opus fuerit.

De origine verò, seu Patriâ ejus; ipsum Padi accolam testatur Plin. l. 3. c. 18. his verbis: *contrario eorum percussu mari interjecto dulcescente, plerique dixere falsò, & Nepos Cornelius Padi accola.* Unde Catullus Veronensis Poëta, ad ipsum tanquam ad Civem suum, virumque illustrem opus suum mittens, Italum vocat Epig. 1.

Cui dono lepidum novum Libellum,
Aridâ modo pumice expolitum,
Corneli? tibi; namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas.
Jam tum, quum ausus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis
Doctis, Jupiter! & laboriosis, &c.

Cui tamen opinioni Ausonius Latino Pacato Drepanio scribens, his verbis refragari videtur, quibus ad superiora Catulli verba alludit.

Cui dono lepidum novum Libellum
Veronensis ait Poëta quondam;
Inventòque dedit statim Nepoti.
At nos illepidum rudem Libellum,
Burras, quisquilias, ineptiasque
Credemus gremio cui fovendum:
Inveni (trepidæ silete nugæ)
Nec doctum minus, & magis benignum
Quam quem Gallia præbuit Catullo.

At facilè Ausonius cum Catullo conciliabitur, quum certum sit, ideo Gallum vocari, quòd nimirum Italia transpadana, Gallia togata diceretur. Et quamvis sint nonnulli qui de patriâ ejus urbe se quidquam

habere comperti negent: nihilominus tamen, præter scriptores à nobis jam laudatos, multi alii sunt gravissimi viri qui id confirment, ipsumque Veronensem Civem esse dicant, ut pote qui ortus sit ex vico Veronensium Hostiliâ, ad Padi ripas sito. sic Vossius in Nepotis vita: *At*, inquit, *Veronensem fuisse in Leandri Alberti Italia lego: uti & in Cosmographiâ optimi atque amicissimi quondam viri, Pauli Merulæ. Imò ex Veronensium Historicorum syllabo (quem doctissimus amplissimusque Alexander Becellus, Veronensis Urbis Cancellarius fecit, ac illustrissimus Comes Fernandus Nogarola, vir ut genere, ita literarum studio nobilissimus, cum Laurentio Pignorio, atque is mecum communicavit) intelligo natum fuisse Nepotem in Hostiliâ; qui Veronensium vicus est, Tacito, Plinio, Cassiodoro, & Antonino in Itinerario memoratus, hodiéque Ecclesiasticæ Veronensium Jurisdictioni subditus.* Sic etiam Onuphrius Panuinus Catalogo illustrium scriptorum Veronensium; Lib. VI. Antiquit. *Constantissimo*, inquit, *Civitatis nostræ testimonio Cornelium Nepotem virum doctissimum, & antiquitatum omnium peritissimum, Veronensem fuisse traditur. Cui in summa Curia cum reliquis Veronensibus illustribus, etiam statua posita est ex publica autoritate.*

Ex quibus omnibus jam liquidò patet ex quânam Patriâ Cornelius noster ortus sit. Nunc, cujus fuerit ætatis indicemus.

Hunc Julii Cæsaris & Augusti temporibus floruisse pluribus argumentis manifestum est: quorum primum illud esto, quòd nempe Catullus Poëta ad eum opus suum, ut supra ostendimus, direxerit; quem Marii & Syllæ temporibus natum esse certum est, & ad Cæsarem usque jam rerum potitum pervenisse. Deinde, hunc Ciceronis familiarem testatur Gellius l. 15. c. 28. *Cornelius Nepos*, inquit, *& rerum memoriæ non indiligens, & M. Ciceronis, ut qui maximè, amicus familiarisque fuit.* Imò, & secundum Ciceronis Epist. librum ad Nepotem Macrobius citat, lib. 2. Saturn. c. 1. Cujus hæc sunt verba: *testis idem Cicero, qui in libro Epistolarum ad Cornelium Nepotem secundo, sic ait.* Si, itaque, familiaris Ciceronis fuit Corn. Nepos; si ad eum 2. Epist. lib. scripsit, certè ambos fuisse coætaneos necesse est: atque adcò quum Tullius sub Julio & Augusto Cæsare, usque ad Antonii, Octavii, & Lepidi Triumviratum vixerit, his quoque temporibus Cornel. Nepotem vixisse dicendum est. Adde quod Nepotem Augustæo ævo obiisse, Plinius lib. IX. c. 39. his verbis testatur. *Nepos Cornelius, qui divi Augusti principatu obiit, me, inquit, juvene violacea purpura vigebat.* Cui opinioni respondet Eusebius in Chronico. *Octaviani Imperii anno quarto, Olympiade* CXXCV. *Corn. Nepos Scriptor Historicus clarus habetur.* Quæ testimonia in eo consentiunt, ut Cornel. Nepotem Catulli, Tullii, Julii, Octavisque Cæsaris coætanæum fuisse manifestè exhibeant.

Jam unum reliquum est quod absolvamus; ut, scilicet, quot, quæque operum genera Cornel. noster fecerit, aperiamus. Certum est autem, præter Librum hunc de vita excellentium Imperatorum, alios complures scripsisse, quos, vel incuriâ hominum, vel injuriâ tempo-

rum amisimus. Ac primò tres Historiarum libros, quibus omne ævum comprehenderit, liquidò testatur Catullus jam multoties citatus, initio Hendecasyllaborum, quem locum nuper laudavimus.

Jam tuum, quum ausus es unus Italorum
Omne ævum tribus explicare chartis
Doctis, Jupiter! & laboriosis, &c.

Secundò, se librum de Historicis Græcis conscripsisse, ipsemet in Dione his verbis commemorat: *Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita, qui de Historicis Græcis conscriptus est.* Præterea, separatim lib. de Catonis vita scripsisse, ejusdem verba indicant, jam in Catone superiùs laudata sub finem. Chronica pariter scripsisse, ex his Gellii verbis, lib. XVII. c. XXI. comperimus. *Ante Romam conditam, ut Cornel. Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter centum & sexaginta.* Quod & Ausonius testatur Epist. ad Probum Præfectum Prætorio, his verbis *Apologos Titiani, & Nepotis Chronica, quasi alios Apologos (nam & ipsa instar sunt fabularum) ad Nobilitatem tuam misi, gaudens, atque etiam glorians fore aliquid, quod ad institutionem tuorum, sedulitatis meæ studia conferatur.* Ipsum etiam Ciceronis vitam scripsisse, ex xv. Gellii lib. c. XXVIII. cognoscimus. *atque is tamen* (de Nepote loquitur) *in primo librorum quos de vita illius* (scilicet Ciceronis) *composuit, errasse videtur*, &c. Nec his ejus operum terminus, sed & inter Commentatores à Tertulliano in Apologetico adversus Gentes c. XI. annumeratur: *Saturnum itaque*, inquit, *quantum Literæ docent, neque Diodorus Græcus, aut Tallus, neque Cassius Severus, aut Cornelius Nepos, neque ullus Commentator ejusmodi Antiquitatum, aliud quàm hominem promulgarunt.* Imò & vitam Illustrium Scriptorum composuisse, Hieronymus de vita Scriptorum Ecclesiasticorum his verbis commemorat. *Scripserunt de vita Illustrium Scriptorum apud Græcos Hermippus Peripateticus, Antigonus, Caristius Satyrus, doctus vir, & longè omnium doctissimus Aristoxenus Musicus. Apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus, & ad cujus nos exemplum vis provocare, Tranquillus.* Denique & exemplorum libros contexuisse, ex 7. Gellii libro c. XVIII. agnoscimus. *Cornelius autem Nepos*, inquit, *in Libro exemplorum 5. id quoque literis mandavit*, &c. Quidam etiam, inter quos Hermolaus Barbarus, Castigat. in Plin. l. 15. c. 29. censet Libellum de Viris Illustribus, qui Plinio tribui solet, Cornelii Nepotis esse, idque veteribus Codicibus astrui posse asserit. Ego tamen Aurelii Victoris opus crediderim, licet fortè multa ex Nepote Victor excerpserit. Etiam Daretem Phrygium à Nepote translatum quidam arbitrantur; quod tamen falsum existimo, quum dictio ejus Augustæum ævum, quo tempore scripsit Nepos, minimè sapiat. Ut ut sit, illud unum certum est, quòd scilicet hæc omnia Nepotis opera injuriâ temporum perierunt, unúmque de vita Excellentium Imperatorum opus ad nostram usque memoriam pervenisse ex quibus viginti duos exterarum Gentium Imperatores habemus; duos verò dumtaxat Romanos, quum reliquos amiserimus, ut ex his ipsius verbis patet in extrema Hannibalis vita.

Sed:

Sed nos tempus est hujus Libri facere finem, & Romanorum explicare Imperatores; quo facilius, collatis utrorumque factis, qui viri præferendi sint, possit judicare. Quod ergo residuum est accipe, illustratum videat restitutum fove.



VARIORUM AUTORUM
DE CORNELIO NEPOTE
TESTIMONIA ET JUDICIA.

Pomponius Mela lib. 3. cap. 5. de situ orbis.

PRÆTER Physicos, Homerumque, qui universum mari circumfusum esse dixerunt, Corn. Nepos ut recentior auctoritate, sic certior tradit.

Idem, lib. 3. cap. 10. & Plin. lib. 2. cap. 67.

Eudoxus quidam avorum nostrorum temporibus, quum Lathyrum regem Alexandriæ profugeret, ab Arabico sinu egressus per hoc Pelagus (Africam) ut Nepos affirmat, Gades usque provectus est.

Idem Plinius, lib. 3. cap. 17.

Fauces Oceani T. Livius ac Nepos Corn. latitudinis tradiderunt, ubi minimum 7. millia passuum, ubi vero plurimum 10. millia.

Idem ibidem.

Mespum opulentiâ præcipuum, quod ab Insubribus & Boiis, & Senonibus deletum esse eo die, quo Camillus Veïos ceperit, Nepos Cornelius tradit.

Cap. 18. natural.

Et Nepos Cornel. Padi accola qui Divi Augusti principatu obiit.

Plutarchus, in Lucull. extrem.

Cornelius Nepos neque senio, neque morbo, aut alienatâ mente fuit, sed à Callisthene liberto venenis corruptus.

I

Idem, in Marcello.

Nos autem Livio & Cæsari, & Nepoti, & ex Græcis scriptoribus Regi Jubæ credimus.

Catullus Veronensis ad Corn. Nepotem.

Cui dono lepidum novum libellum, *ut supra in Præfatione.*

Ausonius Drepanio Peccato Latino

Cui dono lepidum novum libellum.
Veronensis ait Poëta quondam, &c. ut in Præfatione.

Agellius lib. 15. Noct. Attic. cap. 28.

Corn. Nepos & rerum memoriæ non indiligens, & M. Ciceronis, ut qui maximè, amicus familiarisque fuit.

Suetonius de illustribus Grammaticis.

Corn. Nepos literatos quidem vulgò appellari ait eos, qui aliquid diligenter & acutè, scienterque possint aut dicere, aut scribere: cæterum propriè sic apellandos Poëtarum interpretes, qui à Græcis Grammatici nominentur.

Idem, in Octavii Augusti vitâ.

Non amplius ter bibere eum solitum super Cœnam in Castris apud Mutinam Cornelius Nepos tradit.

Tertullianus in Apologetico.

Saturnum, quantum literæ docent, neque Diodorus Græcus, aut neque Cassius Severus, aut Corn. Nepos, neque ullus commentator hujusmodi Antiquitatum, aliud quam hominem promulgarunt.

Eusebius in Chronico.

Octaviani Imperii anno quarto, Olympiade CXXCV. Cornelius Nepos scriptor Historicus clarus habetur.

Hieronymus de vitâ Script. Eccleſiaſt.

Scripſerunt de vitâ illuſtrium ſcriptorum apud Græcos Hermippus Peripateticus, Antigonus, Cariſtius, Satyrus doctus vir, & longè omnium doctiſſimus Ariſtoxenus Muſicus. Apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus, &c. *ut ſupra in Præfatione.*

Minutius Felix Octavio.

Scit hoc Nepos, & Caſſius in hiſtoriâ, & Thallus, ac Diodorus hoc loquuntur.

Lactantius Firmianus, lib. 1. *cap.* 13.

Qui res ejus in Italia geſtas memoriæ tradiderunt, Græci Diodorus, & Thallus: Latini, Nepos, & Caſſius, & Varro.


Ammianus Marcell. epiſt. 14.

Male narras de Nepotis filio, valde me hercule moveor, & moleſtè fero, neſcieram omnino eſſe iſtum puerum.

Servius in 1. *Æneid.*

Hujus rei teſtis eſt Corn. Nepos in eo libro qui vita Illuſtrium inſcribitur.

Adde his omnibus teſtimoniis recentiorum judicia quam plurima, quæ à nobis in Præfatione fusè relata ſunt.





CHRONOLOGIA IMPP. GRÆCIÆ APUD CORNELIUM NEPOTEM

PER OLYMPIADAS.

Ex Herodoto Thucyd. Xenophont. ac potissimum Diodoro.

OLYMPIAS LXXII. annus putatur.	V. C. 261. Mundi 3480.
An. 1.	
2.	
3. Miltiades Cimonis Filius Atheniensium Dux Darium vicit, unà cum Aristide cognomento Justo.	Pugna Marathonia Darius Persarum rex profligatur. Herod. Thucyd. Dionys. Gell. & Nepos in Miltiad.
4.	

OLIMP. LXXIII.	
1.	
2.	
3.	Xerxes Dario Hystaspis F. mortuo succedit.
4.	

OLIMP. LXXIV.	
1.	
2. Aristides Ostracismo urbe pellitur ab ingratis civibus. Diod. lib. XI. Plut. & Nepos.	
3.	
4. Themistocles oraculum interpretatur de muris ligneis.	

OLIMP. LXXV.	Bellum Persicum Xerxis in Græciam. Athenæ insensæ.
1.	

Ariſtides ante tempus ab exilio revocatur. Plut.

Pugna ad Thermopylas duce Leonidâ, qua 300. Spartani cæſi.

Pugna ad Artemiſium Perſarum infelix.

2. Ariſtides Athen. & Pauſanias Lacedæm. cum Mardonio pugnant.

Xerxes ad Salaminem victus fugatuſque Plut. Herod. Diod. alii.

Pugna ad Platæas duce Perſarum Mardonio occiſo, & altera eodem die ad Mycalem.

3. Athenienſes conſilio Themiſtoclis muros reſtaurant, repugnantib. Spartanis Diod. lib. XI.

4. Ejuſdem ſuaſu Piræei portus Athenis abſolvitur. Diod. ibid.

Pauſaniæ Lacedæmoniorum ducis proditio detecta. Necatur fame in Templo Minervæ, Plut. Nepos.

Ariſtidis æquitate Græcorum Imp. ad Athenienſes defertur, & ſocietatem ineunt.

Ejuſdem operâ ærarium Græciæ in Delo conſtituitur.

OLYMP. LXXVI.

1.

2. Lacedæmonii maris imperium affectant. Diod.

3.

4.

OLYMP. LXXVII.

1.

2. Themiſtocles Oſtraciſmo pulſus ad Xerxem fugit & exul moritur.

3. Cimon Athenienſium dux vincit Perſas prælio navali ac terreſtri eodem die.

Bellum in Perſas I. ad Eurymedontem fluv. Diod. & Polyæn.

4.

Olymp. LXXVIII.		
1.		
2.		
3.		
4.		Xerxes Perſarum Rex ab Artabano trucidatur. Succedit Artaxerxes. Diod. lib. XI. Cteſias. Nepos de Regibus.
Olimp. LXXIX.		
1.		Thaſii ab Athenienſibus deficiunt, à Cimone victi. Thucyd. Nepos.
2.		Bellum in Perſas II.
3.		
4.		
Olimp. LXXX.		
1.		Bellum Corinthium excitatum Megarenſibus.
2.		
3.		
4.		
Olimp. LXXXI.		
1.		
2.		
3.		Athenienſium cum Lacedæmoniis per Cimonem fœdus quinquennale. Diod. lib. XI.
4.		
Olimp. LXXXII.		
1.		
2.		
3.	Cimon Perſas in Cypro vincit & maris imperium iis vindicat Diod. Plutarch. Thucyd. lib. I. & Nepos.	Bellum in Perſas III. ab Athenienſibus motum.
4.	Cimon in Cypro moritur. Auctores iidem.	Perſæ à Cimone Athen. duce victi pacem cum Athenienſibus componunt.

OLIMP. LXXXIII.

1.	Bellum Lacedæmonium III. gestum à Lacedæm. cum Megarensibus. Diod. lib. XIII.
2.	Athenienses ad Coroneam victi à Bœotis. Diod.
3.	Bellum Euboicum duce Pericle cum Eubœensibus gestum. Diod. XIII.
4.	

OLIMP. LXXXIV.

1.	
2.	
3.	
4.	Bellum Samium quo Samii in potestatem Atheniensium veniunt Pericle duce. Diod. lib. XIII.

OLIMP. LXXXV.

1.	Bellum Byzantium quo Byzantii subacti. Diod. lib. XIII.
2.	Bellum Corinthium & Corcyræum. Diod.
3.	
4.	Corinthiorum & Corcyræorum ad bellum apparatus. Diod.

OLIMP. LXXXVI.

1.	Corcyræi vincunt Corinthios auxilio Athenienſ. Diod.
2.	
3.	
4.	

OLIMP. LXXXVII.

1.	Bellum Peloponnensiacum incipit. Diod. l. XIII.
2.	
3.	
4.	

OLIMP. LXXXVIII.

1.

2. Athenienſ. duce Chabriâ & Lachete proſperè ad Syracuſas pugnant. Diod.

3.

4. Artaxerxi Reg. perſarum mortuo ſuccedit Xerxes. Diod.

OLIMP. LXXXIX.

1. Xerxes Perſarum rex moritur.

2.

3.

4.

OLIMP. XC.

1.

2.

3.

4. Alcibiades inſtaurat Rempub. Argivorum. Diod.

OLIMP. XCI.

1. Albiciades Nicias ac Lamachus duces Athen. ad Bellum cum Syracuſanis gerendum miſſi. Diod. Lib. XIII.

2. Alcibiadis, quod contra remp. conjuraſſet, poſtulatio. Diod. Nepos alii.

Pugna ducum Athenienſ. cum Syracuſanis. Diod. l. XIII.

3.

4.

Bellum Decelicum.

Decelia munitur à Spartanis Alcibiadis juſſu contra Athenienſes.

OLIMP. XCII.

1. Alcibiad. exul. agit cum Athenienſ. ut reſtituatur in patriam. Diod. lib. XIII.

2. Alcibi-

2. Alcibiades ab Athenienfibus revocatur. Id. Diod.

Athenienfes duce Thrafyllo & Thrafybulo navali prælio Lacedæmonios ducemque Mindarum vincunt.

3. Conon fedat Corcyræ feditionem. Diod.

Athenienfes iifdem ducibus Lacedæm. vincunt navali prælio ad Cyzicum, duce eorum Mindaro occifo. Diod. Ibid.

4. Alcibiad. & Thrafybulus in Thracia profperè pugnant. Diod. Ibid.

OLIMP. XCIII.

1. Alcibiades Athenas reverfus fit fummus Imp. & brevi exulat. Diod. Ibid.

Athenienfium ad Andrum cum Lacedæmoniis pugna ducibus Alcib. Adimanto & Thrafybulo. Diod.

2.

Athenienfes Conone duce malè pugnant cum Callicratide ad Methymnam, & altera pugna ad Mitylenem. Diod. lib. XIII.

3.

Athenienf. à Lacedæmon. ad Ægos Potamos à Lyfandro debellati. Diod. l. XI. Nepos in Conone.

4. Conon ad Evagoram Cypri Regem fugit. Diod.

OLIMP. XCIV.

1. Alcibiades opprimitur. Diod. Plut. Nepos.

2.

3.

4.

Thrafybulus devictis tyrannis Athenienfibus libertatem reftituit. Diod.

OLIMP. XCV.

1.

2. Conon. Athen. exul Perficæ claffi præfectus adverfus Lacedæmonios. Diod. lib. 14.

3.

4.

OLIMP. XCVI.

1. Agesilai cum Persis in Asia bellum: Diod. Lysander dux Lacedæm. ad Haliartum interfectus. Diod.

2. Conon vincit Periarchum Lacedæm. classis præfectum ad Cnidum. Diod.

Bellum Sociale Lacedæmonium. Lacedæmonii à Conone victi post ad Coroneam duce Agesila prosperè pugnant. Dion.

Belli Corinthiaci initium. Diod.

3. Conon muros Athen. ope Thebanorum restituit.

Iphicrates ad Lechæum cum Agesilao pugnat. Diod.

4. Iphicrates ad Corinthum feliciter pugnat. Diodor. & Nepos. Deponit Imperium, & Chabrias succedit.

OLIMP. XCVII.

1. Trasybulus cum classe missus in Thraciam & Lesbum. Diod.

2. Agesilaus Rex Lacedæm. agrum Corinthium populatur.

3. Thrasybulus ab Aspendiis necatus. Diod.

4.

OLIMP. XCVIII.

1.

2.

3.

4.

OLIMP. XCIX.

1. Lacedæmonii arcem Thebarum Cadmeam occupat. Diod. Aristid. Polyb.

2.

3. Bellum Laconic. Bœot. Diod. l. XV. Arist. Isocr. in Panegyrico.

4.

OLIMP. C.	
1.	
2.	Thebani exules ope Athenienſ. Cadmeam recipiunt Diod. Xenoph. alii.
3.	
4. Ageſilai in Bœotiam expeditio.	Bellum Lacedæmon. I.
Chabriæ victoria de Spartanis.	
Iphicrates ab Athen. Auxilio regis Perſarum Artaxerxi mittitur.	
OLIMP. CI.	
1. Timotheus Lacedæmonios ad Leucadem ſuperat. Diod. lib. XV. Xenoph. lib. V.	
Chabriæ interfecto ſuccedit Iphicrates. Diod. Ibid.	
2.	
3. Timotheus Corcyræis contra Lacedæm. ſubſidio mittitur.	Bellum Lacedæmonium II. inter Athenienſes & Lacedæmonios. Diodor. & Xenoph.
Item. Iphicrates Diod. Xenoph. Nepos. Frontinus.	
Iphicrates Exercitui Conductitio præfectus adverſus Ægyptios proficiſcitur. Diod. & aliter paulò Nepos.	Pharnabazus cum Iphicrate adverſus Ægyptios profectus.
4.	
OLIMP. CII.	
1.	
2. Epaminondas Spartanos ad Leuctra profligat.	Bœoticum Bellum.
	Pugna Leuctrica Spartanorum cum Thebanis Diod. & al.
3.	
4. Epaminondas Laconiam invadit, Spartam capit, Meſſenem reſtituit. Diod. & alii.	Bellum Laconicum Arcadicum Lacedæmoniorum cum Arcadib.
Iphicrates Lacedæmoniis adverſus Arcadas auxilio mittitur.	Bœoti Duce Epaminonda in Peloponneſum ingreſſi, & à Chabria Athenienſ. duce repulſi. Diod. Xenoph.

Pelopidas & Epaminondas Arcadibus auxilio à Thebanis mittuntur. Diod. Plut. in Pelop. Justin. lib. VII. Nepos in Pelop. alii.

Olimp. CIII.

1. Pelopidas ab Alexandro Pheræo in vincula conjicitur. Diod. Plut. Nepos. Pausanias in Bœot.

Thebanorum cum Arcadibus Bellum.

Dionysius Syracusarum Tyrannus moritur.

Probus de regib. Eusebius in Chronico alii.

2. Pelopidas liberatur.

3.

4.

Bellum Arcadum & Eleorum Diod. lib. XV. Xenoph. Justin. Front.

Olimp. CIV.

1. Pelopidas prælio adversf. Alexandr. Pheræum cadit Plut. Nepos. Diod.

Timotheus in Thraciam profectus, Potidæam, & Toronem occupat Diod. lib. XV.

Cum Olythiis bellum gerit. Nepos in vita Demosthen. Clynth.

Thebani, Epaminonda perorante, de maritimo imperio comparando cogitant.

2. Epaminondas Spartam iterum tentat. Lacedæm. ad Mantineam vincit, ibidemque interficitur. Diod. & alii passim.

Pugna Mantinensis duce Epaminondâ.

3. Agesilaus & Chabrias à Rege Persarum deficiunt.

Agesilai interitus. Xenoph. Plut. Diod. Nepos in Agesilao.

Artaxerxi Regi Persarum mortuo succedit Artaxerxes Ochus.

4.

OLIMP. CV.

1.	
2.	
3. Chabrias & Chares adversus Atheniensium socios Chios, Rhodios, Coos, & Bizantios missus, in prælio occubuit. Diod. lib. XVI. & Nepos in Chabria. Dionis fuga & præparatio ad bellum cum Dionysio. Diod. Ibid. Ælian. lib. XII. Variar. Hist. cap. 44. Nepos in vita.	Bellum sociale Atheniensium.
4. Dionis felix cum Dionysio bellum. Diod. Nepos in Vita.	Alexandri Pheræi interitus. Diod. Plutarch. & alii.

OLIMP. CVI.

1. Iphicrates & Timotheus ab Atheniensibus multantur. Dion Syracusas in libertatem vindicat. Diod. lib. XVI.	Athenienses cum Sociis acriter pugnant, ducibus Charete; Iphicrate & Timotheo. Diod. Nepos in Timoth.
2. Dion moritur annos natus circiter LV. Euseb. in Chron. ubi vitiosè Dionysius pro Dion legebatur.	
3.	
4. Chares Sestum capit. Diod.	Philippus oculum in expugnatione Methones amisit. V. Vitas comparatas.

OLIMP. CVII.

1.	
2. Phocion. Athen. Persarum dux est contra Cyprios. Diod. lib. XVI.	
3.	
4.	

OLIMP. CVIII.

1.	
2. Iphicrates Athen. dux Diony-	

ſii Siculi naves auro doniſque Apollini Delphico conſecrandis onuſtas intercipit. Diod.	
3.	
4. Timoleontis in Siciliam expeditio. Syracuſas in libertatem reſtituere conatur. Diodor. Nepos. Plutarch.	Hicetas Princeps Syracuſarum à Timoleonte ſuperatus.
OLIMP. CIX.	
1. Timoleon pulſis Pœnis Syracuſis potitur.	
2. Remp. Syracuſar. inſtaurat.	
3. Contra Siculos rem feliciter gerit. Diod. Nepos in Timol.	
4. Phocion. Athen. dux Clitarchum Tyrannum Eretriæ à Philippo conſtitutum profligat. Diod. lib. XVI.	
OLIMP. CX	
1. Timoleon Carthaginenſium exercitum ad Crimeſum ſuperat. Plut. Nepos in vita Diodor. Poliæn. lib. VI.	
2. Timoleon Carthaginenſibus pacem petentibus concedit. Diod.	
3.	Pugna ad Chæroneam quâ Philippus Athenienſes vicit. Diod. Dionyſ. ad Amnæum. Pauſan. in Attic. alii.
4. Timoleon. moritur. Nepos. Plutarch.	
OLIMP. CXI.	
1.	Philippus Rex à Pauſaniæ ſatellite occiditur. Diod. lib. XVI. Arrian. & alii.
2.	
3.	Alexander M. Philippo Patri ſuccedit.
4.	

OLIMP. CXII.
1.
2.
3.
4.

OLIMP. CXIII.
1.
2.
3. Hæpheſtionis mors. Nepos in Eumene. Ælian. lib. XII. cap. VII. & alii.
4.

OLIMP. CXIV.
1. Alexander Babilone moritur vel veneno vel intemperantia.
2. Antipater & Craterus Æoliam oppugnant. Diod.
3.
4.

OLIMP. CXV.
1.
Eumenes fit regum tutor.
Phocion ad Antipatrum proficiſci recuſat.
3. Argyraſpidum phalanx Eumeni adjuncta fruſtra ad Antigono & Ptolemæo ſollicitatur.
4. Eumenes adverſus Antigonum bellum gerit, & Satrapæ Orientis ſe conjungunt.

OLIMP. CXVI.
1. Eumenis cum Antigono anceps prælium. Ab Antigono capitur & occiditur. Diod. Nepos.
2.
3.
4.

NOMINA IMPERATORUM,

quorum Vita à Cornelio Nepote
ſcripta eſt.



CORNELII NEPOTIS,

DE VITA EXCELLENTIUM IMPERATORUM, AD T. POMPONIUM ATTICUM, LIBER PRIOR.

AUTORIS PRÆFATIO.

NON dubito fore pleróſque, [1] Attice, qui hoc genus ſcripturæ leve, & non ſatis dignum [a] ſummorum virorum perſonis judicent: quum relatum legent, quis muſicam docuerit Epaminondam, aut in ejus virtutibus commemorari, ſaltaſſe eum commodè, ſcientérque tibiis cantaſſe. Sed hi erunt ferè, [b] qui expertes literarum Græcarum, nihil rectum niſi quod ipſorum moribus conveniat, putabunt. Qui ſi didicerint, non eadem omnibus eſſe honeſta atque turpia, ſed omnia majorum inſtitutis judicari, non admirabuntur, nos in Gra-

INTERPRETATIO.

a *Et minùs reſpondens principum dignitati exiſtiment.*

b *Qui hiſtoriarum Græciæ ignari.*

NOTA.

1 *Attice.*] Is eſt ad quem Cicero ſcribit epiſtolas ad Atticum, Atticus ideo dictus, quòd quum diu Athenis literis operam dediſſet, non minùs Atticæ quàm Romanæ linguæ peritus erat. Idque patet ex Cicerone 5. de finibus bon. & mal. his verbis: *Ita enim ſe Athenis collocavit, ut ſit penè unus ex Atticis, ut id etiam cognomine videatur habiturus.* Sed ea de re poſtea in vita Attici.



jorum virtutibus exponendis mores eorum sequutos. [2] Neque enim Cimoni fuit turpe, Atheniensium summo viro, [3] sororem Germanam habere in matrimonio: quippe quum cives ejus eodem uterentur instituto, at id quidem nostris moribus nefas habetur. [c] Laudi in Græcia ducitur adolescentulis, quamplurimos habere amatores. [4] Nulla Lacedæmoni tam est nobilis vidua, [d] quæ non ad scenam eat mercede conducta. Magnis in laudibus tota fuit Græcia [e] [5] victorem Olympiæ citari. In scenam verò prodire & populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini; [6] Quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur. Contra ea, pleráque nostris moribus sunt decora, quæ apud illos turpia putantur. Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? aut cujus materfamilias [f] non primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur? Quod multò fit aliter in Græcia. nam neque in convivium adhibetur, nisi propinquorum: neque sedet nisi in interiore parte ædium, [g] [7] quæ γυναικωνῖτις appellatur: quò nemo accedit nisi propinquâ cognatione conjunctus. Sed

INTERPRETATIO.

c *Inter Græcos laudi pueris vertitur.*
d *Quæ non Personam scenicam agat lucro illecta.*
e *Victorem Olympiæ pronunciari.*
f *Non in prima domus parte sedet, & se palam exhibet.*
g *Quæ Gynæceum dicitur.*

NOTÆ.

2 *Neque enim Cimoni fuit turpe.*] Is Cimon Miltiadis filius fuit, mirâ erga Athenienses Concives suos munificentia. De quo infra.

3 *Sororem Germanam.*] Ex eodem Patre, non Matre genitam, nomine Elpinicen, quia non licebat Athenis uxorem ducere uterinam, ut colligere est ex Demosthene in oratione, quæ inscribitur, *Appellatio adversus Eubulidem.* Et ex Scholiaste Aristophanis in Nebulas, actu 5. sc. 2. ubi sic legitur, παρ' Ἀθηναίοις ἔξεστι γαμεῖν τὰς ἐκ πατέρων ἀδελφάς. Sorores autem ex eodem solùm Patre genitæ, legibus Romanis, *germanæ*, seu *consanguineæ* vocantur.


4 *Nulla Lacedæmoni tam est nobilis vidua.*] Lacedæmon urbs totius Peloponnesi clarissima, Lycurgi legibus olim florentissima, Menelai Regis, & Helenæ Regia, non procul ab Eurota flumine; alio nomine Sparta, nunc vulgo Mizitra. Porro Plutarchus in Laconum institutis, vetita apud Lacedæmonios legibus Lycurgi scenica spectacula testatur, quod sanè Nepotis opinioni repugnat; sed ipsi favet Athenæus lib. 13.

5 *Victorem Olympiæ citari.*] Olympia urbs Elidis, quinquennali ludorum celebritate clara, ad Alphæum flumen sita, nunc vulgò *Pise.* Citatio autem per præconem fiebat: qui clarâ voce ad Populum, Victorem pronunciabat; quo honore nihil erat majus.

6 *Quæ omnia apud nos partim infamia.*] Histrionum genus apud Romanos non modo legibus ἄτιμον atque adeo infame, sed etiam ab omni Tribu notatione Censoriâ removebatur. Aug. lib. 2. de civit. cap. 13. Cicero pro Quintio. Et Quintil. 3. Institut. c. 8.

7 *Quæ γυναικωνῖτις appellatur.*] Locus erat domûs interior, fœminis destinatus, in quo lanificia sua exercebant, & alia id genus; ut patet ex nominis Græci etymologiâ. Alias Gynæceum. De ista ædium parte Vitruvius lib. 6. cap. 10. loquitur, quam & Gynæconitim vocat.

plura persequi tum magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem quæ exorsus sum. Quare ad propositum veniemus, & in hoc exponemus libro vitas excellentium imperatorum.



I.

[1] MILTIADES CIMONIS FILIUS ATHENIENSIS.

QUUM & antiquitate generis, & gloriâ majorum, & suâ modestiâ unus omnium maximè floreret; eâque esset ætate, ut non jam solùm de eo bene sperare, sed etiam confidere cives possent sui, talem futurum qualem cognitum judicarunt: accidit, ut Athenienses [2] Chersonesum colonos vellent mittere. Cujus generis quum magnus numerus esset, & multi ejus demigrationis peterent societatem: ex his [3] delecti Delphos deliberatum missi sunt, qui consulerent Apollinem, quo potissimum duce uterentur. [4] Nam tum Thraces eas regiones tenebant, cum quibus armis erat dimicandum. His consulentibus nominatim [5] Pythia præcepit, ut Miltiadem sibi [6] imperatorem sumerent. Id si fecissent, incepta prospera futura. Hoc oraculi responso, Mil-

NOTÆ.

1 MILTIADES CIMONIS FILIUS.] Cimon duplex fuit; alter quidem pater Miltiadis; alter vero filius Miltiadis, de quo infra. Ille genus suum ad Codrum postremum Atheniensium Regem referebat. Vide typum originis, atque agnationis Miltiadis apud Hieronymum Magium.

2 *Chersonesum colonos vellent mittere.*] Chersonesus Peninsula est quæ mari Ægeo alterâ ex parte; altera Propontide & Hellespontο alluitur, unde Hellespontiaca à Suida, & Thracia à Ptolemæo vocatur; ibi urbs Sestus Herus & Leandri amore clara. Sunt & aliæ plures Chersonesi.

3 *Delecti Delphos.*] Urbs in Phocide Oraculo Apollinis clarissima, in bicipiti Parnassi jugo sita; quæ hodie quibusdam *Salona*, aliis *Castri* dicitur.

4 *Nam tum Thraces.*] Thraciæ populi bellicosissimi: Thracia autem à Septentrione inferiorem Mysiam, nunc Bulgariam; ab Occasu superiorem, nunc Serviam; à Meridie mare Ægeum; ab Ortu Bosphorum, ac Propontidem habet.

5 *Pythia.*] Pythonissa etiam, & Phœbas dicebatur, Apollinis Sacerdos, quæ insidens Tripodi distentis cruribus, gravem è specu subeuntem spiritum excipiebat; & sic furore exagitata vaticinabatur. Cicero de Divinatione, *Nam terra vis Pythiam Delphis incitabat, natura Sibyllam.*

6 *Imperatorem sumerent.*] Exercitus Ducem, seu Prætorem; hæcque prima est hujus nominis acceptio.

tiades cum delecta manu, classe Chersonesum profectus, [7] quum accessisset Lemnum, & incolas ejus insulæ sub potestatem redigere vellet Atheniensium, idque ut Lemnii suâ sponte facerent, postulasset: [8] illi irridentes responderunt, tum id se facturos, quum ille domo navibus proficiscens, vento Aquilone venisset Lemnum. Hic enim ventus à septentrionibus oriens, [a] adversum tenet Athenis proficiscentibus. Miltiades morandi tempus non habens, cursum direxit quò tendebat: pervenitque Chersonesum. Ibi brevi tempore barbarorum copiis disjectis, totâ regione, quam petierat, potitus, loca castellis idonea communivit: multitudinem quam secum duxerat, in agris collocavit, crebrisque excursionibus locupletavit: neque minùs in ea re prudentiâ quàm felicitate adjutus est. Nam quum virtute militum devicisset hostium exercitus, summâ æquitate res constituit: atque ipse ibidem manere decrevit. [9] Erat enim inter eos dignitate regiâ, quamvis carebat nomine: [b] neque id magis imperio quàm justitiâ consequutus. Neque eò secius Atheniensibus à quibus erat profectus, officia præstabat. Quibus rebus fiebat ut non minùs eorum voluntate perpetuò imperium obtineret qui miserant, quàm illorum cum quibus erat profectus. Chersoneso tali modo constitutâ, Lemnum revertitur: & ex pacto postulat ut sibi urbem tradant. Illi enim dixerant, quum vento Boreâ domo profectus, eò pervenisset, sese dedituros, se autem domum Chersonesi habere. [10] Cares qui tum

INTERPRETATIO.

a *Athenis venientibus adversatur.*

b *Nec illud potius violentiâ, quàm ex merito obtinuerat.*

NOTÆ.

7 *Quum accessisset Lemnum.*] Ægei maris Insulam, Hypsipyles Thoantis filiæ regiam, & Argonautarum appulsu notissimam, hodie *Stalimene* dicitur; Cluverius.

8 *Illi irridentes responderunt, tum id se facturos.*] Hoc responsum non à Lemniis, sed à Pelasgis antiquissimis Græciæ populis, Atheniensibus factum fuisse narrat Herodotus, postquam Delphos misissent, & jussi fuissent pœnas Atheniensibus, quas illi vellent pendere, atque Athenas venissent. Cui opinioni subscribit Zenobius his verbis, Κελευόντων δὲ τῶν Ἀθηναίων ἐκλιπεῖν τὴν Λῆμνον εἶπον οἱ Πελασγοί, εἴπερ αὐθημερὸν Ἀθήνηθεν Βορέᾳ χρησάμενοι καταπλεύσειν εἰς τὴν Λῆμνον, ἐκστήσεσθαι τῆς χώρας αὐτοῖς.

9 *Erat enim inter eos dignitate regiâ.*] Expulsis è Chersoneso Thracibus, rebusque suis ibi potenter confirmatis, Miltiadem tyrannicam potestatem usurpasse testatur Plutarchus in libello quem fecit, de serâ numinis vindictâ: Atque adeò regnum ipsi non fuit diuturnum: à Scythis enim primùm, deinde à Phœnicibus pulsus, Athenas confugit.

10 *Cares qui tum Lemnum incolebant.*] Immò Pelasgos tum Lemnum incoluisse scribit Herodotus lib. 7. Cares autem gens fuit quæ quo tempore Romulus Romam condidit, maris Mediterranei Imperium latè tenuit. Euseb. in Chronico. Nec illud impedit quominus olim despectissima fuerit, ejusque inconditi mores proverbiis locum fecerint; unde illud, [illegible] *Rusticè agis cum rustico, &c.* Vide Cicer. pro L. Flacco.

Lemnum incolebant, etsi præter opinionem res ceciderat; tamen non dicto, sed secundâ fortunâ adversariorum capti, resistere ausi non sunt, atque ex insula demigrarunt. Pari felicitate cæteras insulas, [11] quæ Cyclades nominantur, sub Atheniensium redegit potestatem. Eisdem temporibus [12] Persarum rex Darius ex Asia in Europam exercitu trajecto, [13] Scythis bellum inferre decrevit: [14] pontem fecit in Istro flumine, quà copias traduceret. Ejus pontis, dum ipse abesset, custodes reliquit principes, quos secum [15] ex Ionia & Æolide duxerat: quibus singulis ipsarum urbium perpetua dederat imperia. Sic enim putavit facillimè se Græcâ linguâ loquentes, qui Asiam incolerent, sub sua retenturum potestate, [16] si amicis suis oppida tuenda tradidisset: quibus, se oppresso, nulla spes salutis relinqueretur. In hoc fuit tum numero Miltiades, cui illa custodia crederetur. Hîc quum crebri afferrent nuncii, malè rem gerere Darium, premique ab Scythis: Miltiades hortatus est pontis custodes, ne à fortuna datam occasionem liberandæ Græciæ dimitterent. Nam si cum iis copiis, [17] quas secum transportaverat, interiisset Darius, non solùm Europam fore tutam, sed etiam eos qui Asiam incolerent Græci

NOTÆ.

11 *Quæ Cyclades nominantur.*] Insulæ Ægei maris in orbem dispositæ, unde Cyclades dictæ, suntque numero 53. Plin. lib. 4. cap. 12. & Pomp. lib. 2.

12 *Persarum Rex Darius.*] Hystaspis filius, quem Esdras & Philo Assuerum vocant; quique equi sui hinnitu, occisis Magis, regni Persarum usurpatoribus, Rex electus est, unde postea in sigillo sculptum equum habuisse fertur, ut Scholiastes Thucydidis notat. Ille adversus Jancyrum Scytharum Regem in Europa bellum movit, quod suam filiam sibi uxorem denegasset. Justin. lib. 2.

13 *Scythis bellum inferre decrevit.*] Non Asiaticis, sed Europæis, qui Tanaïm inter & Jaxartem amnes siti erant, quos aggressus est Darius cum septingentis hominum millibus. Justin. l. 2. Herodotus lib. 6. Diodorus lib. 2.

14 *Pontem fecit in Istro flumine.*] Ister omnium Europæ fluviorum maximus, qui & Danubius dicitur: In Euxinum per sex fauces invehitur, postquam sexaginta amnes, medio ferme eorum numero navigabiles recepit. Plin. lib. 4. cap. 12. Is ortum habet in jugis Abnobæ Montis Germaniæ. Unde Dionysius:

Abnoba Mons Istro pater est: cadit Abnoba hiatu
Flumen, in Eoos autem convertitur axes, &c.

Hunc secundum post Nilum facit. Ovid. lib. 4. de Ponto.

15 *Ex Ionia, & Æolide.*] Asiæ minoris regiones sunt, in quibus linguæ Græcæ usus familiaris erat: prima, media est Cariam inter & Æolidem; altera in ipso maris Ægei littore sita.

16 *Si amicis suis oppida tuenda tradidisset.*] Reges Politicæ studiosi singulare imperium iis imponere solent, quos sibi strictiori clientelâ devinxerunt, quosque sciunt devictis civitatibus gratos esse, tum propter morum, cùm linguæ conformitatem; quandoquidem si status Popularis in singularem mutatus sit, summa imperii non peregrinis, sed inde natis meliùs creditur: Nam *suis quisque placidiùs paret, etiam quum is præest, qui magis timeri potest.* Curt. lib. 6. c. 14.

17 *Quas secum transportaverat.*] Sc. ultra Istri Pontem.

genere, [18] liberos à Persarum futuros dominatione & periculo. Id & facilè effici posse: Ponte enim rescisso, regem vel hostium ferro vel inopiâ, paucis diebus interiturum. [c] Ad hoc consilium quum plerique accederent, [19] Histiæus Milesius ne res conficeretur obstitit, dicens, Non idem ipsis, qui summas imperii tenerent, expedire & multitudini, quòd Darii regno ipsorum niteretur dominatio. Quo extincto ipsos potestate expulsos civibus suis pœnas daturos. Itaque adeò se abhorrere à cæterorum consilio, ut nihil putet ipsis utilius quàm confirmari regnum Persarum. Hujus quum sententiam plurimi essent sequuti, Miltiades non dubitans, tam multis consciis, ad regis aures consilia sua perventura, Chersonesum reliquit, ac rursus Athenas demigravit. [d] [20] Cujus ratio etsi non valuit, tamen magnopere est laudanda, quum amicior omnium libertati quàm suæ fuerit dominationi. Darius autem quum ex Europa in Asiam redisset, hortantibus amicis, ut Græciam in suam redigeret potestatem, classem quingentarum navium comparavit, eique [21] Datin præfecit & Artaphernem: hisque ducenta peditum millia & decem equitum dedit, causam interferens, se hostem esse Atheniensibus, quòd eorum auxilio [22] Iones Sardis expugnassent, suaque præsidia interfecissent. Præfecti regii [23] classe ad Eubœam appulsâ, [24] celeriter Eretriam ceperunt: omnésque ejus gentis cives abreptos, [25] in Asiam ad regem

INTERPRETATIO.

c *In hanc sententiam quum multi descenderent.*

d *Cujus consilium quamquam frustra fuit.*

NOTÆ.

18 *Liberos à Persarum futuros dominatione & periculo.*] Tanta enim erat Persarum crudelitas in devictas gentes, ut ipsas etiam variis suppliciorum generibus cruciarent, nec quietem ullam ipsis concederent. Vide Herodot. de *Zopyri* historia.

19 *Histiæus Milesius.*] Miletus urbs in finibus Ioniæ & Cariæ, ob pretiosa vellera & lanificia olim nobilis; unde Milesius.

20 *Cujus ratio etsi non valuit, tamen magnoperè est laudanda.*] Id à Nepote dicitur potiùs ex odio Romanis congenito in Reges, quàm ex rei veritate; multò enim laudabiliorem nemo non dixerit Miltiadem, si Persarum Regi fidem non dedisset.

21 *Datin præfecit, & Artaphernem.*] Hi ambo Persæ, & Darii Satrapæ; Artaphernes quidem Darii frater; uterque post Marathoniam Cladem, in Græcia infeliciter periit, à Spartanis in puteum conjectus, & superstructâ Pyrâ vivus suffocatus. *Ælianus.*

22 *Iones Sardis expugnassent.*] Pro Sardeis, plur. numeri. Urbs Lydiæ ad latus Tmoli montis, olim *Crœsi* regia.

23 *Classe ad Eubœam appulsâ.*] Eubœa Insula est Ægei maris, a Bœotiæ continente, Euripo freto sejuncta; hodie Negrepontem vocant.

24 *Celeriter Eretriam ceperunt.* Eubœæ urbem, quam trium dierum spatio eos expugnasse scribit *Plato* in Menexeno.

25 *In Asiam ad Regem miserunt.*] Ex Darii mandato, qui scilicet Dati Satrapæ mortem minatus fuerat, nisi ad eum Eretrienses, Athiensesque captivos duci curaret. Plato in Menexeno. Unde colligi potest antiquitus Regibus usitatum fuisse, ut subactas à se regiones vacuas incolis facerent, populosque in captivitatem traherent.

miserunt. Inde ad Atticam accesserunt, ac suas copias [26] in campum Marathona deduxerunt. [27] Is abest ab oppido circiter millia passuum decem. Hoc tumultu Athenienses tam propinquo támque magno permoti, [28] auxilium nusquam nisi à Lacedæmoniis petiverunt, Philippidemque cursorem ejus generis, [29] qui hemerodromi vocantur, [30] Lacedæmonem miserunt, ut nunciaret quàm celeri opus esset auxilio. Domi autem creati decem prætores, qui exercitui præessent: in eis Miltiades. Inter quos magna fuit contentio [e] utrum mœnibus se defenderent, an obviam irent hostibus, acieque contenderent. [f] Unus Miltiades maximè nitebatur, ut primo quóque tempore castra fierent. Id si factum esset, & civibus animum accessurum, quum viderent de eorum virtute non desperari: & hostes eâdem re fore tardiores, si animadverterent, auderi adversus se tam exiguis copiis dimicare. Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus auxilio fuit [31] præter Platæensium: ea mille misit militum. Itaque horum adventu decem millia armatorum completa sunt: quæ manus [32] mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. Quo factum est [33] ut plus, quàm collegæ, Miltiades valuerit. Ejus enim autoritate impulsi Athenienses, copias ex urbe eduxerunt, locóque idoneo castra fecerunt. Deinde postero

INTERPRETATIO.

e *An se intra Urbem tuerentur.* | f *Solus Miltiades vehementer suadebat.*

NOTÆ.

26 *In campum Marathona.*] Campo Marathone, Marathoniáque pugnâ nihil in totâ antiquitate clarius. Marathon autem, unde Campus ille nomen habet, oppidum est Atticæ, quod Athenis distat circiter 10. millia passuum, prope Asopum amnem, victoriâ Thesei, superato Marathonio Tauro, insigne; & Miltiadis gloriâ, qui ibi c. millia Persarum profligavit.

27 *Is abest ab oppido.*] Athenis.

28 *Auxilium nusquam nisi à Lacedamoniis.*] Tunc Atheniensium fœderatis, qui tamen non nisi post Marathoniam pugnam venerunt, nescio quâ religione detenti, quam ex Lycurgi legibus propter crescentem, aut evanescentem Lunam, habebant; quod Strabo refert ex Herodoto lib. 9. Unde & Justinus scribit: *Quos ubi viderunt quatridui teneri religione, non exspectato auxilio, &c.* L. 2. c. 9.

29 *Qui Hemerodromi vocantur.*] Hi cursores erant qui totum diem cursitantes non defatigabantur; sic dicti ἀπὸ τ' ἡμέρας καὶ δρόμου. De triplici hemerodromorum genere vide Lipsium Cent. 5.

30 *Lacedamonem miserunt.*] Hoc iter mille centum quadraginta stadiis definiunt, quod decurrit biduo ille Philippides Athenis missus, ut refert Herodotus l. 6. δευτεραῖος ἐκ τοῦ Ἀθηναίων ἄστεος ἦν ἐν Σπάρτῃ.

31 *Præter Plataensium.*] Supple, civitatem. Platææ Urbs est Bœotiæ, sub Cithærone monte, non procul à Thebis, sic dicta à Remorum latitudine. Strabo lib. 9.

32 *Mirabili flagrabat pugnandi cupiditate.*] Ita Justin. l 2. c. 9.

33 *Ut plus, quàm Collega, Miltiades valuerit.*] Quia reliquis Atheniensium ducibus ad pugnandum ægre consentientibus, Miltiades prævaluit. Sic Justin. loco citato, his verbis, *Miltiades & Dux belli erat, & auctor non expectandi auxilii, quem tanti fiducia ceperat, ut plus præsidii in celeritate, quàm in sociis duceret.*

die sub montis radicibus acie è regione instructâ, novâ arte, vi summâ prælium commiserunt. Namque arbores multis locis erant raræ, hoc consilio, ut & montium tegerentur altitudine, [g] & arborum tractu equitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis, [h] etsi non locum æquum videbat suis, tamen fretus numero copiarum suarum, confligere cupiebat: eóque magis, [34] quòd priùs, quàm Lacedæmonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaque in aciem peditum centum; equitum decem millia produxit, præliúmque commisit. In quo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, [i] ut decemplicem numerum hostium profligarent: adeóque perterruerunt, [35] ut Persæ non castra, sed naves peterent. Quâ pugnâ nihil adhuc est nobilius, nulla enim unquam tam exigua manus [k] tantas opes prostravit. Cujus victoriæ non alienum videtur, quale præmium Miltiadi sit tributum, docere, quò facilius intelligi possit, eandem omnium civitatum esse naturam. [36] Ut populi nostri honores quondam fuerunt rari & tenues, ob eámqne causam gloriosi, [l] nunc autem effusi atque obsoleti: sic olim apud Athenienses fuisse reperimus. Namque huic Miltiadi, qui Athenas totámque Græciam liberavit, talis honos tributus est in porticu, [37] quæ Pœcile vocatur, quum pugna depingeretur Marathonia; ut in decem Prætorum numero prima ejus imago poneretur, isque hortaretur milites, præliumque committeret. Idem ille populus posteaquam majus imperium est nactus, & largitione magistratuum corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo decrevit. Post hoc prælium classem septuaginta navium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, [38] ut insulas quæ barbaros adjuverant, bello persequeretur. Quo imperio plerasque ad officium

INTERPRETATIO.

g *Et* longâ *arborum serie adversariorum Equites implicarentur.*

h *Quamquam angustius spatium suis tenebat.*

i *Ut decies majorem adversariorum multitudinem debellarent.*

k *Tam ingentes copias protrivit.*

l *Jam verò immoderati, & nimis usitati,*

NOTÆ.

34 *Quod priusquam Lacedamonii subsidio venirent.*] Quia, ut jam dictum est, plenilunium expectabant.

35 *Ut Persæ non castra, sed naves peterent.*] Ita Justinus lib. 2. c. 9. *Victi Persæ in naves confugerunt, ex quibus multæ suppressæ, multæ captæ sunt.* Et paulo post, *Cynegiri quoque Atheniensis stupendum illud facinus apparuit, qui amputatâ utraque manu, dentibus postea navem detinuit.* Just. ibidem.

36 *Ut populi nostri.*] Lege, *Ut enim populi nostri.*

37 *Quæ Pœcile vocatur.*] Pœcile, porticus erat Athenis, variis picturarum generibus adornata, quarum Autor Polygnotus Thasius; Diogenes Laërtius in Zenone. In hac porticu pugna Marathonia depicta est.

38 *Ut Insulas quæ Barbaros adjuverant.*] Nimirum, Cycladas.

redire

redire coëgit, nonnullas vi expugnavit. Ex his [39] Parum insulam opibus elatam, quum oratione reconciliare non posset, copias è navibus eduxit [m] urbem operibus clausit, omnique commeatu privavit: [40] Deinde vineis ac testudinibus constitutis, propius muros accessit. [n] Quum jam in eo esset ut oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est. Cujus flamma ut ab oppidanis & oppugnatoribus est visa, utrisque venit in opinionem, signum à classiariis regiis datum. Quo factum est, ut & Parii à deditione deterrerentur, & Miltiades timens ne classis regia adventaret, incensis operibus, quæ statuerat, cum totidem navibus, atque erat profectus, Athenas magna cum offensione civium suorum rediret. Accusatus ergo proditionis, quòd quum Parum expugnare posset, à rege corruptus, [o] infectis rebus à pugna discessisset. Eo tempore æger erat vulneribus, quæ in oppugnando oppido acceperat. Itaque quoniam ipse pro se dicere non posset, verba pro eo facit frater ejus Tisagoras. Causâ cognitâ, capitis absolutus, pecuniâ mulctatus est, [p] eaque lis quinquaginta talentis æstimata est: quantus in classem sumptus factus erat. Hanc pecuniam quòd solvere non poterat, in vincula publica conjectus est, ibique diem obiit supremum. [q] Hic etsi crimine Pario est accusatus, tamen alia fuit causa damnationis. Namque Athenienses [41] propter Pisistrati tyrannidem, quæ paucis annis antè fuerat, [42] omnium suorum civium potentiam extimescebant. Miltiades multùm in imperiis magistratibusque versatus, [r] [43] non videbatur posse esse privatus: præsertim cum consuetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur. Nam Chersonesi omnes illos quos habitarat annos, per-

INTERPRETATIO.

m *Oppidum* vallari coronâ *cinxit.*

n *Quum brevi* futurum *esset, ut urbem caperet.*

o *Ante captam Urbem obsidionem solvisset.*

p *Hacque multa* aureorum triginta millibus *numerata est.*

q *Licet ille* solutæ obsidionis *in Paro* Insula *reus esset.*

r Vitam *privatam* servare *non posse privatus.*

NOTÆ.

39 *Parum insulam opibus elatam.*] Una est ex Cycladibus, marmoris candidi fodinis notissima.

40 *Deinde vineis, ac testudinibus.*] Testudo, machina bellica tabulatis contexta ad urbium expugnationem.

41 *Propter Pisistrati tyrannidem.*] Hic ex Cive privato Athenis supremam potestatem invaserat: Hippocratis filius fuit, primúsque Athenis Bibliothecam publicavit. Vide plura apud Just. & Herodot. tum lib. 1.

42 *Omnium civium suorum potentiam extimescebant.*] Plus æqua civium potestás in liberis Civitatibus odiosa est, & suspecta.

43 *Non videbatur posse esse privatus.*] Quia tanta est imperii dulcedo, támque penetrans ambitio, ut vix dedisci possit.

petuam obtinuerat dominationem, [f] tyrannusque fuerat appellatus, sed justus. Non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate, eamque potestatem bonitate retinuerat. Omnes autem & habentur & dicuntur tyranni, qui potestate sunt perpetuâ in ea civitate, quæ libertate usa est. Sed in Miltiade erat cùm summa humanitas, tùm mira comitas, [44] ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus patêret: magna authoritas apud omnes civitates: nobile nomen, laus rei militaris maxima. Hæc populus respiciens, maluit eum innoxium plecti, quàm se diutiùs esse in timore.

INTERPRETATIO.

f Rexque fuerat dictus.

NOTA.

44 *Ut nemo tam humilis esset.*] Qui se nimis in magna dignitate, affabiles, atque aditu faciles præbent, altiora spirare videntur, & Populo in Democratiâ, & Principi in Monarchiâ suspecti sunt.

II.

THEMISTOCLES [1] NEOCLI FILIUS ATHENIENSIS.

HUJUS vitia ineuntis adolescentiæ, magnis sunt emendata virtutibus: adeò ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur. Sed ab initio est ordiendum. Pater ejus Neoclus generosus fuit, [3] is uxorem Acarnanam civem duxit, ex qua natus est Themistocles. Qui quum minùs esset probatus parentibus, quòd & liberiùs vivebat, & rem familiarem negligebat; à patre exhæredatus est. Quæ contumelia non fregit eum, sed erexit. Nam quum judicasset, sine sum-

NOTÆ.

1 NEOCLI FILIUS.] Neocles Atheniensis, qui, ut refert Valer. Max. lib. 6. c. IX. 2. exter. Abdicationis notam suæ famæ inussit.

2 *Hujus vitia.*] Vide Valer. Max. ibidem.

3 *Is uxorem Acarnanam civem duxit.*] Existimo vel legendum esse *Acarnanem*; quia nullibi me legisse memini *Acarnanam*: vel nomen esse proprium, quod verisimilius videtur. Variæ autem sunt opiniones ex qua gente fuerit Themistoclis mater; Alii enim Halicarnassiam fuisse scribunt: Alii verò longè plures Treiciam meretriculam Abrotonum nomine asserunt. Sic Athenæus lib. XIII. cap. XIII. Porrò Acarnania Epiri pars est, quam Achelous fluvius ab Ætolia dividit; unde Acarnan, nomen appellat. com. gen.

ma industria non posse eam extingui, totum se dedidit reipublicæ, [a] diligentiùs amicis famæque serviens. Multùm in judiciis privatis versabatur: sæpe in concionem populi prodibat: nulla res major sine illo gerebatur: celeriterque quæ opus erant, reperiebat, facilè eadem oratione explicabat. Neque minùs in rebus gerendis promptus quàm excogitandis erat, [b] quòd & de instantibus (ut ait Thucydides) verissimè judicabat, & de futuris callidissimè conjiciebat. Quo factum est ut brevi tempore illustraretur. Primus autem gradus fuit capessendæ reipublicæ, [4] bello Corcyræo: ad quod gerendum Prætor à populo factus, non solùm præsenti bello, [c] sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem. Nam quum pecunia publica quæ ex metallis redibat, largitione magistratuum quotannis interiret: ille persuasit populo, ut eâ pecuniâ classis centum navium ædificaretur. Quâ celeriter effectâ, primùm Corcyræos fregit: deinde maritimos prædones consectando, mare tutum reddidit. In quo cùm divitiis ornavit, tùm peritissimos belli navalis fecit Athenienses. Id quantæ saluti fuerit universæ Græciæ, Bello cognitum est Persico. [5] Nam quum Xerxes & mari & terrâ bellum universæ inferret Europæ, [6] cum tantis eam copiis invasit, quantas neque ante, neque postea habuit quisquam. Hujus enim classis mille & ducentarum navium longarum fuit, quam duo millia onerariarum sequebantur. Terrestres autem exercitus, septingentorum millium peditum, equitum quadringentorum millium fuerunt. Cujus de adventu quum fama in Græciam esset perlata, & maximè Athenienses peti dicerentur, propter pugnam Marathoniam: miserunt Delphos consultum [d] quidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, ut mœnibus ligneis se munirent. [e] Id responsum quò valeret quum intelligeret nemo, Themistocles persuasit, consilium esse Apollinis, ut in naves se suáque conferrent: eum enim à Deo significari murum ligneum. Tali consilio probato, addunt

INTERPRETATIO.

a *Accuratiùs familiares famámque excolens.*

b *Quia & de præsentibus* (juxta Thucydidem) *certissimè statuebat.*

c *Bellicosiorem urbem fecit.*

d *Quo pacto res suas tuerentur.*

e *Hoc Oraculum quorsum spectaret, quum nullus caperet.*

NOTÆ.

4 *Bello Corcyræo.*] Contrà Herodotus lib. 7. & Thucydides lib. 1. pro Corcyræo Ægineticum scribunt. Corcyra autem, quæ & Phæacia olim dicta, nunc vulgo *Corfou*; insula est in Ionio mari, hodie Venetæ ditionis, contra Epirum.

5 *Nam quum Xerxes.*] Darii filius.

6 *Cum tantis eam copiis invasit.*] De illo ingenti copiarum numero variè varii. At verò disce ex Herodoto lib. 7. quomodo Xerxes exercitum suum dinumeraverit; quem Valer. Max. lib. 3. c. 2. gravem mari & terræ vocat, *nec hominibus tantùm terribilem, sed & Neptuno quoque compedes, & cœlo tenebras minitantem.*

ad ſuperiores totidem naves triremes, ſuáque omnia, quæ moveri poterant, [7] partim Salaminem, partim Trœzenem aſportant: arcem ſacerdotibus pauciſque majoribus natu, ac ſacra procuranda tradunt: reliquum oppidum relinquunt. Hujus conſilium pleriſque civitatibus diſplicebat, & in terra dimicari magis placebat. Itaque [8] miſſi ſunt delecti cum Leonida Lacedæmoniorum rege, [9] qui Thermopylas occuparent, longiúſque barbaros progredi non paterentur. Hi vim hoſtium non ſuſtinuerunt, [10] eóque loco omnes interierunt. At claſſis communis Græciæ trecentarum navium, in qua ducentæ erant Athenienſium, [11] primum apud Artemiſium, inter Eubœam continentemque terram cum claſſiariis regis conflixit. Anguſtias enim Themiſtocles quærebat, ne multitudine circumiretur. [f] Hîc etſi pari prælio diſceſſerant, tamen eodem loco non ſunt auſi manere, quòd erat periculum ne, ſi pars navium adverſariorum Eubœam ſuperaſſet, [g] ancipiti premerentur periculo. Quo factum eſt ut ab Artemiſio diſcederent, & ex adverſum Athenas apud Salamina claſſem ſuam conſtituerent. At Xerxes Thermopylis expugnatis [h] [12] protinus ac-

INTERPRETATIO.

f *Quamquam inde æquo Marte abierant.*

g *Hoſte, à fronte & à tergo urgerentur.*

h *Extemplo ad urbem venit.*

NOTÆ.

7 *Partim Salaminem, partim Trœzenem.*] Salamis, ſive Salamin, vel Salamina, inſula eſt in Sinu Saronico contra Atticam, in qua Telamon Ajacis & Teucri pater regnavit, non procul ab Æginâ ejuſdem Sinus Inſulâ, nunc vulgo Coluri, Ægina verò, nunc Engia. Trœzene, ſive Trœzena, urbs eſt maritima Peloponneſi in agro Argolico, Argolicum inter & Saronicum Sinum poſita.

8 *Miſſi ſunt delecti.*] Hos fuiſſe milites gravioris armaturæ, atque ex Lacedæmoniis CCC. tantùm, duce Leonida, refert Herodotus in Polyhymniâ; Addítque ex multis aliis Græciæ civitatibus longè plures miſſos quos fusè enumerat. Sed tamen illos omnes delectos non ultra mille fuiſſe teſtantur *Iſocrates* & *Diodor.* quanquam Juſtin. lib. 2. c. XI. quatuor millia fuiſſe cum Leonida ſcribit.

9 *Qui Thermopylas occuparent.*] Viæ ſunt anguſtæ inter montium fauces iis qui è Theſſaliâ in Phocidem iter habent, ſic dictæ à Thermis, quia aquæ calidæ in ipſis faucibus ſcaturiunt, & à pylis quas portas vocant.

10 *Eóque loco omnes interierunt.*] Quibus publica monumenta erecta ſunt, ut qui pro libertate patriæ interiiſſent, inſcriptáque trophæis Epigrammata. Vide Strabonem lib. 9. & Herodot. lib. 7. Non tamen omnes in eo loco, ſed CCC. Lacedæmonios cum D. circiter ſociis cecidiſſe legimus, quibus Leonidas prandere juſſit, tanquam apud inferos cœnaturi eſſent. Juſtin. lib. 2. ſolos Lacedæmonios ibi periiſſe ait numero ſexcentos, reliquis à Leonida dimiſſis.

11 *Primum apud Artemiſium.*] Promontorium Eubœæ, apud quem ſecundò Græci cum Xerxe decertarunt; nam primò ad Thermopylas.

12 *Protinus acceſſit Aſtu.*] Athenas, quæ apud Atticos Ἄστυ per excellentiam dicebatur; quemadmodum Romani Romam ſuam, Urbem vocabant.

cessit Astu : idque nullis defendentibus, interfectis sacerdotibus, quos in arce invenerat, incendio delevit. [13] Cujus fama perterriti [14] classiarii, quum manere non auderent, & plurimi hortarentur, ut domos suas quisque discederent, mœnibusque se defenderent : [15] Themistocles unus restitit, [16] & universos esse pares aiebat : dispersos testabatur perituros. [17] Idque Eurybiadi regi Lacedæmoniorum, qui tum summæ imperii præerat, fore affirmabat. [i] Quem quum minùs quàm vellet, moveret, noctu [18] de servis suis quem habuit fidelissimum, ad regem misit, ut ei nunciaret suis verbis, adversarios ejus in fuga esse. Qui si discessissent, majore cum labore & longinquiore tempore bellum confecturum, quum singulos consectari cogeretur; quos si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum. [k] Hoc eò valebat, ut ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur. Hac re auditâ, Barbarus nihil doli subesse credens, postridie alienissimo sibi loco, contrà opportunissimo hostibus, adeò angusto mari conflixit, ut ejus multitudo navium explicari non potuerit. Victus est ergo magis consilio Themistoclis quàm armis Græciæ. Hìc barbarus etsi malè rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias copiarum, ut etiam cum his opprimere posset hostes. [l] Interim tamen ab eodem gradu depulsus est. Nam Themistocles verens, ne bellare perseveraret, certiorem eum fecit, id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur, ac reditu in Asiam excluderetur. Idque ei persuasit. Itaque quà sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in Asiam reversus est : seque à Themistocle non superatum,

INTERPRETATIO.

i *Cui quum, prout cupiebat, non persuaderet.*

k *Id eò tendebat, ut inviti omnes ad pugnam adigerentur.*

l *Ab eadem occasione* rei benè gerendæ *dejectus est.*

NOTÆ.

13 *Cujus famâ.*]Aptiùs fortè legeretur flamma, ut alii volunt, quum Salamis non adeo remota sit Athenis, ut flamma incensæ urbis hinc cerni non potuerit.

14 *Classiarii.*]Græcorum classis milites intellige.

15 *Themestocles unus restitit.*]Vide Herodotum, apud quem Themistoclis oratio est, quâ Græcis omnibus, ne domum redirent, persuasit.

16 *Et universos esse pares aiebat.*]*Insuperabiles sunt universas aggredientibus; easdem lacerabit & carpet, qui per partes attentaverit.* Frontin. lib. 1. c. 10. Sic & Cicero ad Atticum : *Nos disjectâ manu pares adversariis esse non possumus.*

17 *Idque Eurybiadi.*] Is Leonidæ ad Thermopylas interempto summæ rerum administrationi apud Lacedæmonios successerat.

18 *De servis quem habuit fidelissimum.*] Servum hunc Themistoclis liberorum pædagogum fuisse nomine Sicinnum, unde Sicinnis Saltatio dicta est, testatur Clemens Alexandr. his verbis : Καὶ τῶν Θεμιστοκλέους παίδων ὁ παιδαγωγὸς Σίκιννος, οἰκέτης ὑπάρχων, ὀρχεῖσθαι φασὶν αὐτὸν καὶ σικιννίζειν ὠνομάσθαι. Hicque suâ sagacitate inter claros Græciæ propugnatores illorum temporum meruit annumerari.

sed conservatum judicavit. Sic unius viri prudentiâ Græcia liberata est, Europæque succubuit Asia. Hæc altera victoria, quæ cum Marathonio possit comparari tropæo. Nam pari modo apud Salamina parvo numero navium maxima post hominum memoriam classis est devicta. Magnus hoc bello Themistocles fuit, neque minor in pace. Quum enim Phalereo portu neque magno neque bono Athenienses uterentur, hujus consilio [19] triplex Piræei portus constitutus est: isque mœnibus circundatus, ut ipsam urbem dignitate æquipararet, utilitate superaret. Idemque muros Atheniensium restituit [20] præcipuo suo periculo. Namque Lacedæmonii causam idoneam nacti, propter excursiones barbarorum, quâ negarent oportere extra Peloponnesum ullam urbem haberi, ne essent loca munita quæ hostes possiderent: Athenienses ædificantes prohibere sunt conati. [m] Hoc longè aliò spectabat, atque videri volebant. Athenienses enim duabus victoriis, Marathoniâ & Salaminiâ, tantam gloriam apud omnes gentes erant consequuti, ut intelligerent Lacedæmonii de principatu sibi cum his certamen fore: quare eos quàm infirmissimos esse volebant. Postquam autem audierunt muros instrui, legatos Athenas miserunt qui id fieri vetarent. [21] His præsentibus desierunt, ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt. Hanc legationem suscepit Themistocles, & solus primò profectus est: reliqui legati, ut tum exirent, quum satis altitudo muri exstructa videretur præcepit: atque ut interim omnes servi atque liberi opus facerent, neque ulli loco parcerent, sive sacer esset, sive privatus, sive publicus: sed undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. Quo factum est ut Atheniensium muri ex sacellis sepulchrisque constarent. Themistocles autem ut Lacedæmonem venit, adire ad magistratus noluit: & dedit operam ut quàm longissimè tempus duceret, causam interponens, se collegas exspectare. Quum Lacedæmonii quererentur opus nihilominùs fieri, eumque ea re conari fallere: interim reliqui legati sunt consequuti, à quibus quum audisset non multùm superesse munitionis, [n] [22] ad Ephoros Lacedæmoniorum accessit;

INTERPRETATIO.

m *Hac in re longè aliud intendebant, quàm quod ostentabant.*

n *Prope esse ut munitio absolveretur.*

NOTÆ.

19 *Triplex Piræi portus.*] Piræeum, quem hodie Portum Leonem vocant, vulgo Porto Lione XL. stadiis Athenis remotam esse patet ex Laërtio in Antisthene; hícque à Themistocle fortissimo muro civitati conjunctus est.

20 *Præcipuo suo periculo.*] Quod postea explicatur.

21 *His præsentibus desierunt.*] Ne scilicet, à Lacedæmoniis, & reliquis Peloponnesiis ab opere incepto impedirentur. *Diodorus lib.* 11.

22 *Ad Ephoros Lacedæmoniorum accessit.*] Ephori supremi erant Spartanorum Magistratus, quales ferè apud Romanos Tribuni plebis; Ut enim à Consulibus ad

penes quos summum imperium erat: atque apud eos contendit, falsa his esse delata, quare æquum esse, illos, viros bonos nobilesque mittere quibus fides adhiberetur, qui rem explorarent. Interea se obsidem retinerent. Gestus est ei mos, tresque legati functi summis honoribus, Athenas missi sunt. Cum his collegas suos Themistocles jussit proficisci: [o] eisque prædixit, ut ne prius Lacedæmoniorum legatos dimitterent, quàm ipse esset remissus. Hos postquàm Athenas pervenisse ratus est, ad magistratum senatumque Lacedæmoniorum adiit, & apud eos liberrimè professus est, Athenienses suo consilio, quod communi jure gentium facere possent; [23] deos publicos suosque patrios, ac penates, quò faciliùs ab hoste possent defendere, muris sepsisse: [p] neque eò, quod inutile esset Græciæ fecisse. Nam illorum urbem, ut propugnaculum oppositam esse barbaris, [24] apud quam jam bis classis regia fecisset naufragium. Lacedæmonios autem malè & injustè facere, qui id potiùs intuerentur quod ipsorum dominationi, quàm quod universæ Græciæ utile esset. Quare, si suos legatos recipere vellent, quos Athenas miserant, se remitterent, aliter illos nunquam in patriam essent recepturi. Hic tamen non effugit civium suorum invidiam, namque ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, [25] testularum suffragiis è civitate ejectus, [26] Argos habitatum concessit. Hic quum, pro-

INTERPRETATIO.

o *Eisque præmonuit.*

p *Nec ideo* aliquid *quod Græciam non juvaret, operatum esse.*

NOTÆ.

Tribunos provocare licebat, sic à Regibus Lacedæmoniorum ad Ephoros. Tanta insuper erat eorum potestas, ut etiam Regem in vincula publica conjicere valerent. Infra in Pausaniâ.

23 *Deos publicos suosque patrios, ac Penates.*] Deos nempe toti Græciæ communes, & eos qui suæ civitati peculiariter præessent, ut Athenis Minervam; quique privatis ædificiis præsiderent.

24 *Apud quam jam bis Classis Regia fecisset naufragium.*] Semel in Euripo freto apud Artemisium promontorium, ubi Persarum classis malè rem gessit; deinde semel apud Salaminam insulam in Sinu Saronico.

25 *Testularum suffragiis.*] Ostracismus erat apud Athenienses Relegationis genus, quo scilicet dum cives pœnam alicui irrogandam, vel propter ejus divitias, vel amicos, aliamve potentiam, existimabant, in vas quoddam testulas viritim in concilio ipsis datas suffragiorum loco mittebant, in quibus quisque nomen illius scribebat quem urbe cedere voluisset. Magistratus verò qui huic negotio præerant, universos simul calculos recensebant; qui nisi sex millium numerum excessissent, nil confectum esse judicabatur. At quicunque tali suffragiorum numero damnatus erat, hic ad decennium extra urbem ejiciebatur. Vide Aristot. lib. 3. Politic. Dictus autem Ostracismus ἀπὸ τῶν ὀστράκων, hoc est à testulis in quibus suffragia scribi solebant. Causa instituti, ne quis ob nimiam potentiam libertate oppressâ tyrannidem occuparet. Sigonius lib. 2. de rebus Atheniensium c. 4.

26 *Argos habitatum concessit.*] Duo sunt præcipua hujus nominis oppida, in Peloponneso. Alterum Hippium, clarissima

pter multas ejus virtutes, magna cum dignitate viveret, Lacedæmonii legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, quòd societatem cum Rege Persarum ad Græciam opprimendam fecisset. Hoc crimine absens proditionis est damnatus. Id ut audivit, quòd non satis tutum se Argis videbat, [27] Corcyram dimigravit. Ibi quum ejus principes civitatis animadvertisset timere, ne propter se bellum his Lacedæmonii & Athenienses indicerent; [28] ad Admetum Molossorum regem, cum quo ei hospitium fuerat, confugit. Huc quum venisset, [q] & in præsentia rex abesset: quò majore religione se receptum tueretur, [29] filiam ejus parvulam arripuit, & cum ea se in sacrarium, quod summâ colebatur ceremoniâ, conjecit. Inde non priùs egressus est quàm rex eum, datâ dextrâ, in fidem reciperet, quam præstitit. Nam quum ab Atheniensibus & Lacedæmoniis exposceretur, [r] publicè supplicem non prodidit, monuitque ut consuleret sibi, difficile enim esse, in tam propinquo loco tutò eum versari. [30] Itaque Pydnam eum deduci jussit, & quod satis esset præsidii dedit. Hac re auditâ hic in navem omnibus ignotus ascendit: Quæ quum tempestate maximâ [31] Naxum ferretur; ubi tum Atheniensium erat exercitus: sensit Themistocles, si eò pervenisset, sibi esse pereundum. Hac necessitate coactus, domino navis quis sit, aperit: multa pollicens si se conservasset. At ille clarissimi viri captus

INTERPRETATIO.

q *Tumque Rex alio in loco versaretur.*

r *Fidem supplici datam, publicè non violavit.*

NOTÆ.

civitas non procul à Mycænis ad Inachum amnem.

Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis. Virg. l. 7.

quæ ad discrimen aliarum ejusdem nominis urbium, Argos Hippium dicebatur, ab Equorum multitudine. Nam Hippos Græcè dicitur, Latinè Equus. Alterum Dipsium, ab aquæ penuriâ, quod & Phoronicum dictum est à Phoroneo primo Rege, teste Stephano. Est item Argos oppidum Thessaliæ, quod & Pelagiscon à Pelasgis. Porrò Argos locus erat certus ac definitus, in quo commorabantur qui testularum suffragiis urbe ejecti fuerant. Vide Plinium, Strabonem, Ptolomæum.

27 *Corcyram demigravit.*] Vide supra.

28 *Ad Admetum Molossorum Regem.*] Molossi à Molossiâ, quæ pars est Epiri, in qua olim nascebantur egregii canes, qui & Molossi dicebantur. Cur verò ad eum confugerit, infra ostenditur.

29 *Filiam ejus parvulam arripuit.*] Thucydides lib. 1. c. 8. ferè sub finem, filium, non filiam, eúmque, suadente Regina, arripuisse scribit, subjungitque idem Thucydides, Molossorum Regem à Themistocle fuisse vehementer obsecratum, ne rerum inter se anteactarum recordaretur, neque de misero vindictam sumeret, quod in levissimis eum rebus offendisset, hic verò de salute sua ageretur. Quod silentio præterit Nepos noster, immo verò Themistoclem cum eo hospitium habuisse refert.

30 *Itaque Pydnam eum deduci jussit.*] Urbem Macedoniæ, Stephanus Cydnam vocat. Hujus meminit Plin. lib. 4. c. 10.

31 *Naxum ferretur.* Unam ex Cycladibus, olim Baccho sacram, quæ hodie Nicsia.

misericordiâ;

misericordiâ; diem noctemque procul ab insula in salo navem tenuit in anchoris, neque quenquam ex ea exire passus est. [32] Inde Ephesum pervenit, ibique Themistoclem exponit: [f] cui ille pro meritis gratiam postea retulit. Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclem, Xerxe regnante, in Asiam transiisse. Sed ego potissimum [33] Thucydidi credo, quòd ætate proximus erat qui illorum temporum historiam reliquerunt, & ejusdem civitatis fuit. Is autem ait, [34] ad Artaxerxem eum venisse, atque his verbis epistolam misisse: *Themistocles veni ad te qui plurima mala omnium Graiorum in domum tuam intuli, quum mihi necesse fuit adversus patrem tuum bellare, patriamque meam defendere. Idem multò plura bona feci, postquam in tuto ipse ego, & ille in periculo esse cœpit. Nam quum in Asiam reverti nollet, prælio apud Salamina facto, literis eum certiorem feci, id agi ut pons, quem in Hellesponto fecerat, dissolveretur, atque ab hostibus circumiretur. Quo nuncio ille periculo est liberatus. Nunc autem ad te confugi [35] exagitatus à cuncta Græcia, tuam petens amicitiam: quam si ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis, quàm fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, ut de his rebus, quas tecum colloqui volo, [36] annum mihi temporis des, eoque transacto, me ad te venire patiaris.* Hujus rex animi magnitudinem admirans, cupiensque talem virum sibi conciliari, [t] veniam dedit. Ille omne id tempus literis sermonique Persarum dedit: quibus adeò eruditus est, ut multò commodiùs dicatur apud Regem verba fecisse, quàm hi poterant, [37] qui in Perside erant nati. Hic quum multa regi esset pollicitus, gratissimumque illud, si suis uti consiliis vellet, illum Græciam bello oppressurum: magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in [38] Asiam rediit,

INTERPRETATIO.

[f] *Quem posteà meritâ mercede donavit.* | [t] *Petitioni annuit.*

NOTÆ.

32 *Unde Ephesum pervenit.*] Urbem Ioniæ maritimam, Amazonum opus, & celeberrimo Dianæ templo totius Asiæ clarissimam. Stephanus.

33 *Sed ego potissimum Thucydidi credo.*] Thucydides Atheniensis, historiæ scriptor peritissimus de bellis Peloponnesi.

34 *Ad Artaxerxem.*] Artaxerxes, Xerxis filius fuit, qui & Longimanus dictus est, Persarum Rex. Porrò inter nomen Xerxis & Artaxerxis illud discrimen est, quòd alterum ab altero derivetur cum additamento illo honorifico *Art.* quod quidem apud Persas, Hesychio Interprete, significat magnum; ita ut Artaxerxes sit quasi magnus dominator.

35 *Exagitatus ab omni Græcia.*]A Venatoribus id translatum, qui nullibi feram consistere patiuntur, donec in potestatem eorum veniat.

36 *Annum mihi temporis des.*] Nimirum ut per illud literis, sermonique Persarum operam daret. Vide Valer. Max. lib. 8. c. 7. exter. 15.

37 *Qui in Perside erant nati.*] Hæc est imperii Persarum peculiaris regio, cujus caput Persepolis: nam Græci distinguunt inter Περσικὴ πόλις & πόλις Περσίδος Sic Salmasius.

38 *In Asiam rediit.*] Sc. minorem, quæ hodie Anatolia dicitur.

C

[39] domiciliumque Magnesiæ sibi constituit. Namque hanc urbem ei Rex donarat, his usus verbis, quæ panem præberet: (ex qua regione quinquaginta ei talenta quotannis redibant) [40] Lampsacum, unde vinum sumeret: [41] Myuntem, ex qua obsonium haberet. Hujus ad nostram memoriam monumenta manserunt duo: sepulcrum, [42] prope oppidum, in quo est sepultus: statuæ in foro Magnesiæ. De cujus morte multimodis apud plerosque scriptum est. Sed nos eundem potissimum Thucydidem autorem probamus, qui illum ait Magnesiæ morbo mortuum: neque negat fuisse famam, [43] venenum suâ sponte sumpsisse, quum se, quæ regi de Græcia opprimenda pollicitus esset, præstare posse desperaret. Idem [44] ossa ejus clàm in Attica ab amicis esse sepulta, [45] quoniam legibus non concederetur, quòd proditionis esset damnatus, memoriæ prodidit.

NOTÆ.

39 *Domiciliumque sibi Magnesia constituit.*] Magnesia urbs Ioniæ ad Meandrum amnem sita, juxta montem qui Thorax dicitur, in quo monte dicunt crucifixum fuisse Daphitam grammaticum, quod Reges suis versibus incesseret, unde ortum est proverbium, *Cave à Thorace.* quo utimur quum alicujus linguæ petulantiam compescere volumus. Ita Strabo lib. 14. & Pius II. summus Pontifex in sua Asiâ LXXXI. Magnesiam autem Themistocli idcirco à Persarum Rege datam esse existimo, quæ ei panem præberet, quia urbs illa in solo feracissimo sita est, nimirum in campis patentissimis per quos Mæandrus amnis multoties in se recurrens, illos suis aquis mirum in modum fœcundat.

40 *Lampsacum.*[Asiæ oppidum in Hellesponti litore clarum & nobile; hanc urbem à Priapo Bacchi & Veneris filio conditam antiqui referunt, inter quos Plutarchus, in libello de claris mulieribus, & Demosthenes. Ideo autem id commentum fuisse puto, quòd vini & tritici summa ibi sit copia; hinc Themistocli in vinum data.

41 *Myuntem.*] Urbem ad Mæandri ostia sitam, omnium piscium ubertate & copiâ prædivitem: hinc Themistocli in obsonium concessa. Vide Diodorum, Thucydidem, Strabonem, & Plinium.

42 *Prope oppidum.*] Athenas, juxta Pyræum portum. Vide infra.

43 *Venenum suâ sponte sumpsisse.*] Tauri sanguinem hausisse testatur Valerius Max. lib. 5. v. 6. nimirum in sacrificio, ut ab oppugnandâ suâ patriâ abstineret. Vide etiam Cicer. in Bruto. Thucydides tamen & Herodotus, & alii plures de Taurino sanguine nihil prodiderunt.

44 *Ossa ejus clam in Atticâ ab amicis esse sepulta.*] Alii palam & Oraculi jussu id factum aiunt, quod non prius pestis finem fore responderat, quam Themistoclis ossa Magnesiâ reducta essent. Sic Pausanias in Atticis. At nec Herodotus, nec Thucydides ejus rei mentionem faciunt.

45 *Quoniam legibus non concederetur.*] Cautum enim legibus erat ne quicumque sacrilegii reus esset, vel Patriam prodidisset, ejus ossa in Atticâ sepelirentur. Vide ea de re Xenoph. lib. 1. de rebus Græciæ, c. ultimo; & Plutarchum in Phocione, de quo infra.





III.

ARISTIDES LYSIMACHI FILIUS, ATHENIENSIS.

1 ÆQUALIS ferè fuit Themistocli. Itaque cum eo [2] de principatu contendit [a] Namque obtrectarunt inter se. In his autem cognitum est quanta antistaret eloquentia innocentiæ. Quanquam enim adeò excellebat Aristides abstinentiâ, ut unus post hominum memoriam, quod quidem nos audiverimus, [3] cognomine JUSTUS sit appellatus: [b] tamen [4] à Themistocle collabefactus testulâ illâ, exilio decem annorum mulctatus est. Qui quidem quum intelligeret reprimi concitatam multitudinem non posse: cedensque animadverteret [5] quendam scribentem, ut patriâ pelleretur, quæsisse ab eo dicitur. Quare id faceret, aut quid Aristides commisisset, cur tantâ pœnâ dignus duceretur? Cui ille respondit, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere quòd cupidè elaborasset, ut præter cæteros JUSTUS appellaretur. [6] Hic decem annorum legitimam pœnam non pertulit. Nam postquam Xerxes in Græciam descendit, sexto ferè anno postquam erat expulsus, plebiscito in patriam restitutus est. Interfuit autem pugnæ navali

INTERPRETATIO.

a *Namque se mutuò criminati sunt.*

b *Nihilominus per Themistoclem Ostracismo illo condemnatus.*

NOTÆ.

1 *Æqualis ferè fuit.*] Id de ætatis & dignitatis æqualitate simul intelligi potest, non verò de morum conformitate; Aristides enim placidus &animo tranquillus; Themistocles contrà fervens &ambitiosus

2 *De Principatu contendit.*] Nimirum uter alteri in administranda civitate cederet.

3 *Cognomine justus sit appellatus.*] Vide Ciceronem pro Sextio, & Tuscul. 5. *Aristides nonne ob eam causam expulsus est patriâ, quod præter modum justus esset.* Cui subjunge Plutarchum in ejus vitâ.

4 *A Themistocle collabefactus testulâ illâ.*] Hæc erat lex Ostracismi, ut paulò supra in Themistocle.

5 *Quemdam scribentem, ut patriâ pelleretur.*] Quisque enim Civium, ut supra dictum est, in calculo suo ejus nomen scribebat, quem vellet exulem fieri.

6 *Hic decem annorum legitimam pœnam non pertulit.*] Ne eo sensu intelligas *legitimam*, quòd foret justa, sed lege Ostracismi decretam.

apud Salamina, [7] quæ facta est priùs quàm pœnâ liberaretur. Idem prætor fuit Atheniensium [8] apud Platæcas, [9] in prælio quo Mardonius fusus, barbarorumque exercitus est interfectus. Neque aliud est ullum hujus in re militari illustre factum, quàm hujus imperii memoria: Justitiæ vero & æquitatis & innocentiæ multa. Imprimis, quòd ejus æquitate factum est, quum in communi classe esset Græciæ simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperii maritimi à Lacedæmoniis transferretur ad Athenienses. Namque ante id tempus & mari & terrâ duces erant Lacedæmonii. [10] Tum autem & intemperantiâ Pausaniæ, & justitiâ factum est Aristidis, ut omnes ferè civitates Græciæ ad Atheniensium societatem se applicarent: & adversus barbaros,hos duces deligerent sibi, quò facilius repellerent, si fortè bellum renovare conarentur. Ad classes ædificandas, exercitusque comparandos, quantum pecuniæ quæque civitas daret. Aristides delectus est, qui constitueret. Ejus arbitrio [11] quadringenta & sexaginta talenta quotannis [12] Delum sunt collata. Id enim commune ærarium esse voluerunt. Quæ omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. Hic quâ fuerit abstinentiâ, nullum est certius indicium, quàm quòd quum tantis rebus præfuisset, in tanta paupertate decessit [c] ut qui efferretur, vix reliquerit. Quo factum est ut filiæ ejus publicè alerentur, & de communi ærario dotibus datis, collocarentur. Decessit autem ferè post annum quartum quàm Themistocles Athenis erat expulsus.

INTERPRETATIO.

c *Ut unde funus fieret ægrè ipsi superfuerit.*

NOTÆ.

7 *Quæ facta est priusquum pœnâ liberaretur.*] Id est, priusquam pœnæ tempus Ostracismi lege constitutum absolveretur, quia plebiscito ante illud revocatus est.

8 *Apud Plateas.*] Urbem Bœotiæ, de quâ supra in Miltiade.

9 *In prælio quo Mardonius.*] Satrapes Xerxis, Natione Medus.

10 *Tùm autem & intemperantiâ Pausaniæ, & justitiâ factum est Aristidis.*] De Pausaniæ intemperantiâ postea. De justitiâ verò Aristidis hoc accipe; cùm enim ille ictum fœdus cum omni Græciâ firmaret, post diras execrationes, accensos ferreos orbes in mare dejecit; adjurans, ut ita extinguerentur cum omni stirpe & Gente, qui contra fœdus irent. Thucydides lib. 1. & Plutarchus in Aristide.

11 *Quadringenta & sexaginta talenta.*] Duplex erat talentum apud Atticos, magnum,& minus · magnum minas octingentas habebat:minus,coronatos sexcentos. Ideoque vel si de minore hic sermo est, quadringenta & sexaginta talenta, summam efficient nostri æris Ducenties septuagies sexies mille aureorumCoronatorum. *Schottus.*Vide &Jul.Pollucem lib. 9. & Budæum de Asse.

12 *Delum sunt collata.*] Una est Cycladum omnium notissima, prius Ortygia à Coturnicibus,quas Græci Ortygas vocant. Plin. lib. 4.





IV.

[1]PAUSANIAS LACEDÆMONIUS.



MAGNUS homo, ſed varius in omni genere vitæ fuit. Nam ut virtutibus eluxit, ſic vitiis eſt obrutus. Hujus illuſtriſſimum eſt prælium [2] apud Platæeas. Namque illo duce Mardonius, ſatrapes regius, natione Medus, [3] regis gener, in primis omnium Perſarum & manu fortis & [4] conſilii plenus, cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat, & viginti millibus equitum, haud ita magnâ manu Græciâ fugatus eſt: [5] eóque ipſe dux cecidit prælio. Quâ victoriâ elatus [a] plurima miſcere cepit, & majora concupiſcere. Sed primùm in eo eſt reprehenſus, quòd quum ex præda [6] tripodem aureum Delphis poſuiſſet, epigrammate ſcripto in quo erat hæc ſententia, *Suo ductu barbaros apud Plataeas eſſe deletos, ejuſque victoriæ ergò Apollini donum dediſſe.* [7] Hos verſus Lacedæmonii exſcalpſerunt, neque aliud ſcripſerunt, quàm nomina earum civitatum, quarum auxilio Perſæ erant victi. Poſt id prælium, eundem Pauſaniam cum claſſe communi [8] Cyprum atque Helleſpontum miſerunt, ut ex his regionibus barbarorum præſidia depelleret. Pari felicitate in ea re uſus, elatiùs ſe

INTERPRETATIO.

a *Multa turbare aggreſſus eſt.*

NOTÆ.

1 PAUSANIAS.] Cleombroti filius, Paterque alterius Cleombroti Lacedæmoniorum Ducis, qui temerè cum Epaminunda pugnans vulnere occubuit, exercituſque ejus deletus eſt.

2 *Apud Plataeas.*] Vide ſup. in Miltiade.

3 *Regis gener.*] Darii, cujus filiam Artozoſtren nomine duxerat, Xerxiſque tunc Perſis imperantis ſororis maritus. Herodotus lib. 6.

4 *Conſilii plenus.*] In eo tamen plus audaciæ quàm prudentiæ fuiſſe teſtatur idem Herodotus in Calliope.

5 *Eo ipſe dux cecidit prælio.*] Ictus nimirum lapide Mardonius periit. Plutarchus in Ariſtide.

6 *Tripodem aureum Delphis poſuiſſet.*] Mos victoribus erat, ut ex hoſtium prædâ Tripodem Apollini plerumque conſecrarent, idque præſertim inter Græcos, quod frequenter in Attica hiſtoria legitur. Thucydides lib. 1. c. 8.

7 *Hos verſus Lacedæmonii exſcalpſerunt.*] Idem, ibidem.

8 *Cyprum, atque Helleſpontum miſerunt.*] Cyprus inſula eſt in Pamphilico mari, Veneri ſacra. Helleſpontus verò fretum anguſtum Europam ab Aſiâ dividens, Propontidem inter & mare Ægeum, nunc vulgò, *Stretto di Gallipoli.*

gerere cœpit, majoresque appetere res. [9] Nam quum Byzantio expugnato cepisset complures Persarum nobiles, atque in his nonnullos regis propinquos: hos clam Xerxi remisit, simulans ex vinculis publicis effugisse: & cum his Gongylum Eretriensem, qui litteras regi redderet, in quibus hæc fuisse scripta Thucydides memoriæ prodidit: *Pausanias dux Spartæ, quos Byzantii ceperat, postquam propinquos tuos cognovit, tibi muneri misit, seque tecum affinitate conjungi cupit. Quare, si tibi videtur, des ei filiam tuam nuptum. Id si feceris, & Spartam & cæteram Græciam sub tuam potestatem, se adjuvante, redacturum pollicetur. His de rebus si quid geri volueris, certum hominem ad eum mittas face, cum quo colloquatur.* Rex tot hominum salute, tam sibi necessariorum, magnopere gavisus, confestim cum epistola [10] Artabazum ad Pausaniam mittit, in qua eum collaudat, ac petit, ne cui rei parcat ad ea perficienda, quæ pollicetur. Si fecerit, nullius rei à se repulsam laturum. Hujus Pausanias voluntate cognitâ, alacrior ad rem gerendam factus, in suspicionem cecidit Lacedæmoniorum. In quo facto domum revocatus, accusatus capitis, absolvitur: mulctatur tamen pecuniâ. Quam ob causam ad classem remissus non est. [b] At ille pòst non multò, suâ sponte ad exercitum rediit, & ibi non callidâ, sed dementi ratione cogitata patefecit. Non enim mores patrios solùm, sed etiam cultum vestitumque mutavit. Apparatu regio utebatur. [11] veste Medicâ: [12] satellites Medi & Ægyptii sequebantur: epulabatur more Persarum luxuriosiùs, quam qui aderant, perpeti possent. Aditum petentibus conveniendi non dabat: superbè respondebat, & crudeliter imperabat. Spartam redire nolebat. [13] Colonas, qui locus in agro Troade est, se contulerat: ibi consilia cùm patriæ, tum sibi inimica capiebat. Id postquam Lacedæmonii resciverunt, [14] legatos ad eum cum scytala miserunt, in qua more illorum erat

INTERPRETATIO.

b *Ille verò post breve tempus privato consilio ad castra reversus est.*

NOTÆ.

9 *Nam quum Byzantio expugnato.*] Urbe Thraciæ ad Bosphorum sitâ, nunc Constantinop. à Constantino instauratore dictâ.

10 *Artabazum ad Pausaniam mittit.*] Artabazus ille summus Xerxis præfectus fuit, de quo Herodotus lib. 9. & Thucydides lib. 1. quod patet ex ejus nominis Etymologiâ, Hesychius, Stephanus.

11 *Veste Medicâ.*] Ut ostenderet se jam ad Medos & Persas defecisse. Medorum autem vestem purpuream fuisse scribit Xenoph. lib. 1. de Cyri vitâ.

12 *Satellites Medi & Ægyptii sequebantur.*] Quales Persarum Reges habent, qui Doryphori dicuntur & Melophori, quia aurea mala hastis præfixa ferunt, vel à colore vestis Melino. Ælianus, & Athenæus lib. 12. cap. 3.

13 *Colonas.*] De hoc loco meminit Thucydides lib. 1. c. 8. Non procul à Lampsaco, Milesiorum Colonia. Strabo lib. 13.

14 *Legatos ad eum cum scytalâ miserunt.*] Scytala, quantùm hic ego conjicio, epistolæ jussoriæ & comminatoriæ genus est, sigillo quodam publico obsignatæ, quâ Lacedæmonii ad revocandos Imperatores suos uti solebant, cujus formam depingunt Plutarchus in Lysandro, & Gellius lib. 17.

ſcriptum, niſi domum reverteretur, ſe capitis eum damnaturos. Hoc nuncio motus, ſperans ſe etiam pecuniâ & potentiâ inſtans periculum poſſe depellere, domum rediit. Huc ut venit, ab ephoris in vincula publica conjectus eſt. [15] Licet enim legibus eorum, cuivis ephoro hoc facere regi. Hinc tamen ſe expedivit: neque eò magis carebat ſuſpicione, nam opinio manebat, eum cum rege habere ſocietatem. [16] Eſt genus quoddam hominum, quod Helotes vocatur, quorum magna multitudo agros Lacedæmoniorum colit, ſervorumque munere fungitur. Hos quoque ſollicitare ſpe libertatis exiſtimabatur. Sed quòd harum rerum nullum erat apertum crimen, quo argui poſſet, non putabant de tali tamque claro viro ſuſpicionibus oportere judicari: ſed expectandum, dum ſe ipſa res aperiret. Interim Argilius quidam adoleſcentulus, quem puerum Pauſanias amore Venereo dilexerat, quum epiſtolam ab eo ad Artabazum accepiſſet, eique in ſuſpicionem veniſſet, aliquid in ea de ſe eſſe ſcriptum, quòd nemo eorum rediſſet, qui ſuper tali cauſa eodem miſſi erant: vincula epiſtolæ laxavit, ſignoque detracto, cognovit, ſi pertuliſſet, ſibi eſſe pereundum. Erant in eadem epiſtola quæ ad ea pertinebant, quæ inter regem Pauſaniamque convenerant. Has ille litteras ephoris tradidit. Non eſt prætereunda gravitas Lacedæmoniorum hoc loco. Nam-ne hujus quidem indicio impulſi ſunt, ut Pauſaniam comprehenderent: neque priùs vim adhibendam putaverunt, [c] quàm ſe ipſe indicaſſet. Itaque huic indici, quid fieri vellent, præceperunt. [17] Fanum Neptuni eſt Tænari, quod violari nefas putant Græci: eò ille index confugit: in ara conſedit. Hanc juxta, locum fecerunt ſub terra, ex quo poſſet audiri, ſi quis quid loqueretur cum Argilio. Huc ex ephoris quidam deſcenderunt. Pauſanias ut audivit, Argilium confugiſſe in aram, perturbatus eò venit. [18] Quem quum ſupplicem dei videret in ara ſedentem, quærit, cauſæ quid ſit tam repentino conſilio. Huic ille quid ex litteris comperiſſet, aperit.

INTERPRETATIO.

c *Quàm ſe reum exhibuiſſet.*

NOTÆ.

15 *Licet enim cuivis Ephoro, legibus eorum, hoc facere Regi.*] De Ephororum poteſtate ſuprà diximus.

16 *Eſt genus quoddam hominum quod Helotes vocatur.*] Erant ſervi publici apud Lacedæmonios, præpoſiti agris arandis & coædis, quorum tamen tantum jus erat, ut civitatem Spartanam aſſequi poſſent. De quibus vide Thucydidem lib. 1. c. 6. Platonem 6. de Legibus, Ariſtot. 11. Politic. c. 7. Horum fides erat admodum lubrica, & impulſu ad mutationem facilis. Polyæn. l. 1.

17 *Fanum Neptuni eſt Tænari.*] Tænarus promontorium eſt Laconicæ regionis, in quo fauces erant ad inferos deſcendentes, quò hippocampos ſuos Neptunus ſubducere credebatur, unde fanum ipſi dicatum eſt.

18 *Quem quum ſupplicem Dei.*] Id eſt, Neptuni.

Tanto magis Pausanias perturbatus orare cœpit, *ne enunciaret, nec se meritum de illo optimè, proderet.* [d] *Quòd si eam veniam sibi dedisset, tantisque implicitum rebus sublevasset, magno esse ei præmio futurum.* His rebus ephori cognitis, satiùs putaverunt in urbe eum comprehendi, quò, quum essent profecti, Pausanias placato Argilio (ut putabat) Lacedæmonem reverteretur: in itinere, [e] quum jam in eo esset, ut comprehenderetur, è vultu cujusdam ephori, qui eum admonere cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. Itaque paucis antè gradibus, quàm qui sequebantur, [19] in ædem Minervæ, quæ Chalciœcus vocatur, confugit. Hinc ne exire posset, statim ephori [20] valvas ejus ædis obstruxerunt, tectumque sunt demoliti, [f] quò faciliùs sub dio interiret. Dicitur eo tempore matrem Pausaniæ vixisse: [g] eamque jam magno natu, postquam de scelere filii comperit, in primis ad filium claudendum, lapidem ad introitum ædis attulisse. Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculavit. Hic quum semianimis de templo elatus esset, [21] confestim animam efflavit. Cujus mortui corpus quum eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quò hi qui ad supplicium essent dati: displicuit pluribus; & procul ab eo loco infoderunt, in quo erat mortuus. [22] Inde posteriùs, Dei Delphici responso erutus, atque eodem loco sepultus, ubi vitam posuerat.

INTERPRETATIO.

d *Quod si eo beneficio se devinxisset.*
e *Quum jam prope esset ut caperetur.*
f *Ut celeriùs sub aperto cœlo moreretur.*
g *Eamque jam longævam.*

NOTÆ.

19 *In ædem Minervæ quæ Chalciœcus vocatur.*] De eadem Æde Minervæ sacrâ loquitur Thucydides lib. 1. in quam velut ad Asylum facinorosi confugisse videntur, hucque fugientes impunitate donari: Chalciœcus dictus, teste Suida, ἢ, ὅτι Χαλκοῦν οἶκον εἶχεν ἢ ἀπὸ τοῖς Χαλκιδεῦσι τοῖς ἐν Εὐβοίᾳ φυγάσι αὐτὸν κτίσαι.

20 *Valvas ejus ædis obstruxerunt.*] Non Ephoros, sed Patrem Pausaniæ eas obstruxisse ait Plutarch. qua in re errare videtur, quemadmodum & in ejus Patris nomine, quem Agesilaum vocat; cum sit Cleombrotus, ut supra dictum est; id vero Matri ejus imputat Nepos, ut infra legitur, cui nomen erat Theano, Polyæno authore lib. 8.

21 *Confestim animam efflavit.*] Huic opinioni adversatur Xenophon lib. 3. de rebus Græciæ, scribitque Pausaniam damnatum Tegeam profugisse, ibique morbo periisse.

22 *Inde posteriùs Dei Delphici responso erutus.*] Diodorus ait Apollinem, qui Delphicus Deus dicitur, Lacedæmoniis iratum, quòd supplicum asylum violassent, respondisse, Supplicem Deo restitui oportere; quod quum fieri non posse viderent, pro uno corpore vivo duas statuas Pausaniæ posuisse. Sic etiam ferè Thucydides, lib. 1. sed præter duas statuas æneas, corpus ejus, oraculi mandato, huc delatum ac conditum esse scribit.



CIMON



V.

CIMON MILTIADIS FILIUS, ATHENIENSIS.

ª DURO admodum initio usus est adolescentiæ. Nam quum pater ejus [1] litem æstimatam populo solvere non potuisset, ob eámque causam in vinculis publicis decessisset: Cimon eadem custodiâ tenebatur, [2] neque legibus Atheniensium emitti poterat, nisi pecuniam, quâ pater mulctatus esset, solvisset. Habebat autem in matrimonio [3] sororem suam germanam nomine Elpinicen, non magis amore, quàm patrio more ductus. Nam Atheniensibus licet, eodem patre natas, uxores ducere. [4] Hujus conjugii cupidus Callias quidam, non tam generosus quàm pecuniosus, qui magnas pecunias ex metallis fecerat, egit cum Cimone ut eam sibi uxorem daret: id si impetrasset, se pro illo pecuniam soluturum. [5] Is quum talem conditionem aspernaretur, Elpinice negavit se passuram Miltiadis progeniem in vinculis publicis interire, quoniamque prohibere posset, se Calliæ nupturam, si ea, quæ polliceretur, præstitisset. Tali modo custodiâ liberatus Cimon, celeriter ad principatum pervênit. Habebat enim satis eloquentiæ, summam liberalitatem, magnam prudentiam cùm juris civilis, tum rei militaris, quòd cum patre à puero in exercitu fuerat versatus.

INTERPRETATIO.

ª *Durissimum habuit juventutis exordium.*

NOTÆ.

1. *Litem æstimatam populo solvere non potuisset.*] Nimirum quinquaginta talentis, ut supra in Miltiade. Vide Senecam lib.4.Controvers.26. & Quintil.Dec.103.

2. *Neque legibus Atheniensium emitti poterat.*] Tyrannorum filii, apud Græcos, parentum crimina luebant; ut scribit Alex. Neapol. lib. 11. c. 16.

3. *Sororem suam germanam.*] Ut in præfatione.

4. *Hujus conjugii cupidus Callias quidam.*] Vir ditissimus, qui apud Athenienses λακκόπλουτος dictus, quod ex puteis & fodinis divitias parasset. Hunc sordidè divitem natum vocat Seneca controversiâ 24. lib. 4. De hoc Divite vide Athenæum lib. 12. c. 8. & 17. Et Theophrastum lib. [illegible]

5. *Is quum talem conditionem aspernaretur.*) Contrà, facilem illum & paratum ad hanc conditionem asserit Plutarchus.

[6] Itaque hic & populum urbanum in sua tenuit potestate, & apud exercitum plurimùm valuit autoritate. [7] primùm imperator apud flumen Strymona [8] magnas copias Thracum fugavit: [9] oppidum Amphipolim constituit, eòque decem millia Atheniensium in coloniam misit. Idem [10] iterum apud Micalen [11] Cypriorum & Phœnicum ducentarum navium classem devictam cepit: eodémque die pari fortunâ in terra usus est. Namque hostium navibus captis, [12] statim ex classe copias suas eduxit, barbarorum uno concursu maximam vim prostravit. Quâ victoriâ, magnâ prædâ potitus, quum domum reverteretur, quòd jam nonnullæ insulæ propter acerbitatem imperii defecerant, [b] bene animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coëgit. [13] Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant, [14] quod contumaciùs se gesserat, vacuefecit: [15] Sessores veteres urbe insulâque ejecit, [16] agros civibus divisit. [17] Thasios opulentiâ fretos, suo adventu fregit. His ex manubiis arx Athenarum, quà ad meridiem vergit, est ornata. Quibus rebus quum unus in civitate maximè floreret, incidit in eandem invidiam quàm pater suus cæterique Atheniensium principes. [18] Nam testarum suffragiis, quod il-

INTERPRETATIO.

b Bene affectas corroboravit.

NOTÆ.

6. *Itaque hic & populum urbanum.*] Id est, in urbe morantem.

7. *Primum Imperator ad flumen Strymona.*] Quo Macedonia a Thraciâ dividitur.

8. *Magnas copias Tracum.*] Quia tunc Thraces in Persarum exercitu militabant.

9. *Oppidum Amphipolim constituit.*] Sic dictum, quòd utrimque Strymone fluvio alluitur. Plin. 4. 10. 23. & aliis in locis. Urbs ista media est Macedoniam inter & Thraciam; hodie *Chrysopoli.*

10. *Iterum apud Micalen.*] Nomen montis in Cariâ, Ad Eurymedontem fluvium in Pamphiliâ pugnam commissam fuisse ait Pompon. Mela lib. 1. c. 14.

11. *Cypriorum & Phœnicum.*] De Cypro insula jam dictum est in Pausaniâ, Phœnices verò populi à Phœniciâ oriundi: Phœnicia autem Regio est Syriæ maritima, Judææ contermina, cujus præcipuæ urbes fuerunt, Tyrus & Sydon ad mare.

12. *Statim ex classe copias suas eduxit.*] De hoc Stratagem. Polyæn. lib. 1.

13. *Scyrum, quam eo tempore Dolopes incolebant.*] Scyros insula est in Ægeo mari, in qua Achilles fœminam mentitus delituit inter Lycomedis Regis filias. Dolopes verò populi erant Thessaliæ, è cujus regione Scyros sita est, prope Pindum habitabant, unde Achelous amnis ad Echinadas cursum præcipitat.

14. *Quod contumaciùs se gesserat, vacuefecit.*] Id est, Insulam à Dolopibus, qui, ut refert Plutarchus, pyraticam artem exercebant, occupatam repurgavit.

15. *Sessores veteres urbe insulaque ejecit.*] Quidam legunt *Possessores*; solos tamen Dolopes inde ejectos propter eorum rapinas vult Plutarchus.

16. *Agros civibus divisit.*] Id est, Coloniam huc deduxit, cui agros hujus Insulæ distribuit.

17. *Thasios opulentiâ fretos.*] Thasus insula est maris Ægei, Thraciæ adjacens, generosis vitibus, & insigni marmoris genere nobilitata; unde Thasii, quos Cimon navali prælio debellavit.

18. *Nam testarum suffragiis.*] De Ostracismo supra dictum est in Miltiade, & Themistocle.

ὀστρακισμὸν vocant, decem annorum exilio multatus est. Cujus facti celeriùs Athenienses quàm ipsum pœnituit. Nam quum ille forti animo, invidiæ ingratorum civium cessisset, bellumque Lacedæmonii Atheniensibus indixissent; confestim notæ ejus virtutis desiderium consequutum est. Itaque post annum quintum, quo expulsus erat, in patriam revocatus est. [19] Ille, quòd hospitio Lacedæmoniorum utebatur, satiùs existimans eos, & cives suos inter se unâ voluntate consentire, quam armis contendere; Lacedæmonem suâ sponte est profectus, pacemque inter duas potentissimas civitates conciliavit. Post neque ita multò in Cyprum cum ducentis navibus imperator missus, quum ejus majorem partem insulæ devicisset, in morbum implicitus, [20] in oppido Citio est mortuus. Hunc Athenienses non solùm in bello, sed in pace diu desideraverunt. Fuit enim tantâ liberalitate, quum compluribus locis prædia hortósque haberet, ut nunquam eis custodem posuerit, fructus servandi gratiâ, ne quis impediretur quò minùs ejus rebus, quibus vellet, frueretur. [21] Semper eum pedissequi cum nummis sunt secuti, ut si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, [22] ne differendo videretur negare. [c] Sæpe quum aliquem offensum fortunâ, videret minùs bene vestitum, suum amiculum dedit. Quotidie sic cœna ei coquebatur, [d] ut quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret: quod facere nullum diem prætermittebat. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit: multos locupletavit. Complures pauperes mortuos [e] qui unde efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit. Sic se gerendo minimè est mirandum, [f] si & vita ejus fuit secura, & mors acerba.

INTERPRETATIO.

c *Quum non rarò aliquem fortè sibi obvium cerneret male indutum.*

d *Ut quos in foro non invitatos aspiceret, universos invitaret.*

e *Quibus non supererat unde funus ipsis pararetur, suis impensis paravit.*

f *Si & tutè vixit, & cum omnium luctu obiit.*

NOTÆ.

19 *Ille quod hospitio Lacedæmoniorum utebatur.*] Quia, scilicet, in Spartanorum agris exulabat Ostriacismi causâ.

20 *In oppido Citio est mortuus.*] Hanc urbem expugnatam à Cimone negat Thucydides lib. 1. c. 6. Immò vero in obsidione urbis morte fuisse eum occupatum ait; cui opinioni Diodorus adversatur; nam & Citium expugnasse, & in cives ejus humanum se præbuisse scribit, unde Plutarchus refert ex Nausicrate Rhetore Citienses quoddam Cimonis sepulchrum coluisse, qui Oraculi cujusdam jussu eum quasi Deum in adversitatibus venerabantur. Citium autem est urbs Cypri in quâ Zeno Stoïcorum Sectæ conditor natus est.

21 *Semper eum pedissequi cum nummis sunt secuti.*] Hos hodie ab eleemosynis ministros dicimus. De Cimonis liberalitate, idem refert Plutarch. in Pericle.

22 *Ne differendo videretur negare.*] Cui sententiæ illud P. Syri conforme est. *Beneficium bis dat, qui dat celeriter.* Et illud Ausonii:

Gratia quæ tarda est, ingrata est gratia,
Namque,
Quæ fieri properat gratia, grata magis.

VI.

[1] LYSANDER [2] LACEDÆMONIUS.

MAGNAM reliquit sui famam, magis felicitate quàm virtute partam. Athenienses enim [3] in Peloponnesios sexto & vigesimo anno bellum gerentes confecisse apparet. Id quâ ratione consecutus sit, latet. Non enim virtute sui exercitus, sed immodestiâ factum est adversariorum, [a] qui quòd dicto audientes imperatoribus sui non erant, dispalati in agris, relictis navibus, in hostium venerunt potestatem. Quo facto Athenienses se Lacedæmoniis dediderunt. Hâc victoriâ Lysander elatus, quum antea semper factiosus audáxque fuisset, [b] sic sibi indulsit, ut ejus operâ in maximum odium Græciæ Lacedæmonii pervenerint. Nam quum hanc causam Lacedæmonii dictitassent sibi esse belli, ut Atheniensium impotentem dominationem refringerent: postquam apud [4] Ægos flumen Lysander classis hostium est potitus, nihil aliud molitus est, quàm ut omnes civitates in sua teneret potestate, quum id se Lacedæmoniorum causâ facere simularet. Namque undique qui Atheniensium rebus studuissent, ejectis, [5] decem delegerat in unaquaque civitate, quibus summum imperium potestatémque omnium rerum committeret. Horum in numerum nemo admittebatur

INTERPRETATIO.

a *Qui quia suorum Ducum mandatis minimè obtemperabant.*

b *Adeò se impotenter gessit.*

NOTÆ.

1 LYSANDER.] Aristocleti filius, ex Heraclidarum genere. Plutarchus in Lysandro.

2 LACEDÆMONIUS.] Apud Athenæum lib. 6. Mothacem eum fuisse asserit Theopompus. Idem quoque testatur Ælianus lib. 12. c. 43. *Quod nomen imponebatur iis, quos Patres in Gymnasia locupletum, exercitatum mitterent.* Alii Mothaces volunt fuisse conditione servas; à verbo Græco *μόθαξ*, *verna*; vel *μόθο*. *labor.*

3 *In Peloponnesios.*] Peloponnesii à Peloponneso dicti, peninsula quæ hodie Morea, de qua supra.

4 *Ægos.*] Chersonesi Thraciæ fluvius, ad cujus ostia Atheniensium classis à Lysandro aut capta fuit, aut submersa; sic dictus quasi Capræ fluvius. Plinius lib. 2.

5 *Decem delegerat.*] Hos Xenophon *δεκαρχίας* vocat lib. 3. de rebus gr. Athenis autem 30. præfecerat, decem verò, Piræco. Plutarch. Hi postea urbem oppresserunt, dictique sunt 30. τύραννοι. Xenophon ibidem.

[c] nisi qui aut ejus hospitio contineretur, [d] aut se illius fore proprium fide confirmarat. Ita decemvirali potestate in omnibus urbibus constitutâ, ipsius nutu omnia gerebantur, [6] cujus de crudelitate ac perfidia satis est unam rem exempli gratiâ proferre, ne de eodem plura enumerando fatigemus lectores. Victor ex Asia quum reverteretur, [7] Thasúmque divertisset, quòd ea civitas præcipuâ fide fuerat erga Athenienses, proinde ac si iidem firmissimi solerent esse amici, qui constantes fuissent inimici [8] eam pervertere concupivit. Vidit autem, nisi in eo occultasset voluntatem, [9] futurum ut Thasii dilaberentur, [10] consulerentque rebus suis.

Desideratur hic exemplum Lysandri crudelitatis & perfidiæ in Thasios.

Itaque decemviralem suam potestatem, sui ab illo constitutam sustulerunt. Quo dolore incensus iniit consilia reges Lacedæmoniorum tollere, sed sentiebat id se sine ope deorum facere non posse, quòd Lacedæmonii omnia ad oracula referre consueverant. [11] Primùm itaque Delphos corrumpere est conatus. Quum id non potuisset, [12] Dodonam adortus est. Hinc quoque repulsus, dixit se vota suscepisse, [13] quæ Jovi Hammoni solveret, existimans se Afros faciliùs corrupturum. Hac spe quum profectus esset in Africam, multum

INTERPRETATIO.

c *Nisi qui vel hospitum ejus numero haberentur.*

d *Vel se penitus ipsi addictum* sacramento *sponderet.*

NOTÆ.

6 *Cujus de crudelitate ac perfidiâ.*] Hæc sunt illius perfidiæ argumenta, quod dicere solebat, ubi leonina pellis non proficeret, vulpinam esse assuendam. Item, pueros taxillis, homines verò jurejurando fallendos; vide Plutarchum, qui eum cum Syllâ comparat.

7 *Thasúmque divertisset.*] Insulæ nomen simul & civitatis, de qua supra in Cimone.

8 *Eam pervertere concupivit.*] Id est, ab Atheniensium partibus ad Lacedæmoniorum partes eam abducere tentavit.

9 *Futurum ut Thasii dilaberentur.*] Id est, ut apertè deficerent.

10 *Consulerent rebus suis.*] Quandoquidem hic desunt nonnulla, conjiciendum est in iis quædam perfidiæ Lysandri exempla narrari; & fortè etiam quædam alia, propter quæ Ephori decemviralem potestatem ab eo in Civitatibus constitutam abrogarent. Vide ea de re Plutarchum in Lysandro, & Diodorum lib. 12.

11 *Primum itaque Delphos corrumpere est conatus.*] Hos, nempe, qui in Templo Apollinis Delphici Oraculis præerant.

12 *Dodonam adortus est.*] Urbem Chaoniæ in Epiro Jovi sacram; ab hac urbe quernum illud nemus Dodoneum dictum, ubi templum & oraculum vetustissimum. Lege Sophoclem in Trachiniis, & Herodotum qui multa de hoc oraculo fabulosè scripserunt.

13 *Quæ Jovi Hammoni solveret.*] Jovis oraculum fuit in Lybia, toto orbe celeberrimum, hic sub Arietis formâ Jupiter colebatur. Vide Q. Curtium lib. 4. c. 7.

14. *Existimans se Afros.*] Afri ab Africâ dicti, quæ tertia est Orbis terrarum pars ferè tota sub Zonâ torridâ. Ideo autem se Afros faciliùs corrupturum putabat, quod sint lubricæ fidei, unde apud Livium, *Fraus plusquam punica.*

cum Antistites Jovis fefellerunt, nam non solùm corrumpi non potuerunt, sed etiam legatos Lacedæmona miserunt qui Lysandrum accusarent, quod Sacerdotes fani corrumpere conatus esset. Accusatus hoc crimine, judicúmque absolutus sententiis, [15] Orchomeniis missus subsidio, occisus est à Thebanis, [16] apud Haliartum. Quàm verè de eo foret judicatum, oratio indicio fuit, quæ post mortem in domo ejus reperta est, in qua suadet Lacedæmoniis ut regiâ potestate dissolutâ, ex omnibus dux deligatur ad bellum gerendum: sed ita scripta, ut deorum videretur congruere sententiæ, quam ille se habiturum, pecuniâ fidens, non dubitabat. Hanc ei scripsisse [17] Cleon Halicarnasseus dicitur. Atque hoc loco non est prætereundum factum [18] Pharnabazi satrapis regii. Nam quum Lysander præfectus classis, in bello multa crudeliter avaréque fecisset, déque his rebus suspicaretur ad cives suos esse perlatum: petiit à Pharnabazo, ut ad Ephoros sibi testimonium daret, quantâ sanctitate bellum gessisset, sociosque tractasset, déque ea re accuratè scriberet: magnam enim ejus autoritatem in ea re futuram. Huic ille liberaliter pollicetur: [e] librum gravem multis verbis conscripsit, in quo summis eum fert laudibus. Quem cùm legisset, probassétque, dum obsignatur, alterum pari magnitudine, ut discerni non posset, signatum subjecit, in quo accuratissimè ejus avaritiam perfidiamque accusarat. Hinc Lysander domum quum redisset, postquam de suis rebus gestis apud maximum magistratum, quæ voluerat, dixerat, testimonii loco librum à Pharnabazo datum tradidit. Hunc, summoto Lysandro, quum Ephori cognossent, ipsi legendum dederunt. Ita ille imprudens ipse suus fuit accusator.

INTERPRETATIO.

e *Prolixam Epistolam exaravit, & , ponderosam.*


NOTÆ.

15 *Orchomeniis missus subsidio.*] Orchomenus, seu, Orchomenum Bœotiæ oppidum, ad fluvium ejusdem nominis situm, cui olim Thebani tributum pependerunt. Strabo l. 9. Fuit item ejus nominis in Arcadiâ, de quo non hìc sermo est.

16 *Apud Haliartum.*] Nomen urbis Bœotiæ, quam Haliartus Thesandri filius condidit, Strabo lib. 9.

17 *Cleon Halicarnasseus.*] Nomen Sophistæ ex Halicarnasso urbe Cariæ principe, juxta quam fons Salmasius, quo veteres crediderunt lavantium corpora effœminari.

18 *Pharnabazi Satrapis regii.*] Hic alterius Pharnabazi filius, olim Darii & postea Artaxerxis Satrapes, qui Alcibiadem interfecit. Diodor. lib. 14.



VII.

ALCIBIADES [1] CLINIÆ FILIUS ATHENIENSIS.



IN hoc natura quid efficere possit, videtur experta. Constat enim inter omnes, qui de eo memoriæ prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus. [2] Natus in amplissima civitate, summo genere, [3] omnium ætatis suæ multò formosissimus: ad omnes res aptus consiliique plenus. Namque Imperator fuit summus mari & terrâ: disertus, ut in primis dicendo valeret: & tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere. [4] Dives, quum tempus posceret, laboriosus, patiens, liberalis, splendidus non minùs in vita quàm victu: affabilis, blandus, [5] temporibus callidissimè inserviens. [a] Idem simul ac se remiserat, nec causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus, dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur: ut omnes admirentur, in uno homine tantam morum dissimilitudinem, támque diversam naturam: [6] Educatus est in domo Periclis, [7] privignus enim ejus fuisse dicitur [8] eruditus

INTERPRETATIO.

a *Ubi ille animum relaxaverat.*

NOTÆ.

1 CLINIÆ FILIUS.] Vide Plutarchum in Alcibiade.

2 *Natus in amplissima civitate.*]id est, Athenis.

3 *Omnium ætatis suæ multò formosissimus.*] Alcibiadis forma à Petronio celebratur, & à Val. Max. lib. 7. c. 9. præstantissima dicitur.

4 *Dives, quum tempus posceret, laboriosus.*] Id à *Nepote* referri videtur, quasi inter se pugnent divitiæ & labor, in Alcibiade tamen conveniant.

5 *Temporibus callidissimè inserviens.*] Illum Chamæleonti non absimilem fuisse scribit Plutarchus, quem etiam in eo vincebat, quod Chamæleon colori candido se simulare non potest.

6 *Educatus in domo Periclis.*] Viri inter Athenienses clarissimi, plurimúmque authoritate pollentis, adeout per 40. annos remp. gubernaverit. Plutarch. vide.

7 *Privignus enim ejus fuisse dicitur.*] Immò sororis filium Diodor. Suidas. Aul. Gellius, lib. 15. c. 17. fuisse asserunt: quod tamen facilè conciliari potest; nam reverà si Pericles non Alcibiadis, at saltem uxoris ejus vitricus fuit, quia Hipponici filiam, quam Hyparetam vocat Plutarchus, Alcibiades uxorem habuit; hujus vero Hipponici conjugem in uxorem postea duxit Pericles, Plutarch. in Pericle.

8 *Eruditus fuit à Socrate.*] Philosopho Atheniensi, qui Apollinis Oraculo omnium sapientissimus est judicatus.

à Socrate. Socerum habuit Hipponicum, omnium Græcæ linguæ eloquentiâ ditissimum; [b] ut si ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci, neque majora posset consequi, quàm vel fortuna vel natura tribuerat. Ineunte adolescentiâ, amatus est à multis more Græcorum, in eis à Socrate, [9] de quo mentionem facit Plato [10] in Symposio. Namque eum induxit commemorantem se pernoctasse cum Socrate, neque aliter ab eo surrexisse, ac filius à parente debuerit. Posteaquam robustior est factus, non minùs multos amavit, in quorum amore, quoad licitum est, odiosa multa delicatè jocoséque fecit; quæ referremus, nisi majora potioraque haberemus. [11] Bello Peloponnesiaco, hujus consilio atque authoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt: ad quod gerendum ipse dux delectus est. Duo præterea collegæ dati, Nicias & Lamachus. Id quum appararetur, priusquam classis exiret, accidit, ut unâ nocte [12] omnes Hermæ, qui in oppido erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qui ante januam Andocidis erat, [13] Andocidisque Hermes vocatus est. Hoc quum appareret, non sine magna multorum consensione esse factum, quòd non ad privatam, sed ad publicam rem pertineret, magnus multitudini timor est injectus, ne qua repentina vis in civitate existeret, quæ libertatem opprimeret populi. [14] Hoc maximè convenire in Alcibiadem videbatur, quòd & potentior & major, quàm privatus, existimabatur. Multos enim liberalitate devinxerat, [c] plures etiam operâ forensi suos reddiderat. Quare fiebat ut omnium oculos, quotiescunque in publicum prodisset, ad se converteret, neque ei par quisquam in civitate poneretur. Itaque non solum in eo spem habebant maximam, sed etiam timorem, [15] quòd & obesse plurimùm

INTERPRETATIO.

b *Ut si ipse excogitare cuperet.*

c *Plurimos pariter judicio defensos sibi conciliarat.*

NOTÆ.

9 *De quo mentionem facit Plato.*] De amore illo lege Aristophanem in nebulis.

10. *In Symposio.* [Id est, in libro qui inscribitur Symposium, seu convivium.

11 *Bello Peloponnesiaco.*]De quo Thucydides.

12 *Omnes Hermæ.*] Id est, Mercurii statuæ lapideæ quadratæ, & ad cubi figuram conformatæ, nimirum sine manibus, & quorum capita mutari poterant; unde Cicero ad Atticum lib. 1. *Hermæ*, inquit, *illi tui Pentelici cum capitibus aneis, de quibus ad me scripsisti, nunc admodum me delectant.* Ideo autem sine manibus, quod omnia, ut inquit Festus, sermo sine manibus conficiat.

13 *Andocidisque Hermes.*] Andocides unus ex 10. præcipuis Athen. Rhetoribus.

14 *Hoc maximè convenire in Alcibiadem videbatur.*] Non directè id factum Alcibiadi imputatum esse quidam scribunt; sed Argis qui privato tunc Alcibiadis hospitio continebantur, quique omnes propterea à civibus concisi sunt. Diod. l. 13.

15 *Quod & obesse plurimùm.*] Ad hoc refertur quod Timon ille hominum osor unum Alcibiadem amabat, quod magno malo illum aliquando Atheniensibus fore præsagiret.

& prodesse

& prodesse poterat. Aspergebatur etiam infamiâ, [16] quòd in domo sua facere mysteria dicebatur, quod nefas erat more Atheniensium, idque non ad religionem, sed ad conjurationem pertinere existimabatur. [d] Hoc crimine in contentionem ab inimicis compellebatur. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi. Id ille intuens, neque ignorans civium suorum consuetudinem, postulabat, ut si quid de se agi vellent, potiùs de præsenti quæstio haberetur, quàm absens invidiæ crimine accusaretur. Inimici verò ejus, quiescendum in præsentia, quia nocere se ei non posse intelligebant, & illud tempus exspectandum decreverunt, quo exisset, ut sic absentem aggrederentur: itáque fecerunt. Nam postquam in Siciliam eum pervenisse crediderunt, absentem, quòd sacra violasset, reum fecerunt. Quâ de re quum ei nuncius à Magistratu in Siciliam missus esset, ut domum ad causam dicendam rediret, essetque in magna spe provinciæ bene administrandæ; non parère noluit, & in triremem, quæ ad eum deportandum erat missa, ascendit: [17] ac Thurios in Italiam pervectus. multa secum reputans de immoderata civium suorum licentia crudelitatéque erga nobiles: utilissimum ratus impendentem evitare tempestatem, clàm se à custodibus subduxit, & inde primùm [18] Elidem, [19] deinde Thebas venit. Postquam autem se capitis damnatum, bonis publicatis, audivit, & id quod usu venerat, [20] Eumolpidas Sacerdotes à populo coactos, [e] ut se devoverent, ejúsque devotionis, quo testatior esset memoria, exemplum in pila lapidea incisum esse positum in publico: Lacedæmonem demigravit. Ibi ([21] ut ipse prædicare consueverat) non adversus patriam, sed

INTERPRETATIO.

d *Reatu illo ad causam dicendam eum adversarii compellebant.*

e *Ut se diris devincirent, & quo execrationis illius memoria magis innotesceret.*

NOTÆ.

16 *Quòd in domo sua facere mysteria dicebatur.*] Id est, Cereris sacra, Justino teste l. v. ab initio; quæ quidem nocte fiebant, eaque revelare nefas; at verò duplicis erant generis, magna seu quinquennalia; & parva seu triennalia, qua de re consule Plin. lib. 24.

17 *Ac Thurios in Italiam pervectus.*] Thurios, ab oppido Thurio inter Crathim & Sybarim amnes sito; unde Thurina regio ex qua Aug. Cæsaris majores oriundi erant. Sueton. Olim & ipsum oppidum Sybaris dicebatur. De ea urbe Diodorus lib. 12. & Strabo lib. 6. Porrò legitur *Thurii, orum*; & *Thurium, rii.*

18 *Elidem.*] Peloponnesi regionem in Occidentali Tractu non procul ab Olympia. Virg. Georg. 3.

19 *Deinde Thebas.*] Bœotiæ oppidum ad Ismenum amnem, cui proximus mons Cithæron Sphyngis fabulâ clarus.

20 *Eumolpidas Sacerdotes.*] Eumolpidæ, ab Eumolpo quodam Rege, quem Ægyptii generis fuisse refert Diodorus. Vel ut aliis placet, ab alio quodam, Eumolpo Atheniensi Poëtâ, quem Suidas Musæi Poëtæ, quidam Orphei filium dicunt. Hic ante Homerum fuisse traditur.

21 *Ut ipse prædicare consueverat.*] Extat apud Xenophontem lib. 1. c. 10. hac de re poupularis excusatio & absolutio.

E

inimicos suos bellum gessit, quòd iidem hostes essent civitati, nam quum intelligerent, se plurimùm prodesse reipublicæ, ex ea ejecisse, plusque iræ suæ quàm utilitati communi paruisse. Itaque hujus consilio Lacedæmonii cum Persarum rege amicitiam fecerunt: [22] deinde Deceliam in Attica munierunt, præsidióque perpetuo ibi posito, in obsidione Athenas tenuerunt. Ejusdem operâ Ioniam à societate averterunt Atheniensium, quo facto multò superiores bello esse cœperunt. Neque verò his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti, quàm timore ab eo alienati. Nam quum acerrimi viri præstantem prudentiam in omnibus rebus cognoscerent: pertimuerunt, ne charitate patriæ ductus, aliquando ab ipsis descisceret, & cum suis in gratiam rediret. Itaque tempus ejus interficiendi quærere instituerunt. Id Alcibiadi diutiùs celari non potuit, erat enim eâ sagacitate, ut decipi non posset; præsertim quum animum attendisset ad cavendum. Itaque ad Tissaphernem præfectum regis Darii se contulit. Cujus quum in intimam amicitiam pervenisset, & Atheniensium malè gestis in Sicilia rebus opes senescere, contrà Lacedæmoniorum crescere videret: initio [23] cum Pisandro prætore, [24] qui apud Samum exercitum habebat, per internuncios colloquitur, & de reditu suo facit mentionem. Erat enim eodem quo Alcibiades sensu, populi potentiæ non amicus, & optimatum fautor. [25] Ab hoc destitutus, primùm [26] per Trasybulum Lyci filium, ab exercitu recipitur, prætórque fit apud Samum. Pòst, [27] suffragante Theramene, plebiscito restituitur, paríque absens imperio præficitur simul cum Trasybulo & Theramene. Horum imperio tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedæmonii, qui paulò antè victores viguerant, perterriti pacem

NOTÆ.

22 *Deinde Deceliam in Attica munierunt.*] Agri Attici locus est, de quo frequenter loquitur Thucydides, quo munito Lacedæmonii Atheniensibus reditus cùm è regione, tùm ex argenti fodinis intercipiebant, & veluti obsidione Athenas tenebant. Vide Isocratem in oratione de Pace.

23 *Cum Pisandro Pratore.*] Scilicet Atheniensium.

24 *Qui apud Samum.*] Samos, vel Samo insula est Icarii maris, ab Ionia brevi freto discreta, nec procul ab Epheso, olim Junoni dicata, quod in ea nata esse crederetur. Est & alia in mari Ægeo ad Thraciam, quæ idcirco Samothracia dicitur.

25 *Ab hoc destitutus.*] Legendum videretur, *ad hoc*, quod idem est ac *præterea*, ita ut hic foret sensus. *Ad hoc destitutus. Praterea ab amicis desertus*: Nam à Pisandro non destitutum, immò adjutum scribit Thucydides. Tamen ex eodem Thucydide legitur reverà ab eo fuisse destitutum posteà, & eo invito ab Atheniensibus Alcibiadem fuisse receptum; & rerum summæ præpositum: Vide lib. 8. sub finem; atque adeo nihil mutandum esse arbitror.

26 *Per Trasybulum Lyci filium.*] Thrasybulus Athenjensis dux, exul factus comparato exercitu omnia Athenis restituit, exulesque quos inter Alcibiades erat, plebiscito reduxit. Cicero Philipp. 1. & Val. Max. lib. 4. c. 1.

27 *Suffragante Theramene.*] Nobili Atheniensi Agnonis filio. Vide Thucydidem lib. 8.

peterent. Victi enim erant quinque præliis terrestribus, [28] tribus navalibus: in quibus ducentas naves triremes amiserant, quæ captæ in hostium venerant potestatem. Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas præterea urbes Græcas, quæ in ora sitæ sunt Asiæ, quarum expugnaverant complures [29]: in his Byzantium. Neque minus multas consilio ad amicitiam adjunxerant, quòd in captos [30] clementiâ fuerant usi. Ita prædâ onusti, locupletato exercitu, maximis rebus gestis Athenas venerunt. [31] His quum obviam universa civitas in Pyræeum descendisset, tanta fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis, ut ad ejus triremem vulgus conflueret, perinde ac si solus advenisset. Sic enim populo erat persuasum, & adversas superiores, & præsentes secundas res, accidisse ejus opera. f Itaque & Siciliæ amissum, & Lacedæmoniorum victorias culpæ suæ tribuebant, quòd talem virum è civitate expulissent. Neque id sine causa arbitrari videbantur. Nam postquam exercitui præesse cœperat, neque terra, neque mari hostes pares esse potuerant. Hic ut navi egressus est, quanquam Theramenes & Thrasybulus eisdem rebus præfuerant, simúlque venerant in Pyræeum, tamen illum unum omnes prosequebantur: (& id quod nunquam antea usuvenerat, nisi Olympiæ victoribus) [32] coronis aureis æneisque vulgò donabatur. [33] Ille lacrymans talem benevolentiam civium suorum accipiebat, reminiscens pristini temporis acerbitatem. g Postquam Astu venit, concione advocatâ, sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit quin ejus casum lacrymarit, inimicumque his se ostenderit, quorum operâ, patriâ pulsus fuerat: perinde ac si alius populus, non ille ipse qui tum flebat, eum [34] sacrilegii dam-

INTERPRETATIO.

f *Quamobrem & quod Siciliam amisissent, & Lacedamonii vicissent, imputabant.*

g *In urbem reversus.*

NOTÆ.

28 *Tribus navalibus.*] Quorum postremum ad Cyzicum, in quo Alcibiades Mindarum Lacedæmoniorum Ducem interfecit. Xenoph. lib. 1.

29 *In his Byzantium.*] Proditione captum refert Xenophon, & proditorum nomina recenset lib. 1. In quo consentiunt Diodorus lib. 8. & Plutarchus in Alcibiade.

30 *Clementiâ fuerant usi.*] Nam Byzantinis urbem suam reddiderunt, nec in eos sævierunt. Diodorus lib. 13.

31 *His quum obviam universa Civitas descendisset.*] De glorioso Alcibiadis in Patriam reditu lege Xenophontem lib. 1. c. 10. Et Justin. lib. 5. c. 4.

32 *Coronis aureis æneisque vulgo donabatur.*] Sunt qui legant Coronis aureis, tæniisque: Ego vero vulgatam lectionem sequor, ita ut hic sit verborum sensus, nimirum Alcibiadem pro cujuslibet facultatibus duplici Coronarum genere donatum; à Divitibus quidem, aureis; à Pauperibus verò æneis. Ita Gebhardus in Alcibiade.

33 *Ille lachrymans.*] Præ gaudio.

34 *Sacrilegii damnasset.*] Id est, Cereris mysteriorum sacrum silentium violasse.

nasset. Restituta ergo huic sunt publicè bona. [35] Iidémque Eumolpidæ sacerdotes [h] rursus resecrare sunt coacti, qui eum devoverant, pilæque illæ, [i] in quibus devotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ. Hæc Alcibiadi lætitia minùs fuit diuturna. Nam quum ei essent omnes honores decreti, totâque respublica domi bellique tradita, ut unius arbitrio gereretur, & ipse postulasset ut duo sibi collegæ darentur, Thrasybulus & Adimantus, neque id negatum esset: classe in Asiam profectus [36] quòd apud Cymen minùs ex sententia rem gesserat, in invidiam recidit. Nihil enim eum non efficere posse ducebant. Ex quo fiebat, ut omnia minùs prosperè gesta, ejus culpæ tribuerent, quum eum aut negligenter aut malitiosè fecisse loquerentur, sicut accidit. Nam corruptum à rege, capere Cymen noluisse arguebant. [k] Itáque huic maximè imputamus malo causam fuisse nimiam opinionem ingenii atque virtutis. Timebatur enim non minùs quàm diligebatur, ne secundâ fortunâ magnisque elatus opibus, tyrannidem concupisceret. Quibus rebus factum est ut absenti Magistratum abrogarent, & alium in ejus locum substituerent. Id ille ut audivit, domum reverti noluit, [37] & se Perinthum contulit, ibique tria castella communivit, [38] Bornos, Byziam, Macrontichos: manúque collectâ, primus Græciæ in Thraciam introiit: gloriosius existimans barbarorum prædâ locupletari quàm Graiorum. Qua ex re creverat cùm famâ tùm opibus, magnámque amicitiam sibi [39] cum quibusdam regibus Thraciæ pepererat. Neque tamen à charitate patriæ potuit recedere. Nam quum [40] apud Ægos flumen Philocles prætor Atheniensium classem constituisset suam, [41] neque longè abesset Lysander prætor Lacedæmoniorum qui in eo erat occupatus,

INTERPRETATIO.

h *Iterum ad eum sacris restituendum compulsi sunt, qui eum à sacris arcuerant.*

i *Quibus execratio insculpta erat.*

k *Quamobrem ex immoderata expectatione quam de prudentia, & ejus fortitudine conceperant, hoc præsertim malum oriri putamus.*

NOTÆ.

35 *Iidemque illi Eumolpidæ Sacerdotes.* Vide paulo suprà.

36 *Quod apud Cymen.*] Urbs est Æolidis prope Lesbum insulam; Pompon. l. 1. quæ & Cuma dicta est, Æolicarum urbium maxima, & ferè metropolis.

37 *Et se Perinthum contulit.*] Urbem Thraciæ ad Propontidem, quæ & Heraclea dicitur.

38 *Bornos, Byziam, Macrontichos.*] Bornos non alibi mihi occurrisse memini Byzia vero est arx regum Thraciæ à Terei nefando crimine hirundinibns invisa; Plin. lib. 4. c. 11. Macrontichos autem Oppidum est Thraciæ, non procul ab Isthmo Chersonesi, sic dictum à longo muro, quem Miltiades ibi a Propontide ad Melanem sinum duxit, Chersonesum à reliquâ excludens Thraciâ. Plin. ibidem.

39 *Cum quibusdam regibus Thraciæ.*] Hos Diodorus lib. 8. Medocum & Seuthen vocat.

40 *Apud Ægos flumen,*] Thraciæ, dè quo jam supra.

41 *Neque longè abesset Lysander.* [Tunc enim erat Lampsaci quæ urbs est in orâ Asiæ ad Propontidem. Vide Strabonem lib. 3.

ut bellum quam diutissimè duceret, quòd ipsis pecunia à rege suppeditabatur: contra Atheniensibus exhaustis, præter arma & naves [42] nihil erat super: Alcibiades ad Atheniensium venit exercitum, [l] ibique presente vulgo agere cœpit, si vellent, se coacturum Lysandrum aut dimicare, aut pacem petere. Lacedæmonios eò nolle confligere classe, quòd pedestribus copiis plusquam navibus valerent. Sibi autem esse facile Seuthen regem Thracum deducere, ut eos terrâ depelleret. Quo facto necessariò aut classe conflicturos, aut bellum composituros. Id etsi verè dictum Philocles animadvertebat, tamen postulata facere noluit, quòd sentiebat se, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurum. Et si quid secundi evenisset, [m] nullam in ea re suam partem fore: contra ea, si quid adversi accidisset, se unum ejus delicti futurum reum. Ab hoc discedens Alcibiades, *Quoniam*, inquit, *victoria patriæ repugnas, illud moneo, juxta hostes castra habeas nautica. Periculum est enim ne immodestiâ militum nostrorum occasio detur Lysandro nostri opprimendi exercitus.* Neque ea res illum fefellit. Nam Lysander quum per speculatores comperisset, vulgum Atheniensium in terram prædatum exisse, navésque penè inanes relictas, tempus rei gerendæ non dimisit, [n] eóque impetu totum bellum delevit. At Alcibiades, victis Atheniensibus, non satis tuta eadem loca sibi arbitrans: [43] penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit, sperans ibi facillimè suam fortunam occuli posse: falsò. Nam Thraces postquam eum cum magna pecunia venisse senserunt, insidias ei fecerunt: qui ea, quæ apportavit abstulerunt, ipsum capere non potuerunt. Ille, cernens nullum locum sibi tutum in Græcia, [44] propter potentiam Lacedæmoniorum, ad Pharnabazum in Asiam transiit. [o] Quem quidem adeò sua cepit humanitate, ut eum nemo in amicitia antecederet. Namque ei [45] Grunium dederat in Phrygia castrum, ex quo quinquaginta talenta ve-

INTERPRETATIO.

l *Hicque præsentibus militibus proponere orsus est.*

m *Nullatenus se* gloriæ *participem futurum.*

n *Eâque aggressione bellum penitus confecit.*

o *Cui quidem suæ urbanitatis causâ tam gratus fuit.*

NOTÆ.

42 *Nihil erat super.*] Anastrophe, pro, nihil supererat.

43 *Penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit.*] In Bithyniam profugisse ait Plutarchus; quod non prorsus alienum est à Nepotis mente; nam & Thraces Bithyniæ partem incolebant, atque ipsi Thraces Bithyni dicti postquam in Asiam transfretassent. Unde Claudianus. *Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.* Vide Plin. lib. 1. c. 31.

44 *Propter potentiam Lacedæmoniorum.*] Qui devictis Atheniensibus terræ & maris Imperium obtinebant.

45 *Grunium dederat in Phrygiâ.*] Legitur & Grynium in exemplis Basiliensibus. De hoc Castro loquitur lib. 3. de reb. gr.

ctigalis capiebat. Quâ fortunâ Alcibiades non erat contentus, neque Athenas victas Lacedæmoniis servire poterat pati. Itaque ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione, sed videbat id [46] sine rege Persarum non posse fieri: ideoque eum amicum sibi cupiebat adjungi: neque dubitabat facilè se consequuturum, si modò ejus conveniendi habuisset potestatem. [47] Nam Cyrum fratrem ei bellum clàm parare, Lacedæmoniis adjuvantibus, sciebat. Id si ei aperuisset, magnam se ab eo initurum gratiam videbat. Hæc quum moliretur, peterétque à Pharnabazo, ut ad regem mitteretur: [48] eodem tempore Critias cæterique tyranni Atheniensium certos homines ad Lysandrum in Asiam miserunt, qui eum certiorem facerent, nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum fore ratum, quas ipse Athenis constituisset. Quare si suas res gestas manere vellet, illum persequeretur. [49] His Lacon rebus commotus, statuit accuratiùs sibi agendum cum Pharnabazo. p [50] Huic ergo renunciat, quæ regi cum Lacedæmoniis essent; nisi Alcibiadem vivum aut mortuum tradidisset. Non tulit hoc satrapes, & violare clementiam, quàm regis opes minui maluit. [51] Itaque misit Sysamithren & Bagoam ad Alcibiadem interficiendum, [52] quum ille esset in Phrygia, itérque ad regem pararet. q Missi, [53] clàm vicinitati in qua tum Alcibiades erat, dant negotium, ut eum interficiant. Illi quum eum ferro aggredi non auderent, noctu

INTERPRETATIO.

p *Illi igitur abnegat Regi cum Lacedæmoniis quidquam fœderis esse.*

q *Ministri latenter iis quibus tum vicinus Alcibiades erat, curam imponunt.*

NOTÆ.

46 *Sine Rege Persarum.*] Artaxerxe qui Dario successerat.

47 *Nam Cyrum.*] Artaxerxis fratrem, & Darii filium, cui Pater testamento legaverat civitates quarum præfectus erat. Justin. lib. 5. c. 11.

48 *Eodem tempore Critias.*] 30. Tyrannorum apud Athenienses immanissimus. Cic. lib. 1. Tusc. quæst. c. 96.

49 *His Lacon.*] Id est, Lysander, Lacon dictus, quia Lacedæmon erat in Laconiâ.

50 *Huic ergo renunciat, quæ Regi cum Lacedæmoniis essent.*] Aliquid sanè hic supplendum esse, aut restituendum putatem, hoc ferè modo. *Huic ergo renunciat fœdera, quæ Regi cum Lacedæmoniis essent, stare non posse*: nisi *renunciare* idem esset, ac *irritum facere.* Unde Cic. ad Atticum *renunciare conductionem*, id est, irritam facere. *Renunciare alicui hospitium.* Idem Cicero. Quod idem est ac si Gallicè diceretur, *Declarer à quelqu'un qu'on renonce au droit d'hospitalité avec luy.* Renunciare vitæ. Sueton. *Declarer qu'on renonce à la vie.*

51 *Itaque misit Sysamithren & Bagoam.*] Sysamithren Pharnabazi patruum fuisse quidam volunt ex Plutarcho, quod nomen Persicum est. Bagoam verò, non tam nomen esse proprium; quam commune, apud Persas Eunuchum significans, verisimile est.

52 *Quum ille esset in Phrygiâ.*] Min. Asiæ regione, Cariæ, Lydiæ, Mysiæ, & Bithyniæ finitimâ; duplex est, superior & inferior; in hac postrema situm erat Ilium ad Montis Idæ radices.

53 *Clam vicinitati.*] Hanc vicinitatem Melissam vocatam scribit Athenæus lib. 13. Quam urbis nomen esse volunt Geographi; hancque fuisse Phrygiæ civitatem testatur idem Athenæus ibidem c. 12.

ligna contulerunt circa caſam eam, in qua quieſcebat, eamque ſuccenderunt, ut incendio conficerent quem manu ſuperari poſſe diffidebant. Ille autem ſonitu flammæ excitatus, quòd gladius ei erat ſubductus [1] [54] familiaris ſui ſubalare telum eripuit. Namque erat cum eo quidam ex Arcadia hoſpes, qui nunquam diſcedere voluerat. Hunc ſequi ſe jubet, & id quod in præſentia veſtimentorum fuit, arripuit. [55] His in ignem ejectis, flammæ vim tranſit. Quem ut barbari incendium effugiſſe viderunt, eminus [56] telis miſſis interfecerunt, caputque ejus ad Pharnabazum retulerunt. [57] At mulier quæ cum eo vivere conſueverat, muliebri ſua veſte contectum, ædificii incendio mortuum cremavit, quod ad vivum interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades, annos circiter quadraginta natus, diem obiit ſupremum. [58] Hunc infamatum à pleriſque tres graviſſimi hiſtorici ſummis laudibus extulerunt: Thucydides, qui ejuſdem ætatis fuit: [59] Theopompus, qui fuit poſt aliquanto natus: & [60] Timæus, qui quidem duo maledicentiſſimi, neſcio quomodo in illo uno laudando conſenſerunt. Nam ea, quæ ſuprà diximus, de eo prædicarunt, atque hoc amplius, quum Athenis ſplendidiſſimâ civitate natus eſſet, omnes Athenienſes ſplendore ac dignitate vitæ ſuperaſſe. Poſtquam inde expulſus; Thebas venerit, adeò ſtudiis eorum inſerviſſe, ut nemo eum labore corporiſque viribus poſſet æquiparare. [61] Omnes enim Bœotii magis firmitati corporis quàm ingenii acumini inſer-

INTERPRETATIO.

1 *Servi ſui pugionem extrahit.*

NOTÆ.

54 *Familiaris ſui ſubalare telum eripuit.*] Quod ſica eſt, ſeu pugio, ſic dictum quia ejus erat brevitatis, ut ſub alis geſtari poſſet.

55 *His in ignem ejectis.*] Ut nempe ſuo pondere vim flammæ obruerent.

56 *Telis miſſis interfecerunt.*] Varii varia de Alcibiadis morte referunt; alii in cubiculo in quo dormiebat crematum eſſe dicunt, ut Juſtin. lib. 5. c. 8. his verbis: *Cùm occidi apertè non poſſet, vivus in cubiculo in quo dormiebat, crematus eſt.* Contra verò Ariſtoteles lib. 6. de naturâ animalium c. 29. in Elapho Aſiæ monte occubuiſſe memorat, in quo monte omnes Cervæ ſciſſa ſunt aure.

57 *At mulier quæ vivere cum eo conſueverat.*] Alii Timandram vocant; ut Plutarch. quam Laïdis Corinthiæ matrem fuiſſe refert. Alii Theodoram, ut Athenæus lib. 13. c. 12.

58 *Hunc infamatum à pleriſque.*] Athenæus lib. 12. c. 9. refert Antiphonem quemdam librum contumeliæ ſcripſiſſe in Alcibiadem; & lib. 13. c. 12. Lyſiam oratorem in eumdem orationem compoſuiſſe.

59 *Theopompus.*] Chius orator & Hiſtoricus ſimul poſt Thucydidem & Herodotum.

60 *Timæus.*] Qui à maledicentiâ ſua Epitimæus dictus eſt. Id eſt, objurgator; Siculus hiſtoricus, ut Thucydidem & Philiſtum ſe facilè ſuperaturum jactitaret Plutarch. in Nicia. Aliter Cicer. 2. de Orat.

61 *Omnes enim Bœotii.*] Bœotiæ ad Septentrionem Atticæ circa Iſmenum amnem populi, qui plus ſtudii & operæ impendunt in acquirendo confirmandóque corporis robore, quam in excolendo ingenio; quos aliqui propterea ὀρθῶς' τοῖς σῶμα denominatos volunt, Cic. de fato; *Athenis tenue cœlum, ex quo acutiores etiam cenſentur Attici: Craſſum Thebis; itaque pingues Thebani & valentes.*

vivut. Eundem [62] apud Lacedæmonios, quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur, [f] sic duritici se dedidisse, ut parsimoniâ victûs atque cultûs omnes Lacedæmonios vinceret. Fuisse apud [63] Thracas homines vinolentos [64] rebúsque venereis deditos: hos quoque in his rebus antecessisse. Venisse ad Persas, apud quos summa laus esset [65] fortiter venari, luxuriosè vivere. Horum sic imitatum consuetudinem, ut illi ipsi eum in his maximè admirarentur. Quibus rebus effecisse, ut, apud quoscunque esset, princeps poneretur, habereturque charissimus. Sed satis de hoc: reliquos ordiamur.

INTERPRETATIO.

f *Adeo austeram vitam duxisse.*

NOTÆ.

62 *Apud Lacedæmonios, quorum moribus summa virtus in patientiâ ponebatur.* Propter austeritatem legum Lycurgi. Vide Horat. Od. 7. lib. 1. Carm.

63 *Thracas homines vinolentos.*] Quos Græci ἀκρατοπότας vocarunt, sicut & Scythas: unde Horatius 1. Od.
Natis in usum lætitiæ Scyphis.
Pugnare Thracum est.

64 *Rebúsque venereis deditos.*] De his Ovid. 6. Metamorph.
Digna quidem facies, sed & hanc innata libido
Exstimulat, &c.

65 *Fortiter venari.*] Xenoph. lib. 1. Cyropæd. & Strabo lib. 15.



VIII.

[1] THRASYBULUS LYCI FILIUS ATHENIENSIS.

SI per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito an hunc primum omnium ponam. Illi sine dubio neminem præfero, fide, constantiâ, magnitudine animi, in patriam amore. Nam quod multi voluerunt, pauci potuerunt, ab uno tyranno patriam liberare. [2] huic contigit, ut à triginta oppressam tyrannis, è servitute libertatem vindicaret. Sed nescio quomodo, quum eum nemo anteiret his virtutibus,

NOTÆ.

1 THRASYBULUS LYCI, FILIUS.] Jam de Lyco Thrasybuli patre in Alcibiade.

2 *Huic contigit ut à 30. tyrannis.*) Quos nimirum Lacedæmonii victores Atheniensibus à Lysandro victis præfecerant, & à quibus Thrasybulus ipse in exilium pulsus fuerat.

multi

multi [3] nobilitate præcucurrerunt. Primùm Peloponnesio bello [4] multa hic sine Alcibiade gessit: ille, nullam rem sine hoc, [a] quæ ille universa naturali quodam bono fecit lucri. Sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus & fortuna, [b] quòd in prælii concursu abit res à consilio [5] ad vires vimque pugnantium. [c] Itaque jure suo nonnulla ab imperatore miles, plurima verò fortuna vindicat: [d] seque his plus valuisse quam ducis prudentiam verè potest prædicare. Quare illud magnificentissimum factum proprium est Thrasybuli. Nam quum triginta tyranni, præpositi à Lacedæmoniis, servitute oppressas tenerent Athenas, plurimos cives, quibus in bello pepercerat fortuna, partim patriâ expulissent, partim interfecissent, plurimorum bona publicata inter se divisissent: non solum princeps, sed & solus initio bellum his indixit. [6] Hic enim quum Phylen confugisset, (quod est castellum in Attica munitissimum) non plus habuit secum [7] quàm triginta de suis. Hoc initium fuit salutis Atticorum: hoc robur libertatis clarissimæ civitatis. Neque verò hic non contemptus est primò à tyrannis, [e] sed ejus solitudo, [f] quæ quidem res & illis contemnentibus perniciei, & huic despecto saluti fuit. Hæc enim illos ad persequendum segnes, [g] hos autem tempore ad comparandum dato, fecit robustiores. Quò magis præceptum illud omnium in animis esse debet, *Nihil in bello oportere contemni:* nec sine causa dici: [8] *Matrem timidi flere non solere.* [h] Neque tamen pro opinione Thrasybuli auctæ sunt opes, nam jam tum illis tempo-

INTERPRETATIO.

a *Quæ hic omnia optimâ quadam naturâ adeptus est.*

b *Quod inter pugnandum* Ducis *consiliorum exitus ex bellatorum viribus animisque dependent.*

c *Idcirco sibi quadam, ut par est, à Duce miles, plura verò sors repetit.*

d *Atque suas vires victoria magis, quàm imperatoris consilium, contulisse, non falsò valet gloriari.*

e *Sed, quòd solus esset.*

f *Qui quidem contemptus & his qui contemnebant exitium, illi verò qui contemnebatur salutem attulit.*

g *Illos verò morâ* ad pugnandum *datâ, viribus auxit.*

h *Minùs verò quàm* ferebat *opinio Thrasybuli vires crevere.*

NOTÆ.

3 *Nobilitate præcucurrerunt.*] Quædam editiones habent, *præcurrerunt*, quod minimè probandum.

4 *Multa hic sine Alcibiade gessit.*] De quibus Xenoph. lib. 1. de reb. gr. Diodorus 13. Et Cicero pro Muræna.

5 *Ad vires vimque pugnantium.*] Variè à variis hic locus legitur. Lambinus enim *ad vires virtutemque pugnantium.* Puteanus *ad vices, vimque pugnantium.* Quidam *ad vires undique pugnantium.* Alii denique *ad vires nostrûm cujusque pugnantium.* At ego nihil mutandum esse arbitror, quia Authoris mens ea est ut pugnæ exitum ad corporis vires, & vim animi referat.

6 *Hic enim quum Phylen confugisset.*] Locus erat munitus distans Athenis c. stadiis in Oenide tribu, de quo meminit scholia in Aristophanis Plutum, act. 5. sc. 1. Et Xenoph. lib. 11. de reb. gr. c. 8. Justin. lib. 5. c. 9.

7 *Quam triginta de suis.*] Septuaginta fuisse refert Xenophon ibidem.

8 *Matrem timidi flere non solere.*] De hoc Adagio vide Erasmum.

ribus fortiùs boni pro libertate loquebantur, quàm pugnabant. Hinc in Piræum transiit, [9] Munichyamque munivit. Hanc bis tyranni oppugnare sunt adorti: ab eaque turpiter repulsi, protinus in urbem, armis impedimentisque amissis refugerunt. Usus est Thrasybulus non minùs prudentiâ quàm fortitudine. [i] Nam cedentes violari vetuit, cives enim civibus parcere æquum censebat. Neque quisquam est vulneratus, nisi qui prior impugnare voluit. [k] [10] Neminem jacentem veste spoliavit: Nil attigit nisi arma, quorum indigebat, & quæ ad victum pertinebant. In secundo prælio [11] cecidit Critias dux tyrannorum, quum quidem exadversus Thrasybulum fortissimè pugnaret. Hoc dejecto, Pausanias venit Atticis auxilio, rex Lacedæmoniorum. Is inter Thrasybulum & eos, qui urbem tenebant, fecit pacem his conditionibus: *Ne qui, præter triginta tyrannos, [12] & decem, qui postea prætores creati, [13] superioris more crudelitatis erant usi, adficerentur exilio: neve bona publicarentur: [14] reipublicæ procuratio populo redderetur.* Præclarum hoc quoque Thrasybuli, quòd reconciliatâ pace, quum plurimùm in civitate posset, legem tulit; *ne quis anteactarum rerum accusaretur, néve mulctaretur*: [15] eámque illi legem OBLIVIONIS appellarunt. Neque verò hanc tantùm ferendam curavit, sed etiam ut valeret, effecit. Nam quum quidam ex his qui simul cum eo in exilio fuerant, cædem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum fuerat; publicè prohibuit, &

INTERPRETATIO.

i *Nam non resistentibus vim inferri prohibuit.*

k *Nullum in acie cæsum exuit.*

NOTÆ.

9 *Munichyamque munivit.*] Munichya tumulus est in Chersonesi formam curvatus, ingressum habens ore angusto, à quo murus 40. stadiorum longitudinis protendebatur, Athenarum urbem cum Piræeo, duobusque aliis portubus conjungens. Ovid. 6. Metam.

Munichyosque volans agros, gratamque Minervæ
Despiciebat humum.

10 *Neminem jacentem veste spoliavit.*] Ut se tantum adversus improbos & armatos cives pugnare ostenderet; prætterquam quod turpe est & forti Duce indignum ex mortuis lucrum captare, ut refert Aristoteles Rhet. 11.

11 *Cecidit Critias.*] Illum cum Hippomacho cecidisse narrat Xenoph. lib. 2. de reb. gr. Justinus verò l. 5. c. 9. in eo bello non Hippomachum, sed Hippolochum & Critiam omnium tyrannorum sævissimos periisse ait, quod ad idem referri puto.

12 *Et decem qui postea Prætores creati.*] Ii sunt qui in Piræeo imperabant; Xenoph. lib. 2. de rebus gr.

13 *Superioris more crudelitatis erant usi.*] Hoc est, qui triginta tyrannorum inhumanitatem æmulati fuerant.

14 *Reip. procuratio populo redderetur.*] Id est, status Democraticus restitueretur.

15 *Eamque illi legem oblivionis appellarunt.*] Græci ἀμνηστίαν vocant, quâ lege cautum erat ut ne qua rerum præteritarum mentio fieret, omnisque memoria sempiternâ oblivione deleretur. Sic Cicero Philippica I. Et Valer. Max. lib. 4. cap. 1.

id quod pollicitus erat, præstitit. Huic pro tantis meritis, [16] honoris corona à populo data est, [17] facta duabus virgulis oleaginis: [l] quæ, quod amor civium, non vis, expresserat, nullam habuit invidiam, magnáque fuit gloria. Bene ergo [18] Pittacus ille, qui septem sapientum numero est habitus, [19] quum ei Mitylenæi multa millia jugerum agri muneri darent, *Nolite, rogo vos,* (inquit) *mihi dare quod multi invideant, plures etiam concupiscant. Quare ex istis nolo amplius quàm centum jugera, quæ & meam animi æquitatem & vestram voluntatem indicent. Nam parva munera, diutina:* [m] *locupletia, non propria esse consueverunt.* Illâ igitur coronâ contentus Thrasybulus, neque amplius requisivit, neque quenquam honore se antecessisse existimavit. Hic sequenti tempore quum prætor classem [20] ad Ciliciam appulisset, neque satis diligenter in castris ejus agerentur vigiliæ; [21] à barbaris, ex oppido noctu eruptione factâ, in tabernaculo interfectus est.

INTERPRETATIO.

l *Quæ, quia ex civium benevolentiâ, non ex violentiâ, obvenerat.*

m *Opulenta, non stabilia esse solent.*

NOTÆ.

16 *Honoris corona.*] Hac donabatur quisquis de Rep. bene meritus erat in magnâ populi frequentiâ, adjuncto Præconis elogio. Casaub.

17 *Facta duabus virgulis oleaginis.*] Quod etiam in usu fuit apud Romanos antequam Coronas è floribus texere didicissent. Unde Virgil. 7. Æneid.

Centum Oratores augusta ad mœnia Regis.

Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes.

Quia vel qui pacem poscebant, vel pacis authores erant, olivæ frondibus coronabantur.


18 *Pittacus ille.*] Philosophus Mitylenæus, de quo vide Laërtium in ejus vitâ.

19 *Quum ei Mitylenæi multa millia jugerum agri muneri darent.*] Quandoquidem ille ex Lesbo insula Melanchrum tyrannum ejecerat, & Phrynonem hostium ducem in singulari certamine reti injecto implicitum superaverat. Vide Laërtium, ibidem.

20 *Ad Ciliciam appulisset.*] Cilicia, hodie Caramania, Regio est in minori Asiâ, Syriæ proxima, Tauro monti subjecta. Hunc tamen non in Cilicia, sed in Pamphilia prope Aspendum ejusdem regionis urbem noctu in castris interfectum fuisse scribit Xenoph. lib. 4. c. 17.

21 *A Barbaris.*] Hoc est ab Aspendiis, qui propter agrorum suorum devastationem in eum infensi, noctu urbe suâ erumpentes trucidarunt.





IX.

CONON ATHENIENSIS.

PELOPONNESIO bello accessit ad rem publicam: in eóque ejus opera magni fuit, nam & prætor pedestribus exercitibus præfuit, & præfectus classis res magnas mari gessit. Quas ob causas præcipuus ei honos habitus est. [2] Namque omnibus unus insulis præfuit. In qua potestate [3] Theram cepit, coloniam Lacedæmoniorum. Fuit etiam extremo Peloponnesio bello prætor, [4] quum apud Ægos flumen copiæ Atheniensium à Lysandro sunt devictæ. [5] Sed tum afuit, eóque pejùs res administrata est, [a] nam & prudens rei militaris, & diligens erat imperii. Itaque nemini erat his temporibus dubium, si adfuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse. Rebus autem afflictis quum patriam obsideri audisset, non quæsivit ubi ipse tutò viveret, sed unde præsidio esset civibus suis. Itaque contulit se ad Pharnabazum satrapem Ioniæ & Lydiæ, [6] eundémque generum regis & propinquum: apud quem ut multum gratiâ valeret, multo labore multisque effecit periculis. Nam quum Lacedæmonii Athe-

INTERPRETATIO.

a Si quidem & artem militarem callebat, & Ducis partes strenuè implebat.

NOTÆ.

1 CONON.] Is Timothei Atheniensis, non Samii filius fuit.

2 *Namque omnibus unus insulis præfuit.*] Hæc opinio cum omnibus aliis pugnare videtur; nisi fortè id tempus intelligatur quo victis ad Cnidum amnem Lacedæmoniis adjuvante Pharnabazo, Classi regis Persarum præfectus, omnes insulas à Lacedæmoniis avertit, ut infra videbitur.

3 *Theram cepit.*] Neque sic legendum, neque ut quidam volunt *Pheras*, autumo; sed mihi magis arridet, *Pharas cepit*, ut colligi potest ex his verbis Xenoph. lib. 4. de reb. gr. Καταπλεύσας δὲ πρῶτον εἰς Φαρὰς, de qua etiam urbe meminit Pausanias in Achaïcis; estque in Creta insula, à Messeniis condita. De qua Plinius, lib. 4. c. 12.

4 *Quum apud Ægos flumen.*] De hoc in Lysandro.

5 *Sed tum afuit.*] Id Xenoph. lib. 2. c. 3. de reb. gr. & Plutarchus in vita Lysandri negant, eumque ex eo prælio fugisse ad Evagoram Cypri Regem cum 8. triremibus testantur; quibus & Justinus lib. 6. & Isocrates in Evagota non dissentiunt.

6 *Eundemque generum regis.*] Duxerat enim Pharnabazus Apamam unam ex Xerxis filiabus. Plutarchus in Artaxerxe.

nienſibus devictis, [7] in ſocietate non manerent, quam cum Artaxerxe fecerant, Ageſilaúmque bellatum miſiſſent in Aſiam, [8] maximè impulſi à Tiſſapherne, qui ex intimis regis ab amicitia ejus defecerat, & cum Lacedæmoniis coierat ſocietatem: hunc adverſus Pharnabazus habitus eſt imperator: re quidem verâ exercitui præfuit Conon, ejúſque omnia arbitrio geſta ſunt. Hic multùm [9] ducem ſummum Ageſilaum impedivit, ſæpéque ejus conſiliis obſtitit. [b] Neque verò non fuit apertum, ſi ille non fuiſſet, Ageſilaum Aſiam Tauro tenus regi fuiſſe erepturum. Qui poſteaquam domum à ſuis civibus revocatus eſt, quòd Bœotii & Athenienſes Lacedæmoniis bellum indixerant: Conon nihilo ſecius apud præfectos regis verſabatur, hiſque omnibus maximo erat uſui. Defecerat à rege Tiſſaphernes, neque id tam Artaxerxi quàm cæteris erat apertum. Multis enim magniſque meritis apud regem, etiam quum in officio non maneret, valebat. Neque id mirandum ſi non facilè ad credendum inducebatur, reminiſcens, ejus ſe operâ Cyrum fratrem ſuperaſſe. Hujus accuſandi gratiâ Conon à Pharnabazo ad regem miſſus, poſteaquam venit, primùm ex more Perſarum [10] ad Chiliarchum, qui ſecundum gradum imperii tenebat, [11] Tithrauſtem acceſſit, ſeque oſtendit cum rege colloqui velle, nemo enim ſine hoc admittitur. Huic ille inquit, *Nulla mora eſt: ſed tu delibera, utrum colloqui malis an per literas edere, quæ cogitas. Neceſſe eſt enim ſi in conſpectum veneris, venerari te regem,* [c] quod προσκυνεῖν illi vocant. Hoc ſi tibi grave eſt, [d] per me nihilo ſecius, editis mandatis, conficies quod ſtudes. Tum Conon: Mihi verò, inquit, non eſt grave quemvis honorem habere

INTERPRETATIO.

b *Manifeſtumque fuit, ſi hic defuiſſet, fore ut Ageſilaus Aſiam ad Taurum uſque Artaxerxi abſtuliſſet.*

c *Quod adorare hi nuncupant.*

d Meâ *pariter* operâ, ſcriptis *arcana exponendo, quod optas exequêris.*

NOTÆ.

7 *In ſocietate non manerent.*] Nepoti refragantur Xenoph. lib. 4. de reb. gr. & Plutarchus in Apophteg. Illi enim narrant Ageſilaum à Lacedæmoniis in Aſiam eſſe miſſum, eo quod audierant Artaxerxem exercitum & claſſes adverſus Græcos parare. Non igitur Lacedæmonii, ſed Perſæ in ſocietate non manebant.

8 *Maximè impulſi à Tiſſapherne.*] Tiſſaphernes præfectus Perſarum, cui regis juſſu caput abſciſſum eſt propter proditionem. Xenoph. in Ageſilao; & Diodorus lib. 14.

9 *Ducem ſummum Ageſilaum.*] Hic Archidami filius, qui poſt Agidis fratris ſui mortem regno potitus eſt.

10 *Ad Chiliarchum.*] Χιλίαρχος à Græcis dicitur, qui mille viris præponitur. Joſeph. l. 3. de bello Judaïco: *Milites*, inquit, *ad Centuriones, illi ad Chiliarchos conveniunt.* Sed ut dicam quod ſuper eâ re ſentio; Chiliarchi gradus ſecundus erat à Rege, totiuſque regiæ curationem habebat, quemadmodum apud Romanos Præfectus prætorio, & apud Francos olim, *Le Maire du Palais*, ſine cujus veniâ nemo ad regem accedere poterat.

11 *Tithrauſtem.*] Nomen ipſius Chiliarchi, qui Regis juſſu Tiſſapherni caput abſcidit. Xenoph. in Ageſilao.

regi: sed vereor ne civitati meæ sit opprobrio, si, quum ex ea sim profectus quæ cæteris gentibus imperare consueverit, potius barbarorum quàm illius more fungar. Itaque quæ volebat, huic scripta tradidit. Quibus cognitis, rex tantùm autoritate ejus motus est, ut Tissaphernem hostem judicarit, & Lacedæmonios bello persequi jusserit, & ei permiserit, [12] quem vellet, eligere ad dispensandam pecuniam. [e] Id arbitrium Conon negavit sui esse consilii, sed ipsius, qui optimè suos nosse deberet. Sed se suadere, Pharnabazo id negotii daret. Hinc magnis muneribus donatus, ad mare est missus ut Cypriis & Phœnicibus, cæterisque civitatibus maritimis, naves longas imperaret, classémque quæ proximâ æstate mari tueri posset, compararet, dato adjutore Pharnabazo, sicut ipse voluerat. Id ut Lacedæmoniis est nunciatum, [f] non sine cura administrarunt, quòd majus bellum imminere arbitrabantur, quàm si cum barbaro solùm contenderent. Nam ducem fortem & prudentem regis opibus præfuturum, ac secum dimicaturum videbant, quem neque consilio, neque copiis superare possent. Hac mente magnam contrahunt classem: proficiscuntur Pisandro duce. Hos Conon [13] apud Cnidum adortus, magno prælio fugat, multas naves capit, complures deprimit. Quâ victoriâ non solùm Athenæ, sed etiam cuncta Græcia, [14] quæ sub Lacedæmoniorum fuerat imperio, [15] liberata est. Conon cum parte navium in patriam venit: muros dirutos à Lysandro utrosque & Piræei & Athenarum, reficiendos curat, pecuniæque quinquaginta talenta, quæ à Pharnabazo acceperat, civibus suis donat. Accidit huic, quod cæteris mortalibus, [16] *ut inconsideratior in secunda quàm in adversa esset fortuna.* Nam classe Peloponnesiorum devictâ, quum

INTERPRETATIO.

e *Hanc electionem non ad se, sed ad eum pertinere dixit.*

f *Non absque sollicitudine res gesserunt.*

NOTÆ.

12 *Quem vellet eligere ad dispensandam pecuniam.* Is apud Romanos Quæstor dicebatur, qui scilicet cogendis administrandisque pecuniis præficiebatur.

13 *Apud Cnidum.*] Urbs est in extremo cornu peninsulæ, Cariæ adhærentis, hodie vulgò *Cabo-Erio*, non longè ab Halicarnasso, & Co insulâ; hæc olim Praxitelis Venere nobilitata fuit, unde Horatius 1. Carm. Ode 30.

O Venus Regina Cnidi, Paphique,
Sperne dilectam Cypron, &c.

14 *Quæ sub Lacedæmoniorum fuerat imperio.*] Scilicet maritimo, de quo tamdiu certamen fuit inter Spartiatas, & Athenienses.

15 *Liberata est.*] In perpetuum assertæ Græciæ libertatis monumentum, binæ statuæ, sumptu publico, erectæ sunt prope Jovis Servatoris simulachrum, quarum altera Cononi, altera Evagoræ Cypriorum Regi, teste Plutarcho, dicata est.

16 *Ut inconsideratior in secundâ, quàm in adversâ esset fortunâ.*] Idem de Conone refert Polybius 17. histor. Et certè, hoc velut in more positum est, ut quos secunda fortuna amplectitur, hos quoque cæcitatis suæ participes faciat.

cultum se [17] injurias patriæ putaret, plura concupivit, quàm efficere potuit. Neque tamen ea non pia & probanda fuerunt, quod potius Patriæ opes augeri, quàm regis, maluit. Nam quum magnam autoritatem sibi pugnâ illâ navali quam apud Cnidum fecerat, constituisset, non solùm inter barbaros, sed etiam inter omnes Græciæ civitates: clàm dare operam cœpit, ut Ioniam & Æoliam restitueret Atheniensibus. Id quum minus diligenter esset celatum, [18] Teribazus, qui Sardibus præerat, Cononem evocavit, simulans ad regem eum se mittere velle magnâ de re. Hujus nuncio parens, quum venisset, in vincula conjectus: In quibus aliquandiu fuit. Nonnulli eum ad regem abductum, ibique periisse scriptum reliquerunt. Contra ea [19] Dinon historicus, cui nos plurimùm de Persicis rebus credimus, effugisse scripsit. Illud addubitat, utrum [20] Teribazo sciente, an imprudente sit factum.


NOTÆ.

17 *Injurias Patriæ.*] A Lacedæmoniis illatas.

18 *Teribazus.*] Qui Sardibus præerat Cononem evocavit. At paulo aliter istud refert Xenoph. lib. 4. de reb. gr. Diodorus lib. 14. Aiunt enim Teribazum Cononi, ob res prosperè ab eo gestas, invidisse, & hac prætextâ causâ, quòd Atheniensibus pecuniâ & classe regia urbes acquireret, eum Sardeis perductum in vincula conjecisse. Isocrates tamen per omnia ferè Nepoti consentit, & apertè significat in Panegyrico, Cononem immerito à Persis esse comprehensum.

19 *Dinon historicus.*] Hic Persica scripsit, Clitarchi pater fuit, vixitque tempore Artaxerxis Occhi, & Philipp. Voss. lib. 4. de hist. gr. c. 8.

20 *Teribazo.*] Pedestrium copiarum Præfecto. Diodor. lib. 16.



X.

[1] DIO HIPPARINI FILIUS SYRACUSANUS.

NOBILI genere natus, [2] utrâque implicatus tyrannide Dionysiorum. [3] Namque ille superior, [4] Aristomachen, sororem Dionis, habuit in matrimonio: ex qua duos filios, Hipparinum & Nysæum, procreavit: totidémque filias, Sophrosynen & Areten. Quarum priorem Dionysio filio eidem, cui regnum reliquit, nuptum dedit: alteram, Areten: Dioni: Dion autem præter nobilem propinquitatem, generosamque majorum famam, multa alia à natura habuit bona. In his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas: magnam corporis dignitatem, [5] quæ non minimùm commendat: magnas præterea divitias à patre relictas, quas ipse tyranni muneribus auxerat. [a] Erat intimus Dionysio priori, neque minùs propter mores quàm affinitatem. Namque etsi Dionysii crudelitas ipsi displicebat, tamen salvum illum propter necessitudinem, [6] magis etiam suorum causâ esse studebat. Aderat in magnis rebus: ejúsque consilio multum movebatur tyrannus, nisi qua in re major ipsius cupiditas intercesserat. Legationes verò omnes, quæ essent illustriores, per Dionem administrabantur. Quas quidem ille diligenter obeundo, fideliter administrando, crudelissimum nomen tyranni suâ humanitate tegebat. Hunc à Dionysio missum [b] Carthaginenses suspexerunt, ut neminem unquam Græcâ linguâ loquentem magis sint admirati. Neque verò hæc

INTERPRETATIO.

a *Cum utroque Dionysio Tyranno* affinitate *junctus*.

b *Pœni venerati sunt*.

NOTÆ.

1 DIO HIPPARINI FILIUS.] Hipparinum hunc Syracusanorum optimatum illustrissimum fuisse constat ex Diodoro lib. 16. Item ex Suida & Plutarcho.

2 *Utraque implicatus tyrannide Dionysiorum.*] Scilicet, patris & filii, qui ambo tyranni dicti sunt.

3 *Namque ille superior.*] Pater, nempe, qui ætate superior.

4 *Aristomachen Sororem Dionis.*] Duas uxores uno die duxit Dionysius superior, teste Æliano lib. 13. var. hist. Alteram Locrensem nomine Doridem, & alteram nomine Aristænetam Hipparini filiam, Dionis sororem. Unde patet Ælianum & Nepotem circa nomen ultimæ dissentire. Ex Locrensi Dionysium juniorem habuit; ex Dionis sorore Hipparinum & Nysæum filios, vel Narsæum, ut vult Diodorus. Vide Ciceronem 5. lib. Tusc. Quæst.

5 *Quæ non minimùm commendat.*] Aliàs, *Commendatur*, quod non improbo.

6 *Magis etiam suorum causa.*] Nimitum propter sororis suæ liberos.

Dionysium

Dionysium fugiebant. Nam quantò esset sibi ornamento, sentiebat. Quo fiebat, ut uni huic maximè indulgeret, neque eum secùs diligeret ac filium. Qui quidem, quum [7] Platonem Tarentum venisse fama in Siciliam esset perlata [8] adolescenti negare non potuit, [c] quin eum arcesseret, quum Dion ejus audiendi cupiditate flagraret. [d] Dedit ergo huic veniam, magnaque cum ambitione [9] Syracusas perduxit. Quem Dion adeò admiratus est atque adamavit, ut se totum ei traderet. [10] Neque verò minùs Plato delectatus est Dione. Itaque quum à Dionysio tyranno [11] crudeliter violatus esset, quippe quem venundari jussisset, tamen [12] eòdem rediit, ejusdem Dionis precibus adductus. Interim in morbum incidit Dionysius: quo cum graviter conflictaretur, quæsivit à medicis Dion, *quemadmodum se haberet: simulque ab his petiit, si forte majori esset periculo, ut sibi faterentur. Nam velle se cum eo colloqui de partiendo regno,* [13] *quòd sororis suæ filios ex illo natos, partem regni putabat debere habere.* Id medici non tacuerunt, & ad Dionysium filium sermonem retulerunt. Quo ille commotus, ne agendi cum eo esset Dioni potestas, [e] [14] patri soporem

INTERPRETATIO.

c *Quo minus illum acciret.*

d *Huic igitur facultatem* adducendi *fecit, & exquisito apparatu illum Syracusas advexit.*

e Potionem *soporiferam Parenti à Medicis dari voluit.*

NOTÆ.

7 *Platonem Tarentum venisse.*] Hodiè vulgò *Tarento*, urbs est Apuliæ notissima, in intimo recessu sinus, qui ab ea dicitur Tarentinus.

8 *Adolescenti negare non potuit.*) Id est, Dioni qui tum in florente juventâ erat, quum Platonem primâ vice audivit, valde docilis, & ingenio acerrimo. Plutarc. in Dione.

9 *Syracusas perduxit.*) Civitatem totius Siciliæ tunc facilè Principem, quæ sub Pachyno monte sita est, ubi fons Aretusa Poëtarum carminibus celebratus. Vide Cic. 6. in Verrem; hodie vulgò *Saragosa.*

10 *Neque minùs Plato delectatus est in Dione.*) Vide Laertium in ejus vitâ. Hujus etiam rei argumento sunt versus ejus in Dionem, qui dilectum à Platone, atque ardenter amatum indicant.

11 *Crudeliter violatus esset.*) Quia Platonem de virtute viri boni, & de justitiâ disputantem ferre non potuit, quippe qui vitam justorum esse beatam, tyrannorum miseram diceret, ideo inhumaniter eum habuit tyrannus, & tanquam mancipium in foro venumdari jussit. Diodorus lib. 15. & Plutarch. in Libello cui titulus est; *Πῶς ἄν τις διαγνοίη τὸν κόλακα.*

12 *Eodem rediit.*) Iterum in Siciliam navigasse Plato ipsemet testis est, sed post mortem Dionysii prioris; quia secundus Dionysius literis ipsi promiserat fore ut si veniret, exulanti Dioni omnia concederet.

13 *Quod sororis suæ filios.*) Eos nimirum qui ex Aristomachâ sorore sua, & Dionysio antiquiore nati erant.

14 *Patri soporem.*) Φάρμακον ὑπνωτικὸν, soporiferam potionem quæ ex nigri papaveris, & cicutæ succo parari solet, eaque frigidissima est, quo mortis genere Athenienses capite damnatos necare solebant. Unde Juven. Sat. 7.

hunc inopem vidistis Athenæ.
Nil præter gelidas ausæ conferre cicutas.

medicos dare coëgit. Hoc æger sumpto, somno sopitus, diem obiit supremnm. [15] Tale initium fuit Dionis & Dionysii simultatis: eáque multis rebus aucta est. Sed tamen primis temporibus aliquandiu simulata inter eos amicitia mansit. Quúmque dion non desisteret obsecrare Dionysium, ut Platonem Athenis arcesseret, & ejus consiliis uteretur: [16] ille, qui in aliqua re vellet patrem imitari, [17] morem ei gessit: eodémque tempore [18] Philistum historicum Syracusas reduxit, [19] hominem amicum non magis tyranno, quàm tyrannidi. Sed de hoc [20] in eo meo libro plura sunt exposita qui de historicis Græcis conscriptus est. Plato autem tantùm apud Dionysium autoritate potuit, valuitque eloquentiâ, ut persuaserit tyrannidis facere finem, libertatemque reddere Syracusanis. [21] A qua voluntate Philisti consilio deterritus, aliquantò crudelior esse cœpit. Qui quidem quum à Dione se superari videret ingenio, autoritate, amore populi; verens ne, si eum secum haberet, aliquam occasionem sui daret opprimendi: navem ei triremem dedit, [22] quâ Corinthum deveheretur: f [23] ostendens, se id utriúsque facere causâ, ne, quum inter se timerent, alteruter alterum præoccuparet. Id quum factum multi indignarentur, g magnæque esset invidiæ tyranno; Dionysius omnia, quæ moveri poterant Dionis, in naveis imposuit, ad eúmque misit. Sic enim existi-

INTERPRETATIO.

f *Indicans, id à se fieri in commune utriusque bonum, ne, propter mutuam diffidentiam, alteruter alterum supplantaret.*

g *Magnamque in tyrannum invidiam concitasset.*

NOTÆ.

15 *Tale initium fuit Dionis, & Dionysii simultatis.*) Paulò alirer super ea re sentiunt Diodorus lib 16. & Plutarchus in Dione.

16 *Ille, qui in aliqua re vellet patrem imitari.*) Nam Dionysius superior Platonem acciverat, ur suprâ dictum est.

17 *Morem ei gessit.*) Id est, Dioni obtemperans ad Platonem scripsir, cujus epistolæ summa extat inter epistolasPlatonis.

18 *Philistum historicum.*) Qui à Dionysio parre regno pulsus fuerat; revocatus est aurem in invidiam Dionis & Platonis; varias ille conscripsit historias de reb. Siculis cùm esset Adriæ otiosus & exul. Vossius de historicis Græcis.

19 *Hominem amicum non magis tyranno, quam tyrannidi.*] Id est, qui non minus tyrannum, quàm tyrannidem amabat: teverà enim cum Dionysio stricto amore copulabatur, nec ejus indoles à tyrannide abhorrebat.

20 *In eo meo libro.*) Hunc nobis temporum injuria abstulit, solumque ejus desiderium reliquit.

21 *A qua voluntate Philisti consilio deterritus.*) Hunc, ut mox diximus, ab exilio revocaverar Dionysius junior, ut aliquem haberet qui Platoni & Dioni adversarerur.

22 *Quâ Corinthum deveheretur.*) Corinthus urbs Achaiæ celeberrima, duobus portubus inclyra, in Isthmo Peloponnesi, cujus veluti claustrum est, sita.

23 *Ostendens, se id utriusque facere causâ.*] Aliter Plurarchus, aliter Diodorus illud narrant: Plutarchus quidem in Dione. Diodorus verò lib. 15.

mari volebat, id se non odio hominis, sed suæ salutis fecisse causâ. Postea verò quàm audivit eum in Peloponneso manum comparare, sibique bellum facere conari, [24] Areten Dionis uxorem alii nuptum dedit, [25] filiumque ejus sic educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. Nam puero priusquàm pubes esset, scorta adducebantur, vino epulísque obruebatur, [h] neque ullum tempus sobrio relinquebatur. [26] Is usque eò vitæ statum commutatum ferre non potuit, postquàm in patriam rediit pater, (namque appositi erant custodes qui eum [27] à pristino victu deducerent) ut se è superiore parte ædium dejecerit, atque ita interierit. Sed illuc revertor. Postquam Corinthum pervenit Dion, & eòdem perfugit [28] Heraclides ab eodem expulsus Dionysio, qui præfectus fuerat equitum: omni ratione bellum comparare cœperunt: sed non multùm proficiebant, [29] quòd multorum annorum tyrannis, magnarum opum putabatur. Quam ob causam [30] pauci ad societatem periculi perducebantur. Sed Dion, fretus non tam suis copiis quàm odio tyranni, maximo animo duabus onerariis navibus, quinquaginta annorum, imperium, munitum quingentis longis navibus, decem equitum, centum peditum millibus, profectus oppugnatum, quod omnibus gentibus admirabile est visum, adeò facilè perculit, ut post diem tertium, quàm Siciliam attigerat, [31] Syracusas introierit. Ex quo intelligi potest, *nullum esse imperium tutum nisi benevolentiâ munitum.* [32] Eo tempore aberat Dionysius, & in Italiâ classem operiebatur, ad-

INTERPRETATIO.

h *Neque ut sobrius esset spatium dabatur.*

NOTÆ.

24 *Areten Dionis uxorem alii nuptum dedit.*) Scilicet, Timocrati familiari suo, sed invitam. Sic Plutarchus ibidem.

25 *Filiumque ejus.*) Hunc Aretæum alii, alii Hipparinum, alii Hipparionem vocant.

26 *Is usque eo vita statum commutatum ferre non potuit.*] Eà de re fusè loquitur Plutarchus in Dione.

27 *A pristino victu deducerent.*] Id est, à pristino vivendi genere, corruptisque moribus revocarent.

28 *Heraclides ab eodem expulsus.*]Hunc turbulentum, seditiosum, mobilem, infidum, rei militaris imperitum scribit Plutarchus.

29 *Quod multorum annorum tyrannis.*] Non de Tyranno, sed de Tyrannide hic loquitur, quæ jam quinquaginta abhinc annis inceperat sub priore Dionysio, qui se relinquere filio tyrannidem adamante, seu vinculis adamantinis vinctam dicebat. Plutarchus in Dione. Diodor. lib. 15. Ælianus lib. 6.

30 *Pauci ad societatem.*] Triginta Syracusanos qui in Peloponneso exulabant Dionem secutos esse tradit Diodorus, sed multos in Græciâ propter tyranni odium se ipsi adjunxisse verisimile est.

31 *Syracusas introierit.*] Hujus reditus magnificentiam, & lætitiam describunt Plutarchus in Dione, & Diodorus ibid.

32 *Eo tempore aberat Dionysius.*] Tunc enim circa Cauloniam, seu Colonem erat, oppidum in primâ Italiæ fronte apud Locros situm. Plin. lib. 3.c. 10. Nec nisi septimo post Dionis reditum die Syracusas reversus est. Diodorus lib. 15.

versariorum ratus neminem sine magnis copiis ad se venturum: quæ res eum fefellit. Nam Dion his ipsis qui sub adversarii fuerant potestate, [i] regios spiritus repressit, totiúsque ejus partis Siciliæ potitus est, quæ sub Dionysii potestate fuerat: parique modo urbis Syracusarum, præter arcem [33] & insulam adjunctam oppido: eóque rem perduxit, ut talibus pactionibus pacem tyrannus facere vellet: *Siciliam Dion obtineret, Italiam Dionysius.* [34] *Syracusas Apollocrates, cui maximam fidem uni habebat Dion.* Has tam prosperas, támque inopinatas res consequuta est subita commutatio. Quòd fortuna sua mobilitate, quem paulò antè extulerat, demergere est adorta. Primùm in filio, de quo commemoravi suprà, suam vim exercuit. [35] Nam quum uxorem reduxisset, quæ alii fuerat tradita, filiumque vellet revocare ad virtutem à perdita luxuriâ; accepit gravissimum parens vulnus morte filii: [36] deinde ortâ dissensione inter eum & Heraclidem; qui quidem principatum non concedens, factionem comparavit. Neque is minùs valebat apud optimates, quorum consensu præerat classi, quum Dion exercitum pedestrem teneret. Non tulit hoc animo æquo Dion, & versum illum Homeri retulit [37] ex secundâ Rhapsodiâ, in quo hæc sententia est: *Non posse bene geri rempublicam multorum imperiis.* Quod dictum magna invidia consequuta est. Namque aperuisse videbatur se omnia in sua potestate esse velle. Hanc ille non lenire obsequio, sed acerbitate opprimere studuit: Heraclidémque, quum Syracusas venisset, interficiendum curavit. Quod factum omnibus maximum timorem injecit. Nemo enim illo interfecto se tutum putabat. Ille autem adversario remoto, licentius eorum bona, quos sciebat adversus se sensisse, militibus dispertivit; quibus divisis, quum quotidiani maximi fierent sumptus, celeriter pecunia deesse cœpit, [k] [38] neque quò manus porrigeret, sup-

INTERPRETATIO.

i *Tyrannicam superbiam arcuit.*
k *Neque quod raperet, supererat, præter ea quæ ab amicis possidebantur.*

NOTÆ.

33 *Et insulam adjunctam oppido.*] Insula portio erat urbis; nam Syracusæ constabant veluti ex quatuor urbibus. Livius 25. annal.

34 *Syracusas Apollocrates.*] Hunc Dionysii filium fuisse scribit Plutarchus, & Strabo lib. 6.

35 *Nam quum uxorem reduxisset.*] Nempe Areten, quæ, expulso Dione, Timocrati invita nupserat, ut suprà dictum est.

36 *Deinde orta dissensione inter eum & Heraclidem.*] Siquidem ille Dioni Principatum non concedebat. Porro, ut inquit Seneca in Agamemnone.

Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt. Lege Orationem Heraclidis apud Plutarchum.

37 *Ex secundâ Rhapsodiâ.*] Id est, ex secundo Iliad. libro, ubi sic legitur.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεὺς ᾧ ἔδωκε Θεὸς παῖς ἀγκυλομήτεω.

38 *Neque quo manus porrigeret, suppetebat.*] Quidam legunt, *Neque ampliùs quid porrigeret suppetebat*, nisi amicorum possessiones. Qui sensus ferè idem est.

petebat, nisi in amicorum possessiones. Id ejusmodi erat, ut quum milites reconciliasset, amitteret optimates. Quarum rerum cura frangebatur: & [l] insuetus malè audiendi, non æquo animo ferebat, de se ab his malè existimari, quorum paulò antè in cœlum fuerat elatus laudibus. Vulgus autem, offensâ in eum militum voluntate, liberiùs loquebatur, & tyrannum non ferendum dictitabat. Hæc ille intuens, quum quemadmodum sedaret, nesciret, & quorsum evaderent, timeret: [39] Callicrates quidam civis Atheniensis, qui simul cum eo ex Peloponneso in Siciliam venerat, homo & callidus & ad fraudem acutus, sine ulla religione ac fide, adit ad Dionem, & ait eum in magno periculo esse propter offensionem populi, & odium militum: quod nullo modo evitare posset, nisi alicui suorum negotium daret, qui se simularet illi inimicum: quem si invenisset idoneum, facilè omnium animos cogniturum, adversariósque sublaturum, quòd inimici ejus diffidenti suos sensus aperturi forent. Tali consilio probato, excipit has partes ipse Callicrates, & se armat imprudentia Dionis. Ad eum interficiendum socios conquirit: adversarios ejus convenit, conjurationem confirmat. [m] Res, multis consciis quæ gereretur, elata refertur ad Aristomachen sororem Dionis, uxorémque Areten. Illæ timore perterritæ conveniunt, cujus de periculo timebant. At ille negat, à Callicrate fieri sibi insidias: sed illa quæ agerentur, fieri præcepto suo. Mulieres nihilo secius Callicratem [40] in ædem Proserpinæ deducunt, [41] ac jurare cogunt, [n] nihil ab illo periculi fore Dioni. Ille hac religione non modò ab incepto non deterritus, sed ad maturandum concitatus est, verens ne priùs consilium aperiretur suum, quàm conata perfecisset. Hac mente, proximo die festo, quum à conventu se remotum Dion domi teneret, atque in conclavi edito recubuisset: consciis loca munitiora oppidi tradidit: domum custodibus sepsit: à foribus qui non discederent, certos præfecit. Navem triremem armatis ornat, [42] Philocratique fratri suo tradit, cam-

INTERPRETATIO.

l *Nec qui* probra *de se audire soleret.*
m *Quia per multos conscios res agitabatur, divulgata.*
n *Nullatenus fi Dioni nocturum.*

NOTÆ.

39 *Callicrates quidam.*]Hunc Calippum nominant Plutarchus, Diodorus, Suidas, & Athenæus, lib. 11. c. 23.

40 *In ædem Proserpinæ.*] Cereris & Jovis filiæ, quæ cùm in Campis Ennæis flores legeret in Sicilia, à Plutone rapta est, & in hujus honorem templum erectum est. Claudianus de raptu Proserp.

41 *Ac jurare cogunt.*]Sacramentum ejusmodi quod maximè formidandum existimabatur, hac solemnitate fiebat, teste Plutarcho in Dione; qui fidem præstabat, in Cereris templum descendens, Deæ purpuram, quibusdam peractis sacrificiis, induebat, tumque facem tenens, se fidem servaturum jurabat.

42 *Philocratique fratri suo.*]Aliàs Philostratus nominatur.

que in portu agitari jubet, ut si exercere remiges vellet: cogitans, si fortè consiliis obstitisset fortuna, ut haberet, quò fugeret, ad salutem. Suorum autem è numero [43] Zacynthios adolescentes quosdam elegit cùm audacissimos, tum viribus maximis; hisque dat negotium, ut ad Dionem eant inermes, sic ut conveniendi gratiâ viderentur venire. Hi propter notitiam sunt intromissi. At illi, ut limen ejus intrarunt, [44] foribus obseratis, in lecto cubantem invadunt, [45] colligant: fit strepitus, adeò ut exaudiri possit foris. Hîc, sicut antè sæpè dictum est, quàm *invisa sit singularis potentia, & miseranda vita, qui se metui quàm amari malunt*, cuivis facilè intellectu fuit. Namque illi ipsi custodes, [46] si propitiâ fuissent voluntate, foribus effractis servare eum potuissent, quòd illi inermes, telum foris flagitantes, vivum tenebant. Cui quum succurreret nemo, Lyco quidam Syracusanus per fenestras gladium dedit, quo Dion interfectus est. Confecta cæde, quum multitudo visendi gratiâ introïsset, nonnulli ab insciis pro noxiis conciduntur. Nam celeri rumore dilato, Dioni vim allatam, multi concurrerant quibus tale facinus displicebat. Hi falsâ suspicione ducti, immerentes, ut sceleratos occidunt. [o] Hujus de morte ut palam factum est, mirabiliter vulgi immutata est voluntas. Nam qui vivum eum tyrannum vocitarant, eundem liberatorem patriæ, tyrannique expulsorem prædicabant. Sic subitò misericordia odio successerat, ut eum suo sanguine, si possent, [p] [47] ab Acheronte cuperent redimere: [48] Itaque in urbe, celeberrimo loco, elatus publicè, [49] sepulcri monumento donatus est. Diem obiit circiter annos

INTERPRETATIO.

o *Ut mors ejus vulgata est.*

p *Ad vitam optarent revocare.*

NOTÆ.

43 *Zacynthios adolescentes.*] Zacynthus insula est non longè à Cephaleniâ in Ionio mari, nunc vulgò *Zante*. At verò quidam non Zacynthios, sed Sagunthinos legunt, propter nominis affinitatem.

44 *Foribus obseratis.*] Intus ab iis qui intromissi fuerant; quanquam Plutarchus ab illis, qui extra erant clausas seu ad se adductas esse, dicit.

45 *Colligant.*] Vinculis astringunt.

46 *Si propitiâ fuissent voluntate.*] Aliàs, *propriâ*.

47 *Ab Acheronte cuperent redimere.*] Sic Cicero; *Post reditum in Senatu*, & omnes Metellos præstantissimos cives pænè ex Acheronte excitatos. Porrò Acheron est Epiri fluvius apud Geographos, apud Poëtas verò Inferorum, sic dictus, ἀπὸ τῦ ἄχεος, καὶ ῥέω. Quasi doloris fluvius.

48 *Itaque in urbe, celeberrimo loco.*] Quod sanè eximii honoris indicium fuit, quia veteres quemquam, nisi fortè Imperatores, in urbe sepelire non solebant.

49 *Sepulchri monumento donatus est.*] Duplicis erant generis sepulchra; alia sumptu publico facta; alia quæ tantùm ex decreto publico erigebantur: Prima iis tantùm concedebantur qui optimè de Rep. meriti fuerant: Secunda verò claris quidem viris permittebantur, quia in Atheniensium Rep. non licebat sepulchra defunctorum ornare, quantùm aut hæredum, aut ipsius etiam defuncti ambitio postulasset; sed de tumulis majoris impensæ cognoscebatur. Casaubon.

quinquaginta quinque natus, quartum pòst annum, quàm ex Peloponneso in Siciliam redierat.



XI.

[1] IPHICRATES ATHENIENSIS.

NON tam magnitudine rerum gestarum, [2] quàm disciplina militari nobilitatus est. Fuit enim talis dux, ut non solùm ætatis suæ cum primis compararetur, sed ne de majoribus natu quidem quisquam anteponeretur. Multum verò in bello est versatus; sæpè exercitibus præfuit; [3] nusquam culpâ malè rem gessit; semper consilio vicit, tantúmque eo valuit, ut multa in re militari partim nova attulerit, partim meliora fecerit. [4] Namque ille pedestria arma mutavit. Cùm ante illum imperatorem maximis clypeis, brevibúsque hastis, minutis gladiis uterentur; ille è contrario [5] peltam pro parma fecit, à quo postea peltastæ pedites appellantur, ut ad motus concursusque essent leviores. [a] [6] Hastæ modum duplicavit, gladios longiores fecit. Id genus loricarum mutavit, [7] & pro ferreis atque æneis, [b] lineas dedit. Quo

INTERPRETATIO.

a *Hastas duplo* majores *fecit.* | b *Ex lino* textas *præbuit.*

NOTÆ.

1 IPHICRATES ATHENIENSIS.] Iphicratem Sutoris filium non pauci existimant, inter quos Aristoteles 1. Rhet. Xenoph. lib. 6. Plutarchus, Athenæus, Ælianus, & alii quamplures.

2 *Quàm disciplinâ militari.*] Fuit & præterea optimus Rhetor, unde Justin. lib. 6. c. 5. ait in Iphicrate non imperatorias tantùm, verùm & oratorias fuisse artes.

3 *Nusquam culpâ malè rem gessit.*] In re militari tamen ejus consilium reprehendit Xenoph. lib. 6. de reb. gr. in fine.

4 *Namque ille pedestria arma mutavit.*] Vide Diodorum lib. 13. cum quo Nepos prorsus consentit.

5 *Peltam pro parmâ fecit.*] Peltæ amazonicæ hederæ folio similes erant; Thraciæ quadrangulæ, teste Suidâ; pelta autem scutum est brevissimum & ferè quadratum, parma verò, brevius & mobilius, ac ferè rotundum: formam Peltæ describit Xenoph. apud Jul. Pollucem lib. 1. Onomast. c. 10.

6 *Hastæ modum duplicavit.*] Quod patet ex his Diodori verbis; Ηὔξησε τὰ δόρατα ἡμιολίῳ μεγέθει. Id est, hastas magnitudine sesqui alterâ auxit.

7 *Et pro ferreis, atque æneis lineas dedit.*] Propterea quod ferreæ & æneæ majori oneri & impedimento essent, quàm

facto expeditiores milites reddidit, nam pondere detracto, quod æquè corpus tegeret, & leve esset, curavit. Bellum cum Thracibus gessit; [8] Seuthen socium Atheniensium, in regnum restituit. Apud Corinthum tanta severitate exercitui præfuit, ut nullæ unquam in Græcia neque exercitatiores copiæ, [c] neque magis dicto audientes fuerint duci, in eámque consuetudinem adduxit, ut quum prælii signum ab imperatore esset datum, sine ducis opera sic ordinatæ consisterent, ut singuli à peritissimo imperatore dispositi viderentur. [9] Hoc exercitu [d] moram Lacedæmoniorum interfecit, quod maximè totâ celebratum est Græciâ. [10] Iterum eodem bello omnes copias eorum fugavit, quo facto magnam adeptus est gloriam. [11] Quum Artaxerxes Ægyptio regi bellum inferre voluisset, Iphicratem ab Atheniensibus petivit ducem, [e] quem præficeret [12] exercitui conductitio, cujus numerus duodecim millium fuit. Quem quidem sic omni disciplina militari erudivit, ut [13] quemadmodum quondam Fabiani milites Romani appellati sunt, sic Iphicratenses apud Græcos in summâ laude fuerint. [14] Idem subsidio Lacedæmoniis profectus, Epaminondæ retardavit impetus. Nam nisi ejus adventus appropinquasset, non priùs Thebani Spartâ abscessissent quàm captam incendio delessent. Fuit autem & animo magno & corpore, [15] imperatoriâque formâ

INTERPRETATIO.

c *Nec magis obsequentes Dux habuerit.*
d *Partem Spartanorum cecidit.*
e *Quem mercenariis copiis præponeret.*

NOTÆ.

commodo; lineæ verò maximo essent usui, nullique ferè impedimento: fiebant autem linei Thoraces hoc modo; linum aceto, cui sal esset adjectum, imbuendo & macerando, deinde ita cogebatur ut soliditatem ac Crassitiem lintei decies & ampliùs in se complicati haberet. Vide super ea re Nicetam Acominatum lib. 1. rerum Isaaci Angeli.

8 *Seuthen socium Atheniensium.*] Quidam Scorym legunt; hic est qui apud Curtium l. x. c. 1. Seuthes Odrysias dicitur, quem non Regem Polienus facit 7. Stratag.

9 *Hoc exercitu moram Lacedæmoniorum interfecit.*] Mora vox Græca est, quæ idem valet ac μοῖρα, hoc est *Pars*; quâ voce utebantur Lacedæmonii & Dores. Deodorus μοῖραν appellat, quod moram hic dicimus. Hujus Turmæ seu Cohortis cladem multis verbis exponit Xenoph. lib. 4. de reb. gr.

10 *Iterum eodem bello omnes copias eorum fugavit.*] Et ubi & quando id factum sit, difficile est in aliis historicis detegere, nisi fortè hæc sit pugna de qua loquitur Xenoph. lib. 6. de rebus gr. ferè ab exordio.

11 *Quum Artaxerxes Ægyptio Regi.*] Nimirum Acori, ut vult Lambinus.

12 *Exercitui conductitio.*] Conductitius exercitus ille est, qui ex militibus mercede conductis, ceu mercenariis constat.

13 *Quemadmodum quondam Fabiani milites Romani appellati sunt, sic Iphicratenses apud Græcos, &c.*] Fabiani milites à Fabio maximo qui cunctator dictus, & qui cunctando vires Annibalis attrivit; sic Joviniani, Herculiani milites apud Zozimum & Mamertinum.

14 *Idem subsidio Lacedæmoniis profectus.*] Nimirum clade apud Leuctram per Epaminondam egregium Thebanorum Ducem Lacedæmoniis illatâ.

13 *Imperatoriaque formâ.*] Quæ in frontis & corporis majestate consistit, unde pulchri dicuntur imperio digni. Sic Plin. de Trajano in Panegyrico.

ut

ut ipso aspectu cuivis injiceret admirationem sui: sed in labore remissus nimis, parúmque patiens, ut Theopompus memoriæ prodidit. Bonus verò civis, fidéque magnâ: quod cùm in aliis rebus declaraverit, tum maximè in [16] Amyntæ Macedonis liberis tuendis. [17] Namque Eurydice mater Perdiccæ & Philippi, cum his duobus liberis, Amyntâ mortuo, ad Iphicratem confugit, ejusque opibus defensa est. Vixit ad senectutem [18] placatis in se suorum civium animis. Causam capitis semel dixit bello sociali simul cum Timotheo, eóque judicio est absolutus. Menesthea filium reliquit [19] ex Thressa [20] Coti Regis filia. Is quum interrogaretur *utrum Pluris patrem matrémne faceret*: *Matrem*, inquit. Id quum omnibus mirum videretur: *At ille*, *Merito*, inquit, *facio* [21] *nam pater, quantum in se fuit, Thracem me genuit: contrà ea mater Atheniensem.*

NOTÆ.

16 *In Amyntæ Macedonis liberis.*] Cujus filius Philippus Alex. magni pater.

17 *Namque Eurydice mater Perdiccæ & Philippi.*] Vide Q. Curtii supplementum in principio, ubi de Eurydice & Perdiccâ sermo est.

18 *Placatis in se suorum Civium animis.*] Nam Athenienses irati Iphicratem & Timotheum in judicium vocatos multis talentis multaverant, & imperandi munere abdicarant, quod infra videbitur: Sed Polienus cum Nepote conveniens, Iphicratem & accusatum esse significat, & absolutum.

19 *Ex Thressâ.*] Id est, in Thraciâ natâ.

20 *Coti Regis.*] Is Thraciæ Rex fuit Alii *Cotyis* legi volunt.

21 *Nam pater, quantum in se fuit, Thracem me genuit: contrà ea mater Atheniensem.*] Sic Patris cum barbarâ matrimonium carpere videtur, eumque solum arguere, si quid alienum à Græcorum urbanitate & moribus haberet; nam Pater ejus quantùm in se fuit Thracem genuit, quia uxorem Threïssam duxit; immò verò mater, quantùm potuit, Atheniensem fecit, quia viro Atheniensi nupsit.





XII.

CHABRIAS ATHENIENSIS.



IC quoque in summis habitus est ducibus, [1] résque multas memoriâ dignas gessit. Sed ex his elucet maximè Inventum ejus in prælio, quod apud Thebas fecit, quum Bœotiis subsidio venisset. Namque in ea victoria fidente summo duce Agesilao, fugatis jam ab eo conductitiis catervis, [2] reliquam phalangem loco vetuit cedere [a] [3] obnoxioque genu scuto, projectáque hasta, impetum excipere hostium docuit. Id novum Agesilaus intuens, progredi non est ausus, suósque jam incurrentes, tubâ revocavit. Hoc usque eò in Græcia famâ celebratum est, ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit, quæ publicè ei ab Atheniensibus in foro constituta est. Ex quo factum est, [4] ut postea athletæ [5] cæterique artifices, [c] his statibus in statuis ponendis uterentur, in quibus victoriam essent adepti: Chabrias autem multa in Europa bella administravit, quum dux Atheniensium esset:

INTERPRETATIO.

a *Clypeoque ad genu* firmiter *acclinato, porrectâque hastâ.*

b *Receptui cecinit.*

c *Eo in* corporis *habitu statuas ponerent, in quo victoriam obtinuissent.*

NOTÆ.

1 *Resque multas memoriâ dignas gessit.*] De quibus fusè Xenoph. lib. 5. de reb. gr. Diodorus lib. 15. Plutarchus in Phocione. Demosthenes oratione in Leptinem; quem etiam non solum res memoriâ dignas gessisse, sed & dixisse testatur Plutarchus in Apophtegm.

2 *Reliquam Phalangem.*] Dupliciter apud Authores Phalangis nomen accipitur; apud Macedones turba erat constans octo peditum millibus; apud alios Græciæ populos, stabile dicitur agmen sine determinato numero ubi vir viro, arma armis conserta sunt; quo sensu hic accipitur.

3 *Obnixoque genu scuto.*] De hoc habitu ad præliandum composito, vide Marcellinum, & D. Ambrosium; cui Romani testitudinem substituerunt.

4 *Ut postea Athletæ.*] Ii dicebantur qui certaminibus, quæ à Græcis ἀγῶνες ἰσελαστικοὶ vocantur, vicissent; ii & Gymnici, quia nudi pugnabant quinque certaminum generibus, luctatione, pugilatu, cursu, saltu, pancratio.

5 *Cæterique artifices.*] Quales sunt Scenici, Musici, Pantonimi, & alii ejusmodi.

[d] [6] multa in Ægypto suâ sponte gessit. Nam Nectanebum adjutum profectus, [e] regnum ei constituit. [7] Fecit idem Cypri, sed publicè ab Atheniensibus Evagore adjutor datus: neque prius inde discessit quàm totam insulam bello devinceret; quâ ex re Athenienses magnam gloriam sunt adepti. Interim bellum inter Ægyptios & Persas conflatum est, & Athenienses cum Artaxerxe societatem habebant: Lacedæmonii cum Ægyptiis, [8] à quibus magnas prædas Agesilaus rex eorum faciebat. Id intuens Chabrias, quum in re nulla Agesilao cederet, [9] suâ sponte eos adjutum profectus, Ægyptiæ classi præfuit, pedestribus copiis Agesilaus. Tum præfecti regis Persiæ, legatos miserunt Athenas questum, quòd Chabrias adversum regem bellum gereret cum Ægyptiis. Athenienses diem certam Chabriæ præstituerunt, quam ante, domum nisi redisset, capitis se illum damnaturos denunciarunt. Hoc ille nuncio Athenas rediit, neque ibi diutius est moratus, quàm fuit necesse. Non enim libenter erat ante oculos civium suorum, quòd & vivebat lautè, & indulgebat sibi liberaliùs, quàm ut invidiam vulgi posset effugere. *Est enim hoc commune vitium in magnis liberísque civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit, & libenter de his detrahant, quos eminere videant altiùs: neque animo æquo pauperes alienam* [10] *opulentium intuuntur fortunam.* Itaque Chabrias quoad ei licebat, plurimùm aberat. Neque verò solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes ferè principes fecerunt idem, quod tantùm se ab invidia putabant affuturos, [11] quantùm a conspectu suorum recessissent. Itaque Conon plurimùm Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, [12] Timotheus Lesbi, [13] Chares in

INTERPRETATIO.

d *Plurima ad Nilum privato jure fecit.*

e *Illi principatum asseruit.*

NOTÆ.

6 *Multa in Ægypto suâ sponte gessit.*] Id est, sine publicâ authoritate. Tulit autem auxilium Ægyptiis quorum tunc Rex erat *Tachus*; vel, ut Polyæno placet, *Thamus*, cujus filius *Nectanebus*, alias *Nectenabus*, quem non filium, sed sororis ejus filium vocat Plutarchus in Agesilao.

7 *Fecit idem Cypri.*] Pro *in Cypro*; vel fecit idem *Cypri regi.*

8 *A quibus magnas prædas Agesilaus Rex eorum faciebat.*] Sic Cicero in Verrem: maximos quæstus, prædasque fecisse.

9 *Sua sponte eos adjutum profectus.*] Id est, sine suffragio & decreto populi, ut jam supra; nam Diodorus scribit eum ab Acoride fuisse arcessitum.

10 *Opulentium intuuntur fortunam.*] Pro *opulentorum*; *opulens*, pro *opulentus*, ex Ausonio. *Non opulens nec egens, parcus sine sordibus egi. Violens*, pro *violentus*, ex Horatio Od. 30. lib. 3.

11 *Quantum à conspectu suorum recessissent.*] Quia subductio sui ab oculis vulgi lividi omnem invidiæ viam præcidit.

12 *Timotheus Lesbi.*] De Timotheo mox. Lesbos, insula est, de qua suprà.

13 *Chares in Sigæo.*] Chares Atheniensium Dux in promissis facilis & promptus; unde istud *Charetis pollicitationes*; Suidas. Sigæum Idæ promontorium est; Arist. l. 5. animalium. Ælianus verò & Pomponius oppidum dicunt. Apud Stra-

Sigæo. [14] Dissimilis quidem Chares horum & factis & moribus: sed tamen Athenis & honoratus & potens. Chabrias autem periit bello sociali, tali modo. [15] Oppugnabant Athenienses Chium: erat in classe Chabrias privatus, sed omnes, qui in magistratu erant, authoritate anteibat, eumque magis milites quàm qui præerant, aspiciebant. Quæ res ei maturavit mortem. Nam dum primus studet portum intrare, & gubernatorem jubet eò dirigere navem, ipse sibi perniciei fuit. Quum enim eò penetrasset, cæteræ non sunt sequutæ. Quo facto circumfusus hostium concursu, quum fortissimè pugnaret, [16] navis rostro percussa cœpit sidere. [17] Hinc quum refugere posset, si se in mare dejecisset; quòd suberat classis Atheniensium, [18] quæ exciperet natantem: perire maluit, [19] quàm armis abjectis navem relinquere, in qua fuerat vectus. Id cæteri facere noluerunt, qui nando in tutum pervenerunt. At ille, *præstare honestam mortem turpi vita* existimans, cominus pugnans telis hostium interfectus est.

NOTÆ.

bonem lib. 13. tamen duo sunt ejus nominis oppida sibi vicina; ut est apud Plinium.

14 *Dissimilis quidem Chares.*] Super eâ re Diodorum & Plutarchum in Apophtegm. consule.

15 *Oppugnabant Athenienses Chium.*] Chius insula est Ionum clarissima, prope Eritheas urbem min. Asiæ. Vide Plin. lib. 5. cap. 31.

16 *Navis rostro percussa cœpit sidere.*] Pro pessum ire, & demergi; nam sidere Anchoræ dicuntur quæ fundo infixæ hærent; unde illud Poëtæ Horatii.

Priusque Cœlum sidet inferius mari.

Et apud Senecam Rhet. Suasoriarum 1.

Accumulat fragor ipse metus, jam sidere limo
Navigia, & rapido desertam flamine classem.

17 *Hinc quum refugere posset, si se in mare dejecisset.*] Alii, cum negatione, leguntque, *hinc quum refugere non posset, nisi se in mare, &c.* utrumque non improbandum mihi videtur.

18 *Qua exciperet natantem.*] Quidam legunt, *Natantes.*

19 *Quam armis abjectis.*] Quia probrum erat, & dedecus militare.





XIII.

TIMOTHEUS
[1]CONONIS FILIUS
ATHENIENSIS.



HIC à patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus. [2] Fuit enim disertus, impiger, [3] laboriosus, rei militaris peritus, neque minùs civitatis regendæ. Multa hujus sunt præclarè facta, sed hæc maximè illustria. [4] Olynthios & Byzantios bello subegit: Samum cepit, in qua oppugnanda, superiori bello Athenienses mille & ducenta talenta consumpserant. Hanc ille sine ulla publica impensa populo restituit. [5] Adversùs Cotyn bella gessit, ab eóque mille & ducenta talenta prædæ in publicum detulit. [6] Cyzicum obsidione liberavit. [7] Ariobarzani simul cum Agesilao auxilio profectus est: [8] à quo quum Laco pecuniam numeratam accepisset, ille cives suos agro atque urbibus augeri maluit quàm id sumere, cujus partem domum suam ferre posset. [9] Itaque accepit Erichthonem & Sestum. Idem classi præfectus circumvehens Pe-

NOTÆ.

1 CONONIS FILIUS.] Ex Threïcia pellice, quæ postea modestiæ exemplum evasit. Athenæus lib. 13. c. 13.

2 *Fuit enim disertus.*] Idem testatur Cicero lib. 1. de Offic. *Africanus*, inquit, *cumulavit bellicam gloriam; quod idem fecit Timotheus Cononis filius, qui quum belli laude non inferior fuisset quàm pater, ad eam laudem doctrinæ, & ingenii gloriam adjecit.*

3 *Laboriosus.*] Φιλόπονος; seu laboris amicus.

4 *Olynthios & Byzantios.*] Olynthus, urbs Thraciæ, olim Atticæ ditionis. De Byzantio jam suprà dictum est.

5 *Adversùs Cotyn bella gessit.*] Vel *Cotym*; quidam etiam Cotum, ut suprà in Iphicrate. Hic Paphlagonum; ille Thracum rex fuit.

6 *Cyzicum obsidione liberavit.*] Cyzicus urbs antiqua in Mysia ad Propontidem, juxta Ptolemæum, & alios.

7 *Ariobarzani simul cum Agesilao.*] Ariobarzanes ille Persarum Regis Satrapes fuit, qui jampridem à Rege defecerat.

8 *A quo quum Laco.*] Agesilaus designatur.

9 *Itaque accepit Erichthonem & Sestum.*] Erichthonem Abydi synonymum esse conjicit Abrahamus Ortelius. Sunt qui *Erithonem* & *Sextum* legant; quidam Crithonem; quidam etiam Crithoten: Est verò Crithote urbs in Chersoneso Thraciæ, quam Athenienses, Miltiade Duce, incoluerunt, ut supra dictum est in Miltiade, Suidâ & Stephano testibus. Sestus verò ad Hellespontum Abydo objecta in eadem Chersoneso sita, ut jam dictum est.

loponnesum Laconicam populatus, classem eorum fugavit. [10] Corcyram sub imperium Atheniensium redegit, sociósque idem [11] adjunxit Epirotas, [12] Athamanas, Chaonas, omnésque eas gentes [13] quæ mare illud adjacent. Quo facto Lacedæmonii de diutina contentione destiterunt, & suâ sponte Atheniensibus [14] imperii maritimi principatum concesserunt, pacémque his legibus constituerunt; *ut Athenienses mari duces essent.* Quæ victoria tantæ fuit Atticis lætitiæ, ut tum primùm [15] aræ paci publicæ sint factæ, [16] eíque deæ pulvinar sit institutum. Cujus laudis ut memoria maneret, [17] Timotheo publicè statuam in foro posuerunt: qui honos huic uni ante hoc tempus contigit; ut quum patri populus statuam posuisset, filio quoque daret. Sic juxta posita recens filii, [18] veterem patris renovavit memoriam. Hic quum esset magno natu, & magistratus gerere desisset: bello Athenienses undique premi sunt cœpti. Defecerat Samus, [19] descierat Hellespontus, [20] [a] Philippus jam tunc valens Macedo multa moliebatur: [21] cui oppositus Chares quum esset, non satis in eo præsidii putabatur. [22] Fit Menestheus prætor,

INTERPRETATIO.

a *Philippus Macedo jam tum potens, plurima machinabatur.*

NOTÆ.

10 *Corcyram sub imperium Atheniensium redegit.*] Insula est in Ionio mari, nunc vulgò *Corfu*; ut suprà.

11 *Ajunxit Epirotas.*] Epiri regionis Græciæ versus Adriaticum mare incolas, qui primò Pyrrhidæ dicti sunt.

12 *Athamanas.*] Quidam *Athamatas*; alii *Athamantios*; alii *Acarnanas*; ex Diodoro, quod non improbo, quia in eo tractu nulli inveniuntur populi qui superioribus nominibus cogniti fuerint. De Acarnanibus autem jam dictum est.

13 *Quæ mare illud adjacent.*] Antiqua loquendi forma; pro, quæ mari illi, vel, ad mare illud adjacent.

14 *Imperii maritimi principatum.*] Quem per septuaginta quinque annos servaverunt, postquam diu de illo cum Lacedæmoniis Athenienses contendissent.

15 *Aræ paci publicæ sint factæ.* Aras paci jam positas post victoriam Cimonis in Persas ad Eurymedontem scribit Plutarchus in Cimone, quod Nepoti repugnare videtur.

16 *Eique Deæ pulvinar sit institutum.* Quod apud Romanos in more positum erat, ut & apud Græcos, ex Livio, & aliis qui frequenter de Lectisterniis loquuntur, seu sacris pulvinaribus.

17 *Timotheo publicè statuam in foro posuerunt.*] Statuam hanc inter eas numerat Pausanias, quæ in Arce Minervæ positæ sunt.

18 *Veterem Patris renovavit memoriam.*] In aliis legitur memoria, quasi dicas; recens filii statua, veterem patris statuam memoriâ renovavit, quod parum mihi probandum videtur.

19 *Descierat Hellespontus.*] Id est, ora Hellespontiaca ab Atheniensium partibus defecerat.

20 *Philippus jam tunc valens.*] Alexandri magni pater.

21 *Cui oppositus Chares cùm esset.*] Hunc Atheniensium Ducem segnem, tardum, deliciisque affluentem scribit Athenæus, lib. 12. cap. 15. & Theopompus lib. 45. Plutarchus verò in Phocione sic de eo censet; *Charetem itaque populus non tam suo merito, quam Oratorum ambitione & studiis partium, huic expeditioni præficiunt.*

22 *Fit Menestheus Prætor.*] Menestheus Iphicratis filius, de quo jam suprà in Iphicrate.

filius Iphicratis, gener Thimothei, & ut ad bellum proficiscantur, decernitur. Huic in consilium dantur duo, usu & sapientiâ præstantes, quorum consilio uteretur, [23] pater & socer: quod in his tanta erat authoritas, ut magna spes esset, per eos amissa posse recuperari. Hi quum Samum profecti essent, & eodem Chares eorum adventu cognito, cum suis copiis proficiscerentur, ne quid absente se gestum videretur: accidit quum in insulam appropinquarent, ut magna tempestas oriretur: quam evitare duo veteres imperatores utile arbitrati, [b] suam classem suppresserunt. At ille temerariâ usus ratione, non cessit majorum natu autoritati, & ut in sua navi esset fortuna, quò contenderat, pervenit, eodémque ut sequerentur, ad Timotheum & Iphicratem nuncium misit. Hinc malè re gestâ, compluribus amissis navibus, eòdem, unde erat profectus, se recepit, literásque Athenas publicè misit, [c] sibi proclive fuisse Samum capere, nisi à Timotheo & Iphicrate desertus esset. Ob eam rem [d] in crimen vocabantur. Populus acer, suspicax, mobilis, adversarius, invidus etiam potentiæ domum revocat: accusantur proditionis. [24] Hoc judicio damnatur Timotheus, lísque ejus æstimatur centum talentis. Ille odio ingratæ civitatis coactus, [25] Chalcidem se contulit. Hujus post mortem, quum populum judicii sui pœniteret, multæ novem partes detraxit, & decem talenta Cononem filium ejus ad muri quandam partem reficiendam jussit dare. In quo fortunæ varietas est animadversa. Nam quos avus Conon muros ex hostium præda patriæ restituerat, eosdem nepos cum summa ignominia familiæ, ex sua re familiari reficere coactus est. Timothei autem moderatæ sapientisque vitæ quum pleráque possimus proferre testimonia; uno erimus contenti, quod ex eo facilè conjici poterit quàm charus suis fuerit. Quum Athenis adolescentulus causam diceret, non solùm amici privatísque hospites ad eum defendendum convenerunt, sed etiam in eis [26] Jason tyrannus, qui illo tempore fuit omnium potentissimus. Hic quum in patria sine satellitibus, se tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo præsidio

INTERPRETATIO.

b *Naves suas continuerunt.*
c *A se facilè Samum capi potuisse.*
d *Ut rei accusabantur.*

NOTÆ.

23 *Pater & socer.*] Id est, Iphicrates, & Thimotheus.

24 *Hoc judicio damnatur Timotheus.*] Quia etsi una cum illo Iphicrates accusatus fuisset, tamen absolvitur, ut sup. in Iphicrate.

25 *Chalcidem se contulit.*] Urbem Eubœæ ad Euripum; unde Virg. 6. Æneid. *Chalcidicâque levis tandem super adstitit arce.*

26 *Jason Tyrannus.*] Non clarus ille Argonautarum Dux, sed, ut quidam volunt, Thessalorum tyrannus, cujus meminerunt Xenoph. Diodorus, Plutarchus, & alii complures.

venit, tantíque hospitem fecit, ut mallet se capitis periculum adire, quam Timotheo de fama dimicanti deesse. Hunc adversùs tamen, Timotheus postea populi jussu bellum gessit. [27] *patria enim sanctiora jura quàm hospitii esse* duxit. Hæc extrema fuit ætas imperatorum Atheniensium, Iphicratis, Chabriæ, Timothei; neque post illorum obitum quisquam dux in illa urbe fuit dignus memoriâ. Venio nunc ad fortissimum Virum, maximíque consilii omnium barbarorum, exceptis duobus Carthaginiensibus Hamilcare & Hannibale.

NOTÆ.

27 *Patria enim sanctiora jura, quam hospitii esse duxit.*] Quod ei veluti probrum aliquod objicit Æschines Orat. περὶ παραπρεσβ.

XIV.

DATAMES.

[1] DE quo hoc plura referemus, quòd & obscuriora sunt ejus gesta pleraque, & ea quæ prosperè ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilii [2] quo tantùm non omnes superabat, acciderunt. Quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt. [3] Datames patre Camissare, natione Care, matre Scythissâ natus, primùm militum numero fuit apud Artaxerxem eorum, qui regiam tuebantur. Pater ejus Camissares, quòd & manu fortis, & bello strenuus, & regi multis locis fidelis erat repertus, [4] habuit provinciam partem Ciliciæ [5] juxta Cappadociam, quam incolunt Leuco-

NOTÆ.

1 *De quo hoc plura referemus.*] Sic omnes ferè editiones incipiunt præter Lambinianam, quæ ab his verbis incipit; *Venio nunc ad fortissimum virum, &c.* quæ verba membranæ veteres Timotheo adscribunt.

2 *Quo tantum non omnes superabat.*] Aliàs, quo tamen omnes superabat.

3 *Datames patre Camissare, natione Care, matre Scythissâ.*] Id est, cujus pater Camissares ex Caria natus erat, mater ex Scythia. Porro Caria, nunc vulgò *Lango*, Regio minoris Asiæ, inter Lyciam & Ioniam. Vide Plin. l. 3. c. 27.

4 *Habuit provinciam partem Ciliciæ.*] Quidam legunt, *habuit provinciam Ciliciæ*, quod minus probo, quia Leucosyri non omnem Ciliciam incolebant, sed partem tantum cui præpositus est. Cilicia autem, nunc vulgò Caramania, regio est minoris Asiæ Tauro monti subjecta.

5 *Juxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri.*] Cappadocia est regio Pontica, quam Euphrates à majore Armeniâ di-

syri-

syri. Datames militare munus fungens primùm, qualis esset aperuit bello, quod rex [6] adversùs Cadusios gessit. Namque hîc multis millibus interfectis, magni fuit ejus opera. Quo factum est, ut, quum in eo bello cecidisset Camissares, paterna ei traderetur provincia. Pari se virtute postea præbuit [7] quum Autophradates jussu regis bello persequeretur eos qui defecerant. Namque ejus operâ hostes, quum castra jam intrassent, profligati sunt, exercitusque reliquus conservatus regis est. Quâ ex re majoribus rebus præesse cœpit. Erat eo tempore [8] Tyus, Dynastes Paphlagoniæ, antiquo genere natus, à Pylæmene illo, quem Homerus Troïco bello [9] à Patroclo interfectum ait. Is regi dicto audiens non erat: quamob causam bello eum persequi constituit, eique rei præfecit Datamen, propinquum Paphlagonis: namque ex fratre & sorore erant nati. Quam ob causam Datames omnia primùm experiri voluit, ut sine armis propinquum ad officium reduceret. Ad quem quum venisset sine præsidio, quod ab amico nullas vereretur insidias, penè interiit. Nam Thyus eum clàm interficere voluit. Erat mater cum Datame, amita Paphlagonis: ea quid ageretur rescíit, filiumque monuit, ille fugâ periculum evitavit, bellúmque indixit Thyo. [10] In quo quum ab Ariobarzane, præfecto Lydiæ & Ioniæ, totiusque Phrygiæ, desertus esset, nihilò segniùs perseveravit, vivumque Thyum cepit cum uxore & liberis. Cujus facti ne priùs fama ad regem, quàm ipse perveniret, dedit operam. Itaque omnibus insciis, eò ubi erat rex, venit, posteróque die Thyum, hominem maximi corporis terribilique facie, quòd & niger & capillo longo barbáque erat promissâ [11] optimâ veste contexit, quàm satrapæ regii gerere consueverant. [12] Ornavit etiam torque, atque armillis aureis, cæteróque regio-cultu. Ipse agresti, duplicíque amiculo cir-

NOTÆ.

vidit. Leucosyri verò eam Cappadociæ partem incoluerunt, quæ circa ostia Thermodontis. Plin. l. 6.

6 *Adversus Cadusios.*] Sunt Mediæ populi ad Caspium mare. Vide Strab. l. 11.

7 *Quum Autophradates.*] Lydiæ Satrapes, de quo Diodorus lib. 15.

8 *Thyus Dynastes Paphlagoniæ.*] Hunc Paphlagoniæ Regem vocat Athenæus ex Theopompo lib. 4. Paphlagonia minoris Asiæ Regio ad Septemtrionale litus versa.

9 *A patroclo interfectum ait.*] Ex ipso Homero, non à Patroclo Achillis amico, sed à Menelao Lacedæmoniorum Rege interemptum esse Pylæmenem cognoscimus. Iliad. lib. 5.

10 *In quo quum ab Ariobarzane.*] De quo vide Diodorum, lib. 15.

11 *Optimâ veste contexit.*] Nimirum purpurâ, auroque distinctâ, qua provinciarum rectores ornari solebant; unde Satrapæ, seu Dynastæ illi purpurati dicebantur.

12 *Ornavit etiam torque, atque armillis.*] Torquis erat inter insignia regia apud Persas, ut & armillæ aureæ, quas Græci βραχιονίδια vocant; fuerunt autem circuli rotundi ex argento, vel auro, quibus summum brachium ornatus causâ cingebatur. Liv. lib. 1. *de Sabinis.*

cundatus, hirtáque tunicâ, [13] gerens in capite galeam venatoriam, dextrâ manu clavam, [a] sinistrâ copulam, vinctum ante se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret. Quem quum omnes prospicerent, propter novitatem ornatus, ignotámque formam, ob eámque rem magnus esset concursus, fuit nemo non qui agnosceret Thyum, regique nunciaret. Primò non accredidit. Itaque Pharnabazum misit exploratum: à quo ut rem gestam comperit, statim admitti jussit, magnopere delectatus cùm facto, tum ornatu: in primis quòd non vilis rex in potestatem inopinanti venerat. Itaque magnificè Datamen donatum ad exercitum misit, [14] qui tum contrahebatur, duce Pharnabazo & Tithrauste ad bellum Ægyptium, [b] parique eum atque illos imperio esse jussit. Postea verò quàm Pharnabazum rex revocavit, illi summa imperii tradita est. Hîc quum maximo studio compararet exercitum, Ægyptúmque proficisci pararet: subitò à rege literæ sunt ei missæ, ut Aspim aggrederetur: [15] qui Cataoniam tenebat, quæ gens jacet supra Ciliciam, confinis Cappadociæ. Namque Aspis saltuosam regionem castellisque munitam incolens; non solùm imperio regis non parebat, sed etiam finitimas regiones vexabat, & quæ regi portarentur, abripiebat. Datames, etsi longè aberat ab his regionibus, [16] & à majore re abstrahebatur: tamen regis voluntati morem gerendum putavit. Itaque cum paucis, sed viris fortibus, navem conscendit, existimans, id quod accidit, faciliùs se imprudentem & imparatum parvâ manu oppressurum, quàm paratum, quamvis magno exercitu. Hac delatus, in Ciliciam egressus, inde dies noctésque iter faciens, Taurum transiit, eóque, quò studuerat, venit. Quærit quibus locis sit Aspis, cognoscit haud longè abesse: profectumque eum venatum. Quem dum speculatur; adventus ejus causa cognoscitur. [17] Pisidias cum iis quos secum habebat, ad resistendum Aspis comparat. Id

INTERPRETATIO.

a *Levâ vinculum.* | b *Eumque illis imperio adæquavit.*

NOTÆ.

13 *Gerens ipse in capite galeam venatoriam.*] Galeæ venatoriæ fiebant ex ferarum cæsarum exuviis, atque adeò hirsutis pellibus obductæ erant. Vegetius lib. 11. cap. 17.

14 *Qui tum contrahebatur.*] Verisimile est exercitum hunc contractum fuisse potiùs in Syriâ, quàm alibi; quia ut legitur postea, procul erat à Cataoniâ quò iturus Datames navem conscendit, & quia exercitus ille parabatur circa urbem Acen quæ Pheniciæ civitas est, quamque Stephan. Ptolemaïm esse dicit, & Strabo l. 16.

15 *Qui Cataoniam tenebat.*] Cataonia Cappadociæ pars est, teste Plin. l. 6. c. 3. qua Comagenam attingit.

16 *Et à majore re abstrahebatur.*] Scilicet, à bello Ægyptio.

17 *Pisidas cum iis quos secum habebat.*] Pisidiæ populos, qui antea Solymi dicebantur, teste Plin. lib. 20. Pisidia autem Asiæ regio est, Lycaoniæ, Isauriæ, & Pamphiliæ finitima; de his populis Claudianus lib. 2. in Eutrop.

Datames ubi audivit, arma capit, suos sequi jubet: ipse equo concitato ad hostem vehitur: quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem, pertimescit, atque à conatu resistendi deterritus, sese dedit. Hunc Datames vinctum ad regem ducendum [18] tradit Mithridati. Hæc dum geruntur, Artaxerxes reminiscens [c] à quanto bello ad quàm parvam rem principem ducum misisset, [d] seipsum reprehendit, & nuncium [19] ad exercitum Acen misit, quòd nondum Datamen profectum putabat, qui ei diceret, ne ab exercitu discederet. Hic priusquam perveniret, quò erat profectus, in itinere convenit; qui Aspim ducebant. Qua celeritate quum magnam benevolentiam regis Datames consequutus esset, non minorem invidiam aulicorum excepit, quòd illum unum pluris, quàm se omnes fieri videbant. Quo facto, cuncti ad eum opprimendum consenserunt. Hæc Pandates, gazæ custos regiæ, amicus Datami, perscripta ei mittit, in quibus docet, *eum magno fore periculo, si quid illo imperante in Ægypto adversi accidisset. Namque eam esse consuetudinem regum, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ.* [20] Quo facilè fieri, ut impellantur ad eorum perniciem quorum ductu res malè gestæ nuncientur. Illum hoc majore fore discrimine, [e] quòd quibus rex maximè obediat, eos habeat inimicissimos. Talibus ille literis cognitis, quum jam ad exercitum Acœum venisset, quòd non ignorabat ea verè scripta, desciscere à rege constituit. Neque tamen quicquam fecit, quod fide sua esset indignum. Nam Mandroclem Magnetem exercitui præfecit: ipse cum suis in Cappadociam discedit, conjunctámque huic Paphlagoniam occupat, celans qua voluntate esset in regem: [21] clàm cum Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, urbes munitas suis tuendas tradit. Sed hæc propter hyemale tempus minùs prosperè succedebant. [22] Audit Pisidas quasdam copias adversus se parare: filium eò Arsidæum cum exercitu mittit. Cadit in prælio adolescens: proficiscitur eò pater non ita cum ma-

INTERPRETATIO.

c *A quanta belli* expeditione *præcipuum Ducem abstraxisset, ad rem tam levem suscipiendam.*

d *Consilium mutavit.*

e *Quia quos Rex præsertim audit.*

NOTÆ.

18 *Tradit Mithridati.*] A quo postea perfidè interfectus est, ut postea videbitur; isque Ariobarzanis filius fuit.

19 *Ad exercitum Acen misit.*] Ace Pheniciæ civitas, quæ & postea Ptolemaïs dicta est, ut mox diximus ex Stephano & Strabone, hæc in sacris literis Accho vocatur. Joseph. lib. 11. belli Judaïci, c. 17.

20 *Quo facilè fieri.*] Supple solet.

21 *Clam cum Ariobarzane facit amicitiam.*] De eo suprà, eumque jampridem à rege defecisse diximus.

22 *Audit Pisidas.*] Contrà Diodorus non Pisidas, sed Persas adversùs Datamen Duce Artabazo venisse narrat lib. 15.

gna manu, celans quantùm vulnus accepisset, quòd priùs ad hostem pervenire cupiebat, quàm de malè re gestâ fama ad suos perveniret, ne cognitâ filii morte, animi debilitarentur militum. Quò contenderat, pervenit, hisque locis castra ponit, ut neque circumveniri multitudine adversariorum posset, neque impediri quò minùs ipse ad dimicandum manum haberet expeditam. Erat cum eo Mithrobarzanes socer ejus, præfectus equitum. Is desperatis generi rebus [23] ad hostes transfugit. Id Datames ut audivit, [g] sensit, si in turbam exisset, ab homine tam necessario se relictum futurum ut cæteri consilium sequerentur: [h] [24] in vulgus edit, suo jussu Mithrobarzanem profectum pro perfuga, quò faciliùs receptus, interficeret hostes. Quare relinqui eum non par esse, sed omnes confestim sequi: quod si animo strenuo fecissent, futurum ut adversarii non possent resistere, quum & intra vallum & foris cæderentur. Hac re probatâ, exercitum educit; Mithrobarzanem persequitur, [25] qui dum ad hostes pervenerat, Datames signa inferri jubet. Pisidæ, novâ re commoti, in opinionem adducuntur, [i] perfugas mala fide, compositóque fecisse, ut receptu essent majori calamitati: primùm eos adoriuntur. Illi, quum quid ageretur, aut quare fieret, ignorarent: coacti sunt cum eis pugnare ad quos transierant, ab hisque stare quos reliquerant. Quibus cum neutri parcerent, celeriter sunt concisi. Reliquos Pisidas resistentes Datames invadit, primò impetu pellit, fugientes persequitur, multos interficit, castra hostium capit. Tali consilio uno tempore & proditores perculit, & hostes profligavit, & quòd ad suam perniciem fuerat cogitatum, id ad salutem convertit. Quo neque acutius ullius imperatoris cogitatum, neque celerius factum usquam legimus. Ab hoc tamen viro [26] Sysinas maximus natu filius desciit, atque regem transiit, & de defectione pa-

INTERPRETATIO.

g *Intellexit, si pervulgatum esset.*
h *Publicè enunciat.*

i *Transfugas proditoriè, & ex industria venisse, quò admissi majorem ipsis perniciem afferrent.*

NOTÆ.

23 *Ad hostes transfugit.*] Idem prorsùs sentit Diodorus ibidem.

24 *In vulgus edit, suo jussu &c*] paulò aliter illud Datamis stratagema exposuit Frontinus lib. 11. c. 7. *Datames*, inquit, *Dux Persarum adversùs Autophradatem in Cappadociâ, cum partem equitum suorum transfugere comperisset; cæteros omnes venire secum jussit, assecutusque transfugas, laudavit, quòd eum acriter præcessissent, hortatusque est eos, ut fortiter hostem adorirentur. Pudor transfugis attulit pœnitentiam, & consilium suum, quia non putabant deprehensum, mutaverunt.*

25 *Quì dum ad hostes pervenerat.*] Quidam legunt, *qui vixdum ad hostes pervenerat.*

26 *Syzinas maximus natu filius.*] Quidam Schysmas; sed Sisynas præfero, quia ad Persica nomina propius accedit.

tris detulit. Quo nuncio Artaxerxes commotus. quod intelligebat sibi cum viro forti ac strenuo negotium esse, qui quum cogitasset, facere auderet, & priùs cogitare quàm conari consuesset: Autophradatem in Cappadociam mittit. Hic ne intrare posset saltum [27] in quo Ciliciæ portæ sunt sitæ, Datames præoccupare studuit: sed tam subitò copias contrahere non potuit. A qua re depulsus; cum ea manu quam contraxerat, locum delegit talem, ut neque circumiretur ab hostibus, neque præteriret adversarius, quin ancipitibus locis premeretur: & si dimicare eò vellet, non multum obesse multitudo hostium suæ paucitati posset. Hæc etsi Autophradates videbat, tamen statuit congredi, quàm cum tantis copiis refugere, aut tam diu uno loco sedere. Habebat barbarorum equitum viginti, peditum centum millia, [28] quos illi Cardacas appellant, [29] ejusdémque generis tria funditorum. Præterea [30] Cappadocum octo, [31] Armeniorum decem, [32] Paphlagonum quinque, [33] Phrygum decem, [34] Lydorum quinque. [35] Aspendiorum & [36] Pisidarum circiter tria, [37] Cilicum duo, [38] Captianorum totidem, ex Græcia conductorum tria millia: levis armaturæ maximum numerum. Has adversus copias, spes omnis consistebat

INTERPRETATIO.

1 *Quominus à fronte & à tergo urgeretur.*]

NOTÆ.

27 *In quo Ciliciæ portæ sunt sitæ.*] Cilicia undique ferè perpetuâ montium catenâ cingitur, nec adiri potest nisi per tres angustias, quarum prima adeò arcta est, ut instar portarum sit 2. Non procul est ab Isso per Amanum montem, unde Amanicæ portæ dictæ sunt. 3 Circa Sinum Issicum. Plin. lib. 5. cap. 27. & alii omnes Geographi. Vide & Curtium lib. 3. c. 4.

28 *Quos illi Cardacas appellant.*] apud Persas sic dicebantur qui ex rapto vivebant, nam Carda apud eos bellicosum & violentum significabat. Strabo lib. 15. Polybius tamen, & Arrianus illos Asiæ min. populos esse scribunt.

29 *Ejusdem generis funditorum.*] Supple millia.

30 *Cappadocum octo.*] Cappadocia Asiæ min. regio, quam in duas Satrapias à Persis divisam fuisse tradit Strabo; vide & Plin. lib. 6. cap. 2 & 3.

31 *Armeniorum decem.*] Armenia Asiæ pariter min. regio nobilissima inter Taurum & Caucasum sita quæ in majorem & minorem dividitur, vide Plin. lib. 1. Strabo lib. 2. & Ptolemæi 4. Tabulam Asiæ.

32 *Paphlagonum quinque.*] Horum regio in minore Asiâ, olim etiam Palæmenia dicta, de qua jam suprà.

33 *Phrygum decem.*] Phrygia duplex, major & minor, major inter Galatiam & Lydiam sita est. Minor verò inter Bithyniam, Cariam, Lycaoniam, & Hellespontum, unde etiam Hellespontiaca dicitur apud Strabonem.

34 *Lydorum quinque.*] Lydia minoris Asiæ regio Crœso rege, & Pactolo aurifero amne notissima.

35 *Aspendiorum.*] Ii Pamphiliæ populi, ab Aspendo ejus Provinciæ oppido ad fluvium Eurymedonta sito. Vide Steph. & Pompon. lib. 1.

36 *Pisidarum.*] De his suprà.

37 *Cilicum.*] De Cilicia quoque paulò suprà dictum est.

38. *Captianorum.*] Quidam Caspianorum legunt, sed hoc improbat Ortelius.

Datami in se locique natura, namque hujus partem non habebat vigesimam militum: Quibus fretus conflixit, adversariorumque multa millia concidit, quum de ipsius exercitu non ampliùs hominum mille cecidissent. Quam ob causam postero die tropæum posuit, quo loco pridie pugnatum. Hic quum castra movisset, inferior copiis, superior omnibus præliis discedebat, quod nunquam manum consereret, nisi adversarios locorum angustiis clausisset: quòd perito regionum callidéque cogitanti sæpè accidebat. Autophradates quum bellum duci majore regis calamitate, quàm adversariorum videret, ad pacem atque amicitiam hortatus est, ut cum rege in gratiam rediret. Quam ille etsi non fidam fore putabat, tamen conditionem accepit, seque ad Artaxerxem legatos missurum dixit. Sic bellum quod rex adversus Datamen susceperat, sedatum: Autophradates in Phrygiam se recipit. At rex, quòd implacabile odium in Datamen susceperat, postquam bello eum opprimi non posse animadvertit, insidiis interficere studuit, quas ille pleráſque vitavit; sicut quum nunciatum esset, quosdam sibi insidiari, qui in amicorum erant numero: [39] de quibus quòd inimici detulerant, neque credendum, neque negligendum putavit: experiri voluit verum falsumne sibi esset relatum. Itaque eò profectus est, in quo itinere futuras insidias illi dixerant. Sed elegit corpore & statura simillimum sui, eique vestitum suum dedit, atque eò loci ire, quò ipse consueverat, jussit. Ipse autem [40] ornatus vestitu militari, inter corporis custodes iter facere cœpit. At insidiatores, postquam in eum locum agmen pervenit, decepti ordine atque vestitu, in eum faciunt impetum, qui suppositus erat. Prædixerat autem his Datames, cum quibus iter faciebat, ut parati essent facere quod ipsum vidissent. Ipse ut concurrentes insidiatores animadvertit, tela in eos conjecit. Hoc idem quum universi fecissent, prius quàm pervenirent ad eum, quem aggredi volebant, confixi ceciderunt. Hic tamen callidus vir extremo tempore captus est, Mithridatis Ariobarzanis filii dolo. Namque is pollicitus est regi, se eum interfecturum, si Rex promitteret, ut quodcunque vellet, liceret impunè facere, [41] fidémque de ea re more Persarum dextrâ dedisset. Hanc ut accepit, simulat se suscepisse cum rege inimicitiam, copias parat, & absens amicitiam cum Datame facit:

NOTÆ.

39 *De quibus quod inimici detulerant.*] Non sui, sed amicorum suorum inimici: alioquin quomodo eorum verba non esse negligenda putasset?

40 *Ornatus vestitu militari.*]Hic locus variè legitur, sed lectionum diversitatem ex *Schotto* require.

41 *Fidemque more Persarum dextrâ dedisset.*] Mos enim erat apud Persas, ut quemcumque Rex in fidem reciperet, ipsi dextram daret, ut suprà in Themistocle, illudque omni sacramento sanctius ducebatur, atque observabatur. Sic Author scholiorum in Aristophanis Nub. Item docet Diodorus lib. 16.

regis provinciam vexat, castella expugnat, magnas prædas capit: quarum partem suis dispertit, partim ad Datamen mittit. Pari modo complura castella ei tradit. Hæc diu faciendo, persuasit homini[l] se infinitum adversus regem suscepisse bellum, quum nihilo magis, ne quam suspicionem illi præberet insidiarum, neque colloquium ejus petivit, neque in conspectum venire studuit. [42] Sic absens amicitiam gerebat, ut non beneficiis mutuis, sed odio communi, quod erga regem susceperant, [43] contineri viderentur. Id quum satis se confirmasse arbitratus est, certiorem facit Datamen, tempus esse majores exercitus parari, & bellum cum rege suscipi: de qua re, si ei videretur, quò vellet in colloquium veniret. Probatâ re, colloquendi tempus sumitur, locúsque quò conveniretur. Huc Mithridates cum uno cui maximam habebat fidem, antè aliquot dies venit, compluribúsque locis separatim gladios obruit, eáque loca diligenter notat. Ipso autem colloquendi die utrique locum, qui explorarent atque ipsos scrutarentur mittunt: [44] deinde ipsi sunt congressi. Hic quum aliquandiu in colloquio fuissent, & [m] diversi discessissent, jamque procul Datames abesset, Mithridates, priusquam ad suos perveniret, [45] ne quam suspicionem pareret, in eundem locum revertitur, atque ibi, [46] ubi telum erat impositum, resedit, ut si à lassitudine cuperet acquiescere, Dataménque revocavit, simulans se quiddam in colloquio esse oblitum: interim telum, quod latebat, [47] protulit nudatúmque vaginâ, veste texit, ac Datami venienti ait, digredientem se animadvertisse locum quendam, qui erat in conspectu, ad castra ponenda esse idoneum [48] Quem quum digito monstraret, & ille conspiceret, adversum ferro transfixit: & prius quàm quisquam posset succurrere, interfecit. Ita ille vir qui multos consilio, neminem perfidiâ ceperat, simulatâ captus est amicitiâ.

INTERPRETATIO.

l *Irreconciliabili in Regem se implicuisse bello.*

m *Et hinc inde se recepissent.*

NOTÆ.

42 *Sic absens amicitiam gerebat.*] Id est, sic absens absenti amicitiæ officia præstabat.

45 *Contineri viderentur.*] Id est, arctissimè cohærere viderentur.

43 *Deinde ipsi sunt congressi.* Id est, Deinde in mutuum colloquium venerunt.

45 *Ne quam suspicionem pareret.*] Id est, exhiberet, gigneret.

46 *Ubi telum erat positum.*] Hic telum pro quocunque armorum offensivorum genere accipitur.

47 *Protulit.*] Id est, ex terra eduxit.

48 *Quem quum digito monstraret.*] Adi Polyænum qui id fusè narrat lib. 7, sed paulò aliter.

XV.

EPAMINONDAS

[1] POLYMNI FILIUS, THEBANUS.



DE hoc priusquam scribamus, [2] hæc præcipienda videntur lectoribus, [a] ne alienos mores ad suos referant, néve ea, quæ ipsis leviora sunt, pari modo apud cæteros fuisse arbitrentur. Scimus enim musicen nostris moribus [b] abesse à principis persona: [3] saltare etiam in vitiis poni. Quæ omnia apud Græcos & grata & laude digna ducuntur. Quum autem exprimere imaginem consuetudinis atque vitæ velimus Epaminondæ, nihil videmur debere prætermittere, quod pertineat ad eam declarandam. Quare dicemus primùm de genere ejus: deinde quibus disciplinis, & à quibus sit eruditus, tum de moribus ingeniique facultatibus, & si qua alia digna memoriâ erunt; postremò de rebus gestis, quæ à plurimis omnium anteponuntur virtutibus. Natus igitur [4] patre, quo diximus, honesto genere: pauper jam à

INTERPRETATIO.

a *Ne ex patriis moribus extraneos metiantur.*

b *Principem non decere.*

NOTÆ

1 POLYMNI FILIUS.] Alii legunt Polymnidis, ut Ælianus lib. 11. c. 9. Var. hist. Unde conjiciendum est Nepotem Latinâ terminatione formasse Græcum; quemadmodum suprà scripsit *Neoclus*, pro *Neocles*; item *Periclus* pro *Pericles*.

2 *Hæc præcipienda videntur lectoribus.*] Hæc eadem jam in præfatione legimus, unde fit ut Magius id memoriæ vitio Nepoti vertat; sed in eo excusari potest, quod absoluto ac perfecto jam operi præfatio supervenerit; ut fieri solet.

3 *Saltare etiam in vitiis poni.*] Indecoram apud Romanos saltationem fuisse pluribus in locis innuit Cicero pro Muræna, pro Plancio; & alibi. Quod tamen de omni saltationum genere minimè intelligendum est. Nam Quintilianus negat inhonestam fuisse Pyrrhicen saltationem quam armati peragebant, & hoc laboriosum erat saltationis genus, quia ejus opera jactus, ictusque declinabant, ut docet Plato lib. 7. de legibus, & Plin. lib. 7. c. 57.

4 *Patre honesto genere.*] Hæc verba generis ejus mediocritatem innuere videntur; quotiescumque enim Latini alicujus parentes obscuros dicere nolunt, eos quadam sermonis gratiâ, honestos vocant; unde Ælianus lib. 12. scribit Polymnium Epaminondæ patrem fuisse obscurum & humilem.

majoribus

majoribus relictus. [5] Eruditus autem sic, ut nemo Thebanus magis. [6] nam & citharizare & cantare ad chordarum sonum doctus est [7] à Dionysio, qui non minore fuit in musicis gloriâ, [8] quàm Damon aut Lamprus, quorum pervulgata sunt nomina; [9] Carmina cantare tibiis, [10] ab Olympiodoro; [11] saltare, à Calliphrone. At [12] philosophiæ præceptorem habuit Lysim Tarentinum Pythagoræum; cui quidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem & severum senem omnibus æqualibus suis in familiaritate anteposuerit, neque priùs eum à se dimiserit, quàm doctrinis tantò antecessit condiscipulos, ut facilè intelligi posset, pari modo superaturum omnes in cæteris artibus. Atque hæc ad nostram consuetudinem sunt levia, & potiùs contemnenda: at in Græcia utique olim magnæ laudi erant. Postquam ephebus factus est, [13] & palæstræ dare operam cœpit: [d] non tam magnitudini virium servivit, quàm velocitati: illam enim ad athletarum usum; hanc, ad belli existimabat utilitatem pertinere. Itaque exercebatur plurimùm [14] currendo & luctando ad eum finem, quoad stans

INTERPRETATIO.

c *Postquam pubertatem attigit, & gymnicis artibus exerceri orsus est.*

d *Non tam corroborandis viribus, quàm celeritati applicuit.*

NOTÆ.

5 *Eruditus autem sic.*] Vide Cicer. 3. de Orat. & Offic. 1. Plutarchum in Pelopida, Diogenem Laërtium in Pytagora. Adi etiam Just. lib. 6. c. 8.

6 *Nam & Citharizare.*] Pro Citharam tangere; verbum obsoletum.

7 *A Dionysio.*] Hic Lyristes Thebanus fuit valde peritus. Plutarchus libro qui inscribitur de *Musica*.

8 *Quàm Damon & Lamprus.*] Damonis meminerunt Plato dialogo de rep. & Athenæus lib. 14. cap. 11. Huncque Lydiam harmoniam remissam excogitasse testatur Plutarchus lib. suprà citato; solebatque ebrios ac petulantes homines harmoniâ suâ ad modestiam reducere. Lamprus ab eodem Plutarcho ibidem inter eos qui rectè movendis instrumentis Lyricis excelluerunt, annumeratur; quamvis à Platone imperitus dicatur Musicus in Menexeno; quâ in re non consentit Athenæus, lib. 1. c. 16. & lib. 11. c. 2.

9 *Carmina cantare tibiis.*] Veteri suo libro abesse, *carmina* testatur P. Daniel.

10 *Ab Olympiodoro.*] Viro in sua arte versatissimo, præter quem tamen, & ab Orthagora Epaminondam doctum fuisse testatur Athenæus lib. 4. c. ultimo.

11 *Saltare, à Calliphrone.*] Id nomen alibi mihi occurrisse non memini.

12 *Philosophiæ Professorem habuit Lysim.*] Laërtius in vitâ Pytagoræ Lysiden vocat. Porrò Lysis ille Epaminondam & Philippum simul Amyntæ filium Philosophiam Pytagoricam docuit, quæ quidem ex Democriti philosophia prodiit; fuitque Epaminondas simul summus Philosophus, & Imperator. Justin. lib. 6. cap. 8.

13 *Et Palæstra dare operam cœpit.*] Hoc erat in more positum apud Græcos, ut juventus omnis maxime gymnicis artibus exerceretur, & in eo præsertim incumberet: in Palæstra autem variis decertabant exercitiis, quorum præcipua refert Virg. lib. 5. Æneid.

Quique pedum cursu valet, & qui viribus audax.
Aut jaculo incedit melior, levibusque sagittis.

14 *Currendo & luctando ad eum finem, quo adstans complecti posset atque contendere.*] Hic locus obscurus, & variè à variis legitur: Quidam legunt *currendo*, omissâ voce, *luctando*, *ad eum finem*,

complecti posset, atque contendere. In armis plurimum studii consumebat. Ad hanc corporis firmitatem plura etiam animi bona accesserant. Erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo; adeò veritatis diligens, [15] ut ne joco quidem mentiretur. Item continens, clemens, patiénsque admirandum in modum; non solùm populi sed etiam amicorum ferens injurias, in primisque [16] commissa celans: *quod interdum non minus prodest, quàm disertè dicere.* Studiosus audiendi; ex hoc enim facillimè disci arbitrabatur. Itaque [17] quum in circulum venisset in quo aut de republicâ disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur, nunquàm inde priùs discessit, quàm ad finem sermo esset deductus. [18] Paupertatem adeò facilè perpessus est, ut de republicâ nihil præter gloriam ceperit. [e] Amicorum in se tuendo caruit facultatibus; fide ad alios sublevandos sæpe sic usus est, ut possit judicari omnia ei cum amicis fuisse communia. Nam quum aut civium suorum aliquis ab hostibus fuisset captus, aut virgo amici nubilis propter paupertatem collocari non posset; amicorum consilium habebat, & quantum quisque daret, pro facultatibus imperabat: eamque summam quum faceret, priusquam acciperet pecuniam, [19] adducebat eum, qui quærebat, ad eos qui conferebant, eique ut ipsi numerarent, faciebat: ut ille ad quem ea res perveniebat, sciret quantùm

INTERPRETATIO.

e *Necessariorum opibus minimè usus est, quibus se tueretur.*

NOTÆ.

quod stans complecti posset atque contendere. Sic legendum olim Freinshemius existimavit, nimirum: *Ad eum finem quod adstans complecti posset atque contendere. Adstans*, inquit, *esset coram factus, igitur non modo currere discebat; id enim nihil aliud quàm eum in periculum perduxisset, deinde deservisset. Sed etiam luctari, quod adstans, & propè hostem positus eum complecti, atque cum eo contendere posset.* Quod mihi non improbandum videtur; nam revera is sensus Nepotis esse debet, ut scilicet Epaminondas eatenus curreret, & luctaretur, quatenus adstans complecti posset adversarium atque cum illo contendete.

15 *Ut ne joco quidem mentiretur.*] Simile quidpiam de Ptolemæo, *Arrianus*, de Juliano, Mamertinus: de Attico idem Nepos in vita ejus. Ideò autem tanto eum odio mendacium habuisse credibile est; quòd & natura & Philosophiæ præcepta illud ipsi instillassent. Super ea re vide Ælian. lib. 3. hist. anim. c. 23.

16 *Commissa celans.*] Quod in Epaminondâ non adeò mirandum puto: quum enim Pythagoricâ philosophiâ probè imbutus fuisset, quæ religiosissimè silentium, ac fidem præcipiebat, id facilè de ipso crediderim.

17 *Quum in circulum venisset.*] Circulus, vulgò dicitur cœtus coëuntium ac confabulantium, qui veluti circulum faciunt & coronam. Vide Ovid. lib. 13. Metam.

Consedere Duces, & vulgi stante coronâ.

18 *Paupertatem adeò facilè perpessus est.*] Vide Ælianum. Var. hist. lib. 11. cap. 9. Justin. lib. 6. c. 8. Et Julium Front. lib. 4. c. 3. qui refert Epaminondam, in supellectile sua, præter ahenum, & veru unum non habuisse; quod quidem admirandæ ejus abstinentiæ est exemplum.

19 *Adducebat eum, qui quærebat.*] Id est, Procum, seu Virginis sponsum.

cuique deberet. Tentata autem ejus est abstinentia [20] à Diomedonte Cyziceno. Namque is, rogatu Artaxerxis, Epaminondam pecuniâ corrumpendum susceperat. Hic magno cum pondere auri Thebas venit, & Micythum adolescentulum quinque talentis ad suam perduxit voluntatem, quem tum Epaminondas plurimùm diligebat. Micythus Epaminondam convenit, & causam adventus Diomedontis ostendit. At ille Diomedonte coram, *Nihil*, inquit, *opus pecuniâ est. Nam si ea rex vult, quæ Thebanis sunt utilia, gratis facere sum paratus: sin autem contraria, non habet auri atque argenti satis, namque orbis terrarum divitias accipere nolo pro patria charitate. Te, qui me incognitum tentasti, tuique similem existimasti, non miror: tibi ignosco. Sed egredere properè, ne alios corrumpas, quum me non potueris. Tu Micythe, argentum huic redde, aut, nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui.* Hunc Diomedon quum rogaret, ut tutò exire, suáque quæ attulisset, liceret efferre: *Istud*, inquit, *faciam; neque tuâ causâ, sed meâ: ne si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat ad me ereptum pervenisse, quod delatum accipere noluissem.* A quo quum quæsisset, quò se duci vellet, & ille Athenas diceret; præsidium dedit, ut eò tutò perveniret. Neque verò id satis habuit, sed etiam ut inviolatus in navem ascenderet, per Chabriam Atheniensem, (de quo suprà mentionem fecimus) effecit. Abstinentiæ erit hoc satis testimonium. Plurima quidem proferre possemus, sed modus adhibendus est, quoniam uno hoc volumine vitam excellentium virorum complùrium concludere constituimus, quorum separatim [21] multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicarunt. Fuit & disertus, ut nemo Thebanus ei par esset eloquentiâ: neque minùs concinnus in brevitate respondendi, quàm in perpetua oratione ornatus. [22] Habuit obtrectatorem Meneclidem quendam, indidem Thebis, adversarium in administranda republica, satis exercitatum in dicendo, ut Thebanum scilicet. Namque illi genti plus inest virium, quàm ingenii. Is, quòd in re militari florere Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent, ne illius im-

INTERPRETATIO.

† *Major enim est in me amor patriæ, quàm ut vellem eum cum terrarum orbis divitiis commutare.*

NOTÆ.

20 *A Diomede Cyziceno.*] Ex Cyzico Bithyniæ urbe. Tentatus etiam fuit à Jasone Thessalorum Tyranno, qui ad eum summâ paupertate laborantem quinquaginta auri talenta attulerat. Vide Ælianum lib. 11. cap. 9.

21 *Multis millibus versuum.*] Hic versus sunt Lineæ; ex quarum numero libros metiri olim solebant, & in ultimâ Cerâ adscribebant.

22 *Habuit obtrectatorem Meneclidem.*] De eo Plutarchus in Pelopida, huncque ait fuisse δυνατὸν μὲν λέγειν, ἀκόλαστον δὲ κακοήθη τὸν τρόπον.

peratoris opera desideraretur. Huic ille, Fallis, inquit, verbo cives tuos, quòd hos à bello avocas. Otii enim nomine servitutem concilias, nam *paritur pax bello.* Itaque qui câ diutinâ volunt frui, bello exercitati esse debent. g Quare si principes Græciæ esse vultis, castris est vobis utendum, non palæstrâ. Idem ille Meneclides quum huic objiceret quòd liberos non haberet, [23] neque uxorem duxisset: maximéque insolentiam, quòd sibi Agamemnonis, belli gloriam videretur consequutus: at ille, *Desine*, inquit, *Meneclide de uxore mihi exprobrare*, [h] *nam nullius in ista re minùs uti consilio volo*, (habebat enim Meneclides suspicionem adulterii) *Quod autem me Agamemnonem æmulari putas, fallis*, [24] *namque ille cum universa Græcia vix decem annis unam cepit urbem, ego contra ea* [25] *ex una urbe nostra, diéque uno totam Græciam, Lacedæmoniis fugatis, liberavi.* Idem quum in conventum venisset Arcadum, petens, ut societatem cum Thebanis & Argivis facerent, [26] contraque Callistratus Atheniensium legatus, qui eloquentiâ omnes eo præstabat tempore, postularet, ut potiùs amicitiam sequerentur Atticorum, & in oratione sua [27] multa invectus esset in Thebanos & Argivos, in eisque hoc posuisset, *Animadvertere debere Arcadas*, [28] *quales utraque civitas cives procreasset, ex quibus de cæteris possent judicare. Argivos enim fuisse* [29] *Orestem*

INTERPRETATIO.

g *Quamobrem si Græcia principatum postulatis, belli laboribus, non Palæstricis ludis vobis assuescendum est.*

h *Nam* tu is omnium es *cujus sententiam hoc in negotio minùs probo.*

i *Meneclides namque suspicione adulterii notabatur.*

NOTÆ.

23 *Neque uxorem duxisset.*] Contra censet Polyænus lib. 11. Stratagem. ubi indicat Epaminondam uxorem habuisse; & genuisse filium nomine Stesibrotum, quem jussit interfici, quod in bello adversus Lacedæmonios, se absente, suoque injussu prælium commisisset. Plutarch. περὶ ἀδολεσχίας.

24 *Namque ille cum universâ Græciâ.*] Id notum ést tum ex Homero, cum ex aliis omnibus antiquis scriptoribus, Agamemnonem cum omnibus Græciæ viribus & Principibus per Decennium ad Trojam pugnasse; quod Calchas vates fore prædixerat ex passerum numero quos serpens diglutiverat, ut Homerus refert Iliad. 2. Quos versus Latinè vertit Cic. lib. 11. de Divinatione.

25 *Ex una urbe nostra, dieque uno.*] De pugnâ Leuctrica hic loquitur, in qua intra unum diem soli Thebani, duce Epaminonda, omnes Lacedæmoniorum vires fregerunt.

26 *Contraque Callistratus.*] Cujus orationem refert Xenoph. lib. 6. c. 4. de reb. Græciæ, quam habuit apud Lacedæmonios. Fuit item Callistratus nomen statuarii. Plin. lib. 24. c. 8.

27 *Multa invectus esset in Thebanos.*] Eodem utitur loquendi modo, infra, ut, nonnulla inveherentur in Timoleonta: quod alibi rariùs invenies.

28 *Quales utraque civitas cives procreasset.*] Hæc referuntur ad Orestem, & Clytemnestram ejus matrem; ad Oedippum, Laïum, & Jocastam.

29 *Orestem, & Alcmaeonem.*] Orestes Agamemnonis & Clytemnestræ filius, qui cruentam patris mortem ulturus, matrem interfecit; propter quod parricidium

& Alcmaeonem, matricidas : [10] *Thebis Oedipum natum ; qui quum patrem suum interfecisset, ex matre liberos procreasset.*] Hîc in respondendo Epaminondas, [k] quum de cæteris perorasset, postquam ad illa duo opprobria pervenit, *admirari se* dixit *stultitiam rhetoris Attici, qui non animadverteret, innocentes illos natos, domi scelere admisso quum patriâ essent pulsi, receptos esse ab Atheniensibus.* [l] Sed maximè ejus eloquentia eluxit Spartæ ante pugnam Leuctricam ; quò quum omnium sociorum convenissent legati, coram frequentissimo legationum conventu sic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit, ut non minùs illâ oratione opes eorum concusserit, [11] quàm Leuctricâ pugnâ. Tum enim perfecit, quod post apparuit, ut auxilio sociorum Lacedæmonii privarentur. Fuisse patientem, suorumque injurias ferentem civium, [12] quòd se patriæ irasci nefas esse duceret, hæc sunt testimonia. Quum eum propter invidiam cives præficere exercitui noluissent, duxque esset delectus belli imperitus, [m] cujus errore cò esset deducta illa multitudo militum, ut omnes de salute pertimescerent, quòd locorum angustiis clausi, ab hostibus obsidebantur : desiderari cœpta est Epaminondæ diligentia, erat enim ibi privatus numero militum. A quo quum peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliæ ; & exercitum obsidione liberatum, domum reduxit incolumem. Neque verò hoc semel fecit, sed sæpiùs. Maximè autem fuit illustre,

INTERPRETATIO.

k *Cùm ad cætera capita respondisset.*
l *At præsertim Lacedæmoni legatus suam facundiam exhibuit.*
m *Cujus imperitiâ* in eas angustias *adductum esset numerosum illud agmen.*

NOTÆ.

furiis agitatus est, quibus non ante purgari potuit, quam ad Aram Dianæ Tauricæ perpetratum scelus expiaverit. Alcmæon vero Amphiarai & Eriphyles filius, qui pariter matrem interfecit, quod illa monili aureo corrupta, Amphiaraum maritum suum, qui in bello Thebano hiatu terræ absorptus est, prodidisset Polyniei.

30 *Thebis Oedippum natum, &c.*] Pater ejus Laïus, quem nescius occidit, mater vero Jocasta Creontis Thebanorum Regis filia, quam soluto Sphyngis ænigmate uxorem pariter nescius duxit, ex qua Eteoclem, & Polynicem suscepit, qui de Regno disceptantes mutuis se vulneribus confoderunt. Hæc sunt ipsiusmet verba apud Senecam.

——— ccidi patrem
Sed matrem amavi, prob l loqui hymenaeum pudet.

31 *Quam Leuctricâ pugnâ.*] De illâ Diodorus lib. 15. Xenoph. 6. de reb. gr. Plutarchus in Pelopida. Pausanias in Bœoticis ; in ea autem Cleombrotus Lacedæmoniorum Rex cecidit, multaque prodigia & ostenta cladem illam antecesserunt. Cicero. Xenoph. Diodorus. Porrò Leuctra vicus est Bœotiæ juxta Thespias urbem liberam, Heliconi proximam.

32 *Quòd patria irasci nefas duceret.*] Vide apud Val. Max. lib. 3. c. 7. patientiæ ejus exemplum, cujus hæc sunt verba : *Siquidem Epaminondas cum ei cives irati sternendarum in oppido viarum contumelia causâ curam mandarent (erat enim illud ministerium apud eos sordidum) sine ulla cunctatione id recepit.*

quum in Peloponnesum exercitum duxisset adversus Lacedæmonios, haberétque collegas duos, [33] quorum alter erat Pelopidas, vir fortis ac strenuus. Hîc cum criminibus adversariorum, omnes in invidiam venissent, [34] ob eámque rem imperium his esset abrogatum, atque in eorum locum alii prætores successissent: Epaminondas populi-scito non paruit; idémque ut facerent, persuasit collegis, & bellum quod susceperat, gessit. Namque animadvertebat, ubi id fecisset, totum exercitum propter prætorum imprudentiam inscitiámque belli periturum. [35] Lex erat Thebis, quæ morte mulctabat, si quis imperium diutiùs retinuisset, quàm lege præfinitum foret. Hanc Epaminondas quum reipublicæ conservandæ causâ latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit; & quatuor mensibus diutiùs, quàm populus jusserat, gessit imperium. Postquàm domum reditum est, [36] collegæ ejus hoc crimine accusabantur. Quibus ille permisit [n] omnem ut causam in se transferrent, suaque operâ factum contenderent, ut legi non obedirent. Quâ defensione illis periculo liberatis, nemo Epaminondam responsurum putabat, quòd quid diceret, non haberet. At ille in judicium venit; nihil eorum negavit quæ adversarii crimini dabant, omniaque quæ collegæ dixerant, confessus est: neque recusavit quò minus legis pœnam subiret: sed unum ab iis petivit, [37] ut in periculo suo conscriberent, EPAMINONDAS A THEBANIS MORTE MULCTATUS EST, QUOD EOS COEGIT APUD LEUCTRA SUPERARE LACEDÆMONIOS, QUOS ANTE SE IMPERATOREM NEMO BOEOTIORUM [38] AUSUS FUIT ASPICERE IN ACIE: QUODQUE UNO PRÆLIO NON

INTERPRETATIO.

n *Ut omnem in se culpam rejicerent.*

NOTÆ.

33 *Quorum alter erat Pelopidas.*] Vide Plutarchum in Pelopidâ, & ipsum Nepotem postea.

34 *Ob eamque rem imperium his esset abrogatum.*] Non abrogatum, sed elapsum tempus imperii lege præfinitum scribit Plutarchus in Pelopida. Ambo enim, inquit, (de Epaminonda & Pelopida loquitur) cum rediissent, capitis accersiti sunt, quoniam non deposito magistratu primo futuro mense quo lex jubebat, quatuor item totos menses, præter legem eo functi essent; quibus & in Messeniâ, Arcadiâ, & Laconicâ commorati sunt.

35 *Lex erat Thebis.*] Hujus legis meminit Alexander ab Alexandro lib. 4. c. 6. genialium dierum.

36 *Collegæ ejus.*] Reliquos duces huic legi paruisse testatur Plutarchus in Pelopida, præter Epaminondam, ipsumque Pelopidam.

37 *Ut in periculo suo conscriberent.*] Hic locus variè legitur: Lambinus conjicit legendum esse, *in Cippo suo*; Memmius, *in scapulo*; Magius, *breviculo*; Longolius, *perystilio*; Aldus, *sepulchro*; alii, alio modo. Plutarchus, & Ælianus στήλην vocant, quod idem est ac Cippus, vel, Titulus sepulchri; adeò ut hic sit sensus. *Ut in periculo suo conscribant.* Id est, ut in sepulchri Titulo enarrent.

38 *Ausus fuit aspicere in acie.*] Hoc est, oculis rectis, & irretortis; quasi ante Epaminondam solo aspectu Lacedæmonii Bœotios debellarent: quod & de Romanis testatur Cæsar lib. 1. de bello Gallico, his verbis; *sæpenumero cum iis congressos, ne vultum quidem, atque aciem*

SOLÙM THEBAS AB INTERITU RETRAXIT, SED ETIAM UNIVERSAM GRÆCIAM IN LIBERTATEM VINDICAVIT: EOQUE RES UTRORUMQUE PERDUXIT, UT THEBANI SPARTAM OPPUGNARENT, LACEDÆMONII SATIS HABERENT SI SALVI ESSE POSSENT: NEQUE PRIÙS BELLARE DESTITIT, [39] QUAM, MESSENA CONSTITUTA, URBEM EORUM OBSIDIONE CLAUSIT. Hæc quum dixisset, risus omnium cum hilaritate coortus est, neque quisquam judex ausus est ferre suffragium. Sic à judicio capitis maximâ discessit gloriâ. Hic extremo tempore imperator [40] apud Mantineam, quum acie instructâ audaciùs instaret hostibus, cognitus à Lacedæmoniis, quòd in ejus unius pernicie patriæ sitam putabant salutem, universi in unum impetum fecerunt: neque priùs abscesserunt, quàm magnâ cæde factâ multisque occisis, fortissimè ipsum Epaminondam pugnantem, [41] sparo eminùs percussum, concidere viderunt. Hujus casu aliquantùm retardati sunt Bœotii, neque tamen priùs pugnâ excesserunt, quàm repugnantes profligarunt. At Epaminondas, quum animadverteret mortiferum se vulnus accepisse, simulque si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim amissurum: [42] usque eò retinuit, quoad renunciatum est vicisse Bœotios. Id postquam audivit, *Satis, vixi, invictus enim morior.* Tum ferro extracto, confestim exanimatus est. [43] Hic uxorem nunquam duxit: in quo quum reprehenderetur à Pelopida, qui filium habebat infamem: maléque eum in eo patriæ consulere diceret, quòd liberos non relinqueret: *Vide*, inquit, *ne tu pejus consulas, qui talem ex te natum relicturus sis. Neque verò stirps mihi potest deesse, namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quæ non modò mihi superstes, sed etiam immortalis sit, necesse est.* Quo tempore, duce Pelopidâ, exules Thebas occupaverunt, & præsidium Lacedæmoniorum [44] ex arce expulerunt; Epaminondas, quamdiu facta est cædes civium, domi se retinuit, quòd neque malos defendere volebat, neque impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret. Namque *omnem civilem victoriam funestam* putabat. Idemque postquam apud Cadmeam pugnari cum Lacedæmoniis cœpit, in primis stetit. Hujus de virtutibus vitáque satis erit dictum,

NOTÆ.

oculorum ferre potuisse. Flor. lib. [illegible] c. 18. *Mancinum assiduis cladibus ita subegerunt, ut ne oculos quidem, aut vocem Numantini viri quisquam sustineret.*

39 *Quam Messena constituta.*] Messena civitas Peloponnesi ad mare propè Panisum amnem, unde sinus Messeniacus.

40 *Apud Mantineam.*] Urbem Arcadiæ, de quâ lege Diodor. 15. & Xenoph. 7. de rebus gr.

41 *Sparo eminus percussum.*] Sparus, inquit Servius, telum est rusticum, in modum pedis recurvum, quo frequenter Græci utebantur.

42 *Usque eò retinuit quoad nunciatum est vicisse Bœotios.*] Vide Just. lib. 6. c. 8.

43 *Hic uxorem nunquam duxit.*] De hoc suprà diximus.

44 *Ex arce expulerunt.*] Scilicet, Cadmæâ Thebarum arce.

si hoc unum adjunxero, quod nemo eat inficias: Thebas & ante Epaminondam natum, [45] & post ejusdem interitum, perpetuò alieno paruisse imperio: contra ea quandiu ille præfuerit reipublicæ, caput fuisse totius Græciæ, ex quo intelligi potest, [o] [46] unum hominem pluris quàm civitatem fuisse.

INTERPRETATIO.

o *Plus unum hominem, quam urbem valuisse.*

NOTÆ.

45 *Et post ejus interitum.*] Hac de re lege Xenoph. lib. ultimo de reb. gr.

46 *Unum hominem pluris quam civitatem fuisse.*] Consule Polybium lib. 6. de Thebanorum Rep. loquentem.

XVI.

PELOPIDAS

THEBANUS.

[1] MAGIS historicis quàm vulgo notus. Cujus de virtutibus dubito quemadmodum exponam: quòd vereor, [a] si res explicare incipiam, non vitam ejus enarrare, sed historiam videar scribere: si tantummodò summas attigero, ne rudibus literarum Græcarum minùs lucidè appareat, quantus fuerit ille vir. Itaque utrique rei occurram, quantùm potero: & medebor cùm satietati tum ignorantiæ lectorum. [2] Phœbidas Lacedæmonius quum exercitum [3] Olynthum duceret, itérque per Thebas faceret, [4] arcem oppidi, quæ Cadmea nomina-

INTERPRETATIO.

a *Si facta extendere aggrediar.*

NOTÆ.

1 *Magis historiis quàm vulgo notus.*] Aliqui legunt, *historicis*; sed res eodem recidit. Ita ut sensus sit, Pelopidæ nomen minus in ore populorum versari, quam in scriptorum monumentis.

2 *Phœbidas Lacedæmonius.*] De quo vide Diodorum lib. 15. & Xenoph. lib. 5. de reb. gr.

3 *Olynthum duceret.*] Urbs est inter Athon montem, & Pallenam urbem, ut tradit Suidas; hanc Thraciæ urbem maximam vocant Xenophon, & Libanius.

4 *Arcem oppidi, quæ Cadmæa nominatur.*] Ideò Cadmæa; quia Cadmus Agenoris regis Phœnicum filius ædificaverat.

tur,

tur, occupavit, [5] impulsu perpaucorum Thebanorum, qui [6] adversariæ factioni quò faciliùs resisterent, Laconum rebus studebant. Idque suo privato, [7] non publico, fecit consilio, quo facto, eum Lacedæmonii ab exercitu removerunt, [8] pecuniáque mulctarunt: neque eò magis arcem Thebanis reddiderunt, [9] quod susceptis inimicitiis, satius ducebant eos obsideri, quàm liberari. Nam post Peloponnesium bellum, Athenásque devictas, cum Thebanis sibi rem esse existimabant, & eos esse solos, qui adversus resistere auderent. Hac mente [10] amicis suis summas potestates dederant, [11] alterius factionis principes partim interfecerant, alios in exilium ejecerant: in quibus Pelopidas hic, de quo scribere exorsi sumus, pulsus, patria carebat. Hi omnes ferè Athenas se contulerant, non quò sequerentur otium, [b] sed ut quemque ex proximo locum fors obtulisset, eo patriam recuperare niterentur. Itaque quum tempus est visum rei gerendæ, communiter cum his, qui Thebis idem sentiebant, [12] diem delegerunt ad inimicos opprimendos, civitatémque liberandam, eum, quo maximi Magistratus simul consueverant epulari. *Magnæ sæpe res non ita magnis copiis sunt gestæ: sed profectò nunquam ab*

INTERPRETATIO.

b *Verum ut quamcumque statim occasionem fortuna dedisset, eâ domos* suas *recuperaturi uterentur.*

NOTÆ.

5 *Impulsu perpaucorum.*] Hos fuisse Archiam, Leontidem, & Philippum testatur Plutarchus, quos vocat ἄνδρες ὀλιγαρχικοί, καὶ πλούσιοι, καὶ μέτριον οὐδὲν φρονοῦντες

6 *Adversariæ factioni.*] In qua erant Ismenias, Pelopidas, Pherenicus, Androclides, & Epaminondas, quamquam hic propter Philosophiam & paupertatem nimis timebatur.

7 *Non publico fecit consilio.*] Diodorus tamen lib. xv. author est Ephoros clam mandasse ut Cadmæam occuparent.

8 *Pecuniâ mulctarunt.*] Decem myriadibus drachmorum, ut refert Plutarchus.

9 *Quod susceptis inimicitiis, satius ducebant eos obsideri quam liberari.*] Hoc est, quòd quum jam propter istud facinus inter se commotæ essent inimicitiæ satius ducebant Thebanos obsideri, quàm liberari.

10 *Amicis suis.*[Id est, viris suæ potentiæ fautoribus, de quibus mox.

11 *Alterius factionis Principes.*] Nimirum Ismeniam, Androclidem, Pelopidam, ut suprà, ex quibus Ismeniam capitis accusatum damnarunt, Androclidem dolo interficiendum curavit Leontidas. Sic Plutarchus, & Xenoph. lib. 5. de reb. gr. c. 8.

12 *Diem delegerunt ad inimicos opprimendos, civitatemque liberandam, eum, quo maximi Magistratus simul consueverant epulari.*] Locus iste minus implicatus mihi videretur, si hoc ordine legeretur. *Ad inimicos opprimendos, civitatemque liberandam diem eum delegerunt quo maximi Magistratus simul epulari consueverant.*] Rem hanc fusè narrat Xenoph. lib. 5. de reb. gr. c. 14. aitque eum diem fuisse quo Veneris celebrabatur festum, quoque Magistratus suum Imperium deponere solebant. Vide ibidem reliquam hujus rei narrationem. Plutarchus idem refert, sed aliis circumstantiis.

tam tenui initio tantæ opes sunt profligatæ. [13] Nam duodecim adolescentuli coierunt ex his, qui exilio erant mulctati, quum omnino non essent ampliùs centum, qui tantò se offerrent periculo, quâ paucitate percussa est Lacedæmoniorum potentia. Hi enim non magis adversariorum factioni, quàm Spartanis eo tempore bellum intulerunt, qui principes erant totius Græciæ: [14] quorum imperiosa majestas, neque ita multò pòst Leuctricâ pugnâ ab hoc initio perculsa, cecidit. Illi igitur duodecim, quorum erat dux Pelopidas, [c] quum Athenis interdiu exissent, ut vesperascente cælo Thebas possent pervenire; cum canibus venaticis exierunt, retia ferentes, vestitu agresti, quo minore suspicione facerent iter. Qui quum tempore ipso, quo studuerant, pervenissent, [15] domum Charonis devenerunt, à quo & tempus & dies erat datus. Hoc loco libet interponere, etsi sejunctum à re proposita est, [16] *nimia fiducia quantæ calamitati soleat esse.* Nam Magistratuum Thebanorum statim ad aures pervenit, exules in urbem devenisse. Id [17] illi, vino epulisque dediti, usque eò despexerunt, ut ne quærere quidem de tanta re laborarint. Accessit etiam, quod magis aperiret eorum dementiam. Allata est enim epistola Athenis [18] ab Archia hierophante Archiæ, qui tum maximum Magistratum Thebis obtinebat, in qua omnia de profectione exulum

INTERPRETATIO.

c Quum de die Athenis profecti essent, ut recurrente nocte Thebas ingredi valerent.

NOTÆ.

13 *Nam duodecim Adolescentuli.*]De eorum numero cumNepote consentitPlutarchus; at sex tantùm Exules fuisse eumMelone uno ex Thebanis exulibus, qui septimus erat, refert Xenoph. lib. 5. c. 14. de reb. gr.

14 *Quorum imperiosa majestas.* [Hæc dicuntur ad ostentationem eximii Spartanorum Imperii super omnem Græciam; scribit enim Plutarchus in Pelopida, ante Leuctricam pugnam tantas Laecedæmoniorum vires fuisse, & tam firmis vinculis eorum imperium fuisse adstrictum,ut vulgò omnes existimarent, solvere illud, aut frangere neminem unquam valiturum.

15 *Domum Charonis.*] In quibusdam editionibus legitur, *Coronis*; sed nihil mutuo, quia sic legitur apud Xenoph.lib. 5.cap. 14. jam sæpè citato; quem pariter unum ex Conjuratis,sed minimè à tyrannis suspectum ait: διανυκτερεύουσι παρὰ Χάρωνί τινι.

16 *Nimia fiducia quanta calamitati soleat esse.*] Cui simillimum est istud Vellei Paterc. lib. 11. cap. 118. *Neminem celerius opprimi, quàm qui nihil timet, & frequentissimum initium esse calamitatis securitatem.*

17 *Illi vino epulisque dediti.*] Simile exemplum refert Livius lib. 22. de Syracusis captis inter vini epularumque copiam. Sunt & prætereà innumera ejusdem rei exempla.

18 *Ab Archia hierophante Archiæ.*] Variè hic locus legitur, quibus tamen Lectionibus prætermissis, referam illud solùm quod mihi arridet magis. Certum est enim Plutarchum scripsisse, παρὰ Ἀρχίου τοῦ ἱεροφάντου, πρὸς Ἀρχίαν. Ergo ille Ateniensis qui scripsit, nomen habuit Archias, qui Hierophantes, id est, Æditiuus; seu sacrorum custodiæ præfectus erat; & ille cui scribebatur Archias etiam nuncupabatur; & summamThebis potestatem tenebat. Vid. Xenoph. loco citato.

perſcripta erant. Quæ quum jam accubanti in convivio eſſet data: ſicut erat ſignata, in pulvinum ſubjiciens. [19] In craſtinum, inquit, differo res ſeveras. At illi omnes, quum jam nox proceſſiſſet, vinolenti, ab exulibus, [20] duce Pelopida, ſunt interfecti. Quibus rebus confectis, vulgo ad arma libertatémque vocato, non ſolùm qui in urbe erant; ſed etiam undique ex agris concurrerunt: [21] præſidium Lacedæmoniorum ex arce pepulerunt: patriam obſidione liberaverunt: Autores Cadmeæ occupandæ partim occiderunt, partim in exilium ejecerunt. Hoc tam turbido tempore (ſicut ſuprà diximus) Epaminondas, quoad cum civibus dimicatum eſt, domi quietus fuit. Itaque hæc liberandarum Thebarum propria laus eſt Pelopidæ: cæteræ ferè omnes communes cum Epaminonda. Namque in Leuctrica pugna, Imperatore Epaminonda, [22] hic fuit dux delectæ manus, quæ prima phalangem proſtravit Laconum. Omnibus præterea periculis adfuit: ſicut Spartam quum oppugnavit, alterum tenuit cornu: [d] quóque Meſſena celeriùs reſtitueretur, [23] legatus in Perſas eſt profectus. Denique [24] hæc fuit altera perſona Thebis, ſed tamen ſecunda, [e] ità ut proxima eſſet Epaminondæ. Conflictatus autem eſt cum adverſa fortuna. Nam & initio (ſicut oſtendimus) exul patriâ caruit: &, quum Theſſaliam in poteſtatem Thebanorum cuperet redigere, [25] *legationiſque* jure ſatis *tectum ſe arbitraretur*; [21] *quod apud omnes gentes ſan-*

INTERPRETATIO.

d *Et ut promptius Meſſena inſtauraretur.*

e *Adeo ut ſecundum ab Epaminonda* locum *teneret.*

NOTÆ.

19 *In craſtinum, inquit, differo res ſeveras.*] Schottus mavult ferias; quod ferè eodem recidit.

20 *Duce Pelopidâ, ſunt interfecti.*] Vide Xenophontem loco citato, qui hanc hiſtoriam fuſè deſcribit, ſed alias adhibet circumſtantias. Eamdem etiam refert Plutarchus.

21 *Præſidium Lacedæmoniorum ex Arce pepulerunt.*] Cadmæâ, quam quum occupaſſent, ut ſuprà dictum eſt, Lacedæmonii, Duce Phœbidâ, ſemper retinuerant valido præſidio.

22 *Hic fuit Dux delecta manus.*] Scilicet, Cohortis trecentorum militum ſibi mutuo amore amicitiæ conjunctorum, qui unà vincere, aut unà perire ſemper parati erant; hæc etiam ſacra cohors dicebatur, cujus Author Gorgias fuit. Polyænus lib. 11.

23 *Legatus in Perſas eſt profectus.*] Ne ſcilicet legati à Lacedæmoniis priùs miſſi de ſocietate cum Perſis ineunda, impedirent ne Meſſena diruta atque everſa inſtauraretur, atque incolis frequentaretur.

24 *Hæc fuit altera perſona Thebis.*] Hæc tranſlatio à ſcena ſumpta eſt.

25 *Legationiſque jure ſatis tectum ſe arbitraretur.*] Nihil de hac legatione Plutarchus. Diodorus verò lib. 15. ſcribit Pelopidam & Iſmeniam cum Alexandro Pheræorum tyranno occurriſſent, temerè & ſine ulla ratione ab eo comprehenſos eſſe, & in carcerem conjectos.

26 *Quod apud omnes gentes ſanctum eſſe conſueſſet.*] Quanta ubique gentium legatorum nomini habeatur veneratio, ſatis notum eſt: Unde Statius lib. 11.

Sanctum populis per ſæcula nomen legatum.

Et Cic. Verr. 3. *Legatorum jus divino, humanoque vallatum præſidio.*

ctum esse consuesset: à Tyranno [27] Alexandro Pheræo, simul cum Ismenia comprehensus, in vincula conjectus est. Hunc Epaminondas recuperavit, [28] bello persequens Alexandrum. Post id factum nunquam is animo placari potuit in eum, à quo erat violatus. Itaque persuasit Thebanis, ut subsidio Thessaliæ proficiscerentur, tyrannósque ejus expellerent. Cujus belli quum ei summa esset data, eóque cum exercitu profectus esset, [29] non dubitavit, simul ac conspexit hostem, confligere. In quo prælio Alexandrum ut animadvertit, incensus irâ, equum in eum concitavit, procúlque digressus à suis, conjectu telorum confossus cecidit. [f] Atque hoc secunda victoria accidit: nam jam inclinatæ erant tyrannorum copiæ. Quo facto omnes Thessaliæ civitates interfectum Pelopidam [30] coronis aureis & statuis æneis, liberósque ejus multo agro donaverunt.

INTERPRETATIO.

f *Idque inclinante* in Thessalos belli *fortunâ evenit.*

NOTÆ.

27 *Alexandro Pheræo.*] Pheræ, oppidum Thessaliæ: unde Pheræus.

28 *Bello persequens tyrannum.*] Hunc exitum bellum illud habuit, ut tyrannus impetratis triginta dierum induciis Pelopidam liberaret. Plutarchus in Pelopida.

29 *Non dubitavit, simul ac conspexit hostem, confligere.*] Licet Alexander haberet militum ampliùs viginti millia. Diodorus.

30 *Coronis aureis.*] Quæ etiam mortuis imponi solebant, ut scribit Cic. in oratione pro Flacco. Sic honoris ergo auream Coronam Castricio mortuo imponendam Pergamenos decrevisse.



XVII.

AGESILAUS LACEDÆMONIUS.

CUM à cæteris ſcriptoribus, tum eximiè [1] à Xenophonte Socratico collaudatus eſt. [2] Eo enim uſus eſt familiariſſimè. Hic primùm de regno cum [3] Leotychide, fratris filio, habuit contentionem. Mos eſt enim à majoribus Lacedæmoniis traditus, ut duos haberent ſemper reges, nomine magis quàm imperio, ex duabus familiis [4] Proclis & Euryſthenis, qui principes ex progenie Herculis, Spartæ reges fuerunt. [a] Harum ex altera, in alterius familiæ locum [5] fieri non licebat. Itaque uterque ſuum retinebat ordinem. Primùm ratio habebatur, qui maximus natu eſſet ex liberis ejus, qui regnans deceſſiſſet. Sin is virilem ſexum non reliquiſſet, tum deligebatur, qui proximus eſſet propinquitate. Mortuus erat Agis rex, frater Ageſilai; [6] filium reliquerat Leotychidem, quem ille vivens non agnorat; eundem, moriens, ſuum eſſe dixerat. Is de honore regni cum Ageſilao ſuo patrùo contendit: neque id, quod petivit, conſequutus eſt. Nam [7] Lyſandro ſuffragante, homine, ut oſtendimus ſuprà, factioſo, & his tempo-

INTERPRETATIO.

a *Fas non erat* quemquam *ex altera familia*, *alterius familia vices occupare.*

NOTÆ.

1 *A Xenophonte Socratico.*] Socratis auditore: unà enim cum Platone Socratem audivit, cujus meminit Gellius lib. 14. c. 3. & Cicero lib. 5. epiſt. 12. ad Luceium: & lib. 2. de Oratore; fuerunt & alii ejuſdem nominis viri egregii, de quibus vide Suidam.

2 *Eo enim uſus eſt familiariſſimè.*] Dubium eſt uter altero familiariter uſus ſit, mihi verò id potiùs ad Ageſilaum, quam ad Xenoph. referri videtur.

3 *Cum Leotychide.*] Idem ipſi nomen affingitur à Xenoph. in Ageſilao.

4 *Proclis, & Euryſthenis.*] Hi ambo erant ex Heraclydarum familiâ, quorum Succeſſionis Catalogum ab Hercule enumerat Pauſanias. De his etiam quædam à Cicer. lib. 11. de divinatione ſcribuntur.

5 *Fieri non licebat.*] Qui enim ex Proclidarum familia erat, non poterat Rex fieri in locum ejus, qui ex Euryſthenidarum familia eſſet; & vice verſâ.

6 *Filium reliquerat Leotychidem.*] De quo mox diximus.

7 *Lyſandro ſuffragante.*] Lyſander ille de quo jam ſuprà, Ageſilaum puerum amaverat, teſte Plutarcho in Lyſandro & Ageſilao.

ribus potente Agesilaus antelatus est. Hic, simul atque imperii potitus est, persuasit Lacedæmoniis, ut exercitum emitterent in Asiam, bellúmque Regi facerent docens, satius esse in Asia, quàm in Europâ dimicare. Namque fama exierat, Artaxerxem comparare classem, pedestrésque exercitus, quos in Græciam mitteret. Datâ potestate, tantâ celeritate usus est, ut priùs in Asiam cum copiis pervenerit, quàm regii satrapæ eum scirent profectum. Quo factum est, ut omnes imparatos imprudentésque offenderet. [8] Id ut cognovit Tissaphernes, qui summum imperium tum inter præfectos habebat regios; [9] inducias à Lacone petivit, simulans se dare operam, [b] ut Lacedæmoniis cum rege conveniret: re autem vera ad copias comparandas, eásque impetravit trimestres. Juravit autem uterque, se sine dolo inducias conservaturum. In qua pactione, summâ fide mansit Agesilaus. Contra ea, Tissaphernes nihil aliud quàm bellum comparavit. Id etsi sentiebat Laco, tamen jusjurandum servabat, multúmque in eo consequi se dicebat, *quod Tissaphernes perjurio suo & homines suis rebus abalienaret, & deos sibi iratos redderet.* [c] *Se autem servatâ religione confirmare exercitum, quum animadverteret* [d] *deorum numen facere secum, hominésque sibi conciliari amiciores, quòd iis studere consueßent, quos conservare fidem viderent.* Postquàm induciarum præteriit dies, barbarus non dubitans, quòd ipsius erant [10] plurima domicilia in Caria, & ea regio his temporibus multò putabatur locupletissima, cò potissimum hostes impetum facturos, omnes suas copias cò contraxerat. At Agesilaus in Phrygiam se convertit, eámque priùs depopulatus est, quàm Tissaphernes usquam se moveret. Magna præda militibus locupletatis. [11] Ephesum hyematum exercitum reduxit, atque ibi officinis armorum institutis, ma-

INTERPRETATIO.

b *Ut Lacedamonios cum Rege conciliaret.*

c *Se verò non violato sacramento suos milites corroborare.*

d *Deos sibi esse adjutores.*

NOTÆ.

8 *Id ut cognovit Tissaphernes.*] Ille Cyrum minorem apud Artaxerxem fratrem criminando, causa fuit ejus belli quod postea inter fratres exarsit: occisus est tandem ejusdem Artaxerxis jussu, quòd adversus Agesilaum rem proditoriè gerere videretur. Vide Xenoph. de rebus Græciæ lib. 3. c. 11.

9 *Inducias à Lacone petivit.*] Id est, ab Agesilao; de iisdem induciis proditoriè à Tissapherne factis loquitur Xenoph. lib. 3. c. 8.

10 *Plurima domicilia in Caria.*] Diodorus refert lib. 14. in ejusmodi domiciliis seu castellis, hortos fuisse amœnissimos, omnibusque rebus ad voluptatem & delicias comparatis instructos.

11 *Ephesum hyematum exercitum reduxit.*] Quia exta sacrificanti parum læta fuerant, & victimæ sine fibris etiam extiterant, ideo longiùs non progressus est. Sic refert Diodorus lib. 14. Adde quod id etiam factum est, quia ipsi equitatus deficiebat, cujus defectu barbaris impar esse videbatur. Xenoph. lib. 3. de reb. gr.

gnâ industriâ bellum apparavit: & quò studiosiùs armarentur, insigniúsque ornarentur, [12] præmia proposuit, quibus donarentur, quorum egregia in ea re fuisset industria. Fecit idem in exercitationum generibus, ut qui cæteris præstitissent; eos magnis afficeret muneribus. His igitur rebus effecit, [13] ut & ornatissimum & exercitatissimum haberet exercitum. Hic quum tempus esset visum copias extrahere ex hybernaculis, vidit, si, quò esset iter facturus, palàm pronunciasset, hostes non credituros, aliásque regiones occupaturos, nec dubitaturos aliud esse facturum ac pronunciasset. Itaque quum ille Sardeis se iturum dixisset, Tissaphernes eandem Cariam defendendam putavit. In quo quum eum opinio fefellisset, victumque se vidisset consilio, [14] sero suis præsidio profectus est. Nam quum illò venisset, jam Agesilaus multis locis expugnatis, magnâ erat prædâ potitus. Laco autem quum videret hostes equitatu superare, [e] nunquam in campo sui fecit potestatem, & his locis manum conseruit, quibus plus pedestres copiæ valerent. Pepulit ergo, quotiescunque congressus est, multò majores adversariorum copias: & sic in Asiâ versatus est, ut omnium opinione victor duceretur. Hic quum animo meditaretur proficisci in Persas, & ipsum regem adoriri: nuncius ei domo venit ephorûm jussu, bellum Athenienses & Bœotios indixisse Lacedæmoniis; quare venire non dubitaret. In hoc non minùs ejus pietas suspicienda est, quàm virtus bellica, qui quum victori præesset exercitui, maximámque haberet fiduciam regni Persarum potiundi; [f] tantâ modestiâ dicto audiens fuit jussis absentium Magistratuum, ut si privatus [15] in comitio esset Spartæ. [16] Cujus exemplum utinam Imperatores nostri sequi voluissent. Sed illuc redeamus. Agesilaus opulentissimo regno præposuit bonam existimatio-

INTERPRETATIO.

e *Nusquam in patenti loco suas copias explicuit.*

f *Tam modestè absentium Magistratuum mandatis obtemperavit.*

NOTÆ.

12 *Præmia proposuit.*] De hac re Xenoph. Ibidem.

13 *Ut & ornatissimum, & exercitatissimum haberet exercitum.*] Id est, exercitum omnibus instumentis bellicis optimè instructum, & milites in omni exercitationum genere apprimè versatos.

14 *Sero suis præsidio profectus est.*] 4. Scilicet die postquam in Lydiam ingressus erat, & jam populatus erat Agesilaus. Sic refert Xenoph. lib. 3. c. 11.

15 *In Comitio.*] Id est, in loco ubi Comitia habebantur. Quo etiam vocabulo in eodem sensu utitur Cic. in Oratione pro Sextio, & in Verrem. Agesilao autem missam fuisse Scytalen, quâ semper in revocandis suis ducibus utebantur Lacedæmonii, testis est Xenoph. lib. 4. c. 4. Porro de Scytala, vide suprà in Pausania.

16 *Cujus exemplum utinam Imperatores nostri.*] Hæc in Julium Cæs. dici videntur, qui invito etiam Senatu exercitum retinuit, nec Romam armis positis redire voluit.

nem, multóque gloriosius duxit, si institutis patriæ paruisset, quam si bello superasset Asiam. Hac igitur mente Hellespontum copias trajecit, tantáque usus est celeritate, [g] [17] ut quod iter Xerxes anno vertente confecerat, hic transierit triginta diebus. Quum jam haud longè abesset à Peloponneso, obsistere ei conati sunt Athenienses & Bœotii, [18] cæterique eorum socii, [19] apud Coroneam: quo omnes gravi prælio vicit. Hujus victoriæ vel maxima fuit laus, quòd quum plerique ex fuga se [20] in templum Minervæ conjecissent, quæreretur que ab eo, quid his fieri vellet; etsi aliquot vulnera acceperat eo prælio, & iratus videbatur omnibus, qui adversùs arma tulerant, tamen antetulit iræ religionem, & eos vetuit violari. Neque hoc solùm in Græcia fecit, ut templa Deorum sancta haberet, sed etiam apud barbaros summâ religione omnia simulacra aráſque conservavit. Itaque prædicabat, *mirari se, non sacrilegorum numero haberi qui supplicibus eorum nocuissent, aut non gravioribus pœnis affici, qui religionem minuerent, quàm qui fana spoliarent.* Pòst hoc prælium collatum est omne bellum circa Corinthum, idcóque Corinthium est appellatum. Hîc quum unâ pugnâ decem millia hostium Agesilao duce cecidissent, eóque facto opes adversariorum debilitatæ viderentur: tantùm afuit ab insolentia gloriæ, ut commiseratus sit fortunam Græciæ, quòd tam multi à se victi, [21] vitio adversariorum concidissent. [h] Namque illa multitudine, si sana mens esset Græciæ, supplicium Persas dare potuisse. Idem, quum adversarios intra mœnia compulisset, ut in Corinthum oppugnaret, multi hortarentur: negavit id suæ virtuti convenire. *Se enim eum esse dixit, qui ad officium peccantes redire cogeret, non qui urbes nobilissimas expugnaret Græciæ. Nam si (inquit) exstinguere voluerimus qui nobiscum adversus barbaros steterunt, nosmetipsi nos expugnaverimus, illis quiescentibus, quo facto, sine negotio, quum voluerint, nos oppriment.* [22] Interim accidit illa calamitas apud Leuctra Lacedæmoniis,

INTERPRETATIO.

g *Ut quam viam anni spatio Xerxes emensus fuerat.*

h *Per hanc enim multitudinem, si Græci saperent, Persas supplicio affici potuisse.*

NOTÆ.

17 *Ut quod iter Xerxes anno vertente confecerat.*] Quum nimirum bellum Græciæ intulit stipatus decies septies centenis armatorum millibus.

18 *Cæterique eorum socii.*] Scilicet Eubœenses, Locri, Argivi, Corinthii, & quidam alii, ut Xenoph. refert lib. 4. de reb. gr.

19 *Apud Coroneam.*] Bœotiæ urbem.

20 *In templum Minervæ.*] Cognomento Itoniæ, teste Pausania in Laconicis.

21 *Vitio adversariorum.*] Id est, pertinaciâ, & culpâ cæterorum Græcorum, qui adversus Lacedæmonios fœdus pepigerant.

22 *Interim accidit illa calamitas apud Leuctra.*] De illa ingenti pugnâ quæ Thebanos inter & Spart. commissa est apud Leuctra loquitur hic Nepos, in qua ultimâ magna internecione victi sunt, ut suprà diximus.

quò

i quò ne proficiscerentur, quum à plerisque ad exeundum premeretur, ut si de exitu divinaret, exire noluit. Idem, quum Epaminondas Spartam oppugnaret, [23] essétque sine muris oppidum; talem se imperatorem præbuit, ut eo tempore omnibus apparuerit, k nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse. In quo quidem discrimine celeritas ejus consilii saluti fuit universis. Nam quum quidam adolescentuli, hostium adventu perterriti, ad Thebanos transfugere vellent, & locum extra urbem editum cepissent: Agesilaus, qui perniciosissimum fore videret, si animadversum esset, quenquam ad hostes transfugere conari, cum suis eò venit, atque, ut si bono animo fecissent, laudavit consilium eorum, quod eum locum occupassent, & se id quoque fieri debere animadvertisse. Sic adolescentulos [24] simulata laudatione recuperavit: & adjunctis de suis comitibus, locum tutum reliquit. Namque illi, aucto numero eorum, pui expertes erant consilii, commovere se non sunt ausi: eóque libentiùs, quòd latêre arbitrabantur, quæ cogitarant. Sine dubio pòst Leuctricam pugnam l Lacedæmonii [25] se nunquam refecerunt, neque pristinum imperium recuperarunt. Quum interim Agesilaus non destitit, quibuscunque rebus posset patriam juvare. Nam quum præcipuè Lacedæmonii indigerent pecuniâ, [26] ille omnibus, qui à rege defecerant, præsidio fuit. A quibus magnâ donatus pecuniâ, patriam sublevavit. Atque in hoc illud imprimis fuit admirabile, quum maxima munera ei ab regibus & dynastis civitatibúsque con-

INTERPRETATIO.

i *Quem in locum ne pergerent, quasi eventum præsentiret, pluribus ad proficiscendum illum urgentibus, proficisci recusavit.*

k *Si non ille vixisset, Lacedæmonem perituram fuisse.*

l *Spartani se nunquam restituerunt.*

NOTÆ

23 *essétque sine muris oppidum.* Omnes olim Græciæ urbes sine muris fuisse testatur Thucydides in Proœmio: At verò inter cæteras Spartam sine mœnibus fuisse ex eo constat, quòd ex præcepto Lycurgi, viri fortitudine sua pro mœnibus essent: Unde Ovid. Metamorph. x. ait:

Cùm Deus Eurotam, immunitamque frequentat
Sparten.

Hanc tamen muris fuisse circumdatam docet Livius, lib. 4. c. 5. & 8. Decad. 4. Quia tandem Spartani armis diffisi, urbem suam murorum præsidio clauserunt. Just. lib. 14. c. 5.

24 *Simulatâ laudatione recuperavit.* Hoc loquendi modo jam suprà usus est Nepos in Pelopida; scilicet, *hunc Epaminondas recuperavit bello*; quamquam verbum illud variùs de Persona dicitur.

24 *Se nunquam refecerunt.* Id translatum est ab iis qui à deliquio, aut gravi morbo vires reparant. Sic Sallust. *Quo & cæterorum animos reficeret.* Et infra in Hamilcare idem Nepos; si paullulum modò res essent refectæ.

26 *Ille omnibus, qui à Rege defecerant, præsidio fuit.* Tacho in primis qui Ægypti, & Mausolo qui Cariæ Rex erat, a quibus etiam maxima dona accepit: Xenoph. in Agesilao.

ferrentur; nihil unquam in domum suam contulit, [27] nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit. Domo eâdem fuit contentus, [28] quâ Eurysthenes progenitor majorum suorum fuerat usus. Quam qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriæ videre poterat: [29] contrà, plurima patientiæ atque abstinentiæ. Sic enim erat instructa, ut nullâ in re differret, à cujusvis inopis atque privati. Atque hic tantus vir, ut naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus; [30] sic maleficam nactus est in corpore, exiguus, & claudus altero pede. Quæ res etiam nonnullam adferebat deformitatem: [31] atque ignoti, faciem ejus quum intuerentur, contemnebant: qui autem virtutem noverant, non poterant admirari satis. Quod ei usuvenit, quum annorum octoginta [32] subsidio Thaco in Ægyptum ivisset, m & in acta cum suis accubuisset, sine ullo tecto, stratúmque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis, [33] neque huc amplius quàm pellis esset injecta, eodémque comites omnes accubuissent, vestitu humili atque obsoleto, ut eorum, ornatus non modò in his regem neminem significaret, n sed hominis non beatissimi suspicionem præberet. Hujus de adventu fama [34] quum ad regios esset

INTERPRETATIO.

m *Et in littore cum suis sedisset.*

n *Sed hominem non valdè fortunatum se exhiberet.*

NOTÆ.

27 *Nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit.* Hoc veluti summum moderationis exemplum proponitur, arguiturque Principum ac populorum vanitas, qui post victorias secundasque res solent sibi cultum opulentiorem circumdare, ac victu lautiore uti: simile quidpiam refert author noster infrà in Attico. Et Justinus lib. 44. c. 2. *Viriathi*, inquit *ea virtus continentiáque fuit, ut cum Consulares exercitus frequenter vicerit, tantis rebus gestis, non armorum, non vestis cultum, non denique victum mutaverit, quo primum bellare cœpit, perseveraverit, ut quivis gregarius miles ipso Imperatore opulentior videretur.*

28 *Qua Eurysthenes progenitor.* Qui fuit Aristodemi filius, & Proclis frater, de quo paulò suprà in eodem Agesilao.

29 *Contra, plurima patientia atque abstinentia.* Vide Plutarch. in Agesilao, qui de ejus frugalitate in victu cultuque corporis plurima verba facit.

30 *Sic maleficam nactus est.* Nam & staturâ fuit humili, & exiguo corpore; itaut verè erga eum natura difficilis dici possit. Quemadmodum Ovid. epistolâ Sapphus.

Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio forma damna rependo mea.

31 *Atque ignoti, faciem ejus quum intuerentur, contemnebant.* Siquidem vulgus eos tantùm magnarum rerum capaces existimat, quos eximia specie instructos videt: digna enim est imperii forma.

32 *Subsidio Thaco in Ægyptum ivisset.* Nectenabo, non Thaco suppetias tulisse ait Poliænus lib. 11. in Agesilao. Sed Athenæus lib. 14. & Plutarchus in Agesilao cum Nepote conveniunt.

33 *Neque huc amplius quàm pellis esset injecta.* De Tuberone Stoico simile aliquid narrat Cic. pro Muræna.

34 *Quum ad regios esset perlata.*] Id est, quum ad Regis Æypyti ministros pervenisset.

perlata, celeriter munera eò cujusque generis sunt allata. His quærentibus Agesilaum, vix fides facta est unum esse ex his, qui tum adcubabant. Qui quum regis verbis, quæ attulerant, dedissent: ille præter vitulina, & hujusmodi genera obsonii, quæ præsens tempus desiderabat, nihil accepit: unguenta, [35] coronas, [o] secundámque mensam, servis dispertiit: cætera referri jussit. Quo facto, eum barbari magis etiam contempserunt, quòd eum ignorantia bonarum rerum illa potissimùm sumpsisse arbitrabantur. Hic quum ex Ægypto reverteretur, [36] donatus à rege Nectanebe ducentis viginti talentis, quæ ille muneri populo suo daret, [37] venissétque in portum, qui Menelai vocatur, [38] jacens inter Cyrenas & Ægyptum, in morbum implicitus decessit. Ibi eum amici, quò Spartam faciliùs perferre possent, [39] quòd mel non habebant, cera circumfuderunt, [40] atque ita domum retulerunt.

INTERPRETATIO.

o *Et secunda fercula famulis distribuit.*

NOTÆ.

35 *Coronas.*] Ægyptios Agesilao in Ægyptum proficiscenti inter alia munera Papyrum coronariam misisse refert Athenæus lib. 15. c. 6. Hocque idem esse conjicio quod per, *Coronas*, intelligit Nepos; nam Coronæ ejusmodi fiebant ex gramine quodam quod [illegible] Græci vocant, unde Charta seu Papyrus conficiebatur. Prætereà Plin. ait lib. 13. c. 11 Papyri florem ad Deos coronandos, usui fuisse. Adde quod Coronarum frequens usus fuit in conviviis apud veteres, quas primo ex rosis, deinde ex Nardi folio contexebant, & unguentis pretiosissimis aspergebant. Quâ de re vide Carol. Paschalium in opere Coronario.

36 *Donatus à Rege Nectanebe.*] Polyænus, *Nectenabo*, loco paulò suprà laudato. Nam Nectanabus, Nectanabis, & Nectanebis inveniuntur.

37 *Venissétque in portum, qui Menelai vocatur.*] De quo portu vide Strab. lib. 1.

38 *Jacens inter Cyrenas.*] Quod de Lybiâ Cyrenaica intelligendum est. Cyrenæ autem insigne Libiæ oppidum; Uulgò, *Coréna*.

39 *Quod mel non habebant, cerâ circumfuderunt.*] Contra Diodorus scribit Agesilai Corpus in melle Spartam deportatum esse; nam antiquitus cadavera quæ servari vellent, melle condiebant. Persarum tamen mos fuit non melle, sed cera circum linire, teste Herodoto lib. 1. & Cic. in Tuscul.

40 *Atque ita domum retulerunt.*] Leges præcipiebant apud Lacedæmonios, ut suorum Regum corpora defuncta domum reducerent: de cæteris verò ducibus non sic jubebatur. Turneb. lib. 26, c. 33.



XVIII.

[1]EUMENES CARDIANUS.

UJUS si virtuti par data esset fortuna, non ille quidem major, sed multò illustrior, atque etiam honoratior: [2] quòd magnos homines virtute metimur, non fortunâ. Nam quum ætas ejus incidisset in ea tempora [3] quibus Macedones florerent [a] multùm ei detraxit inter eos viventi, [4] quòd alienæ erat civitatis. [5] Neque aliud huic defuit, quàm generosa stirps, [b] etsi ille domestico summo genere erat, tamen Macedones eum sibi aliquando anteponi, indignè ferebant. Neque tamen non patiebantur. Vincebat enim omnes curâ, vigilantiâ, patientiâ, calliditate, & celeritate ingenii. [6] Hic peradolescentulus ad

INTERPRETATIO.

a *Quia alienigena erat, ipsum inter illos degentem valdè depressit.*

b *Hic quamquam ex summâ familiâ ortus erat.*

NOTÆ.

1. EUMENES CARDIANUS.] Quidam *Sardianus*, sed malè; nam ex Cardiâ urbe Thraciæ oriundus erat Eumenes, in cujus gratiam immunem à tributis fecisse Philippum scribit Alexander Myndius.

2 *Quod magnos homines virtute metimur non fortunâ.*] Propriè enim homines magni, majoresve solâ virtute dicuntur; At fortunâ illustriores atque honoratiores; hinc Q. Curtius lib. 9. c. 54. *Sed fortunâ quæ rebus famam pretiumque constituit, hic quoque militiæ probrum vertit in gloriam.*

3. *Quibus Macedones florerent.*] Vixit namque tempore Philippi Macedonum Regis, & Alex. Mag. qui res maximas gesserunt.

4 *Quod alienæ erat civitatis.*] Alienigenis enim non tanta tribuitur fides & favor, quantus civibus & propinquis. Unde apud Curtium lib. 8. c. 8. de Calisthene loquentem sic scribitur: *Quem si Macedo esset, tecum introduxissem, dignissimum te discipulo Magistrum. Nunc Olynthio non idem juris est.*

5 *Neque aliud huic defuit, quàm generosa stirps, etsi ille domestico summo genere erat.*] Hæc duo sibi parum cohærere videntur. Quomodo enim defuit illi stirps generosa, si ille domestico summo genere erat? Itaque hæc paulo clariùs explicanda sunt; & hic sensus mihi esse videtur, nimirum Eumenem reipsâ ex parentibus summæ sortis & nobilitatis ortum esse, sed parum magnanimis & belli facinoribus celebrandis.

6 *Hic peradolescentulus in amicitiam accessit Philippi.*] Vix ille siquidem 23. ætatis annum attigerat, quum in Philippi Macedonis amicitiam & familiaritatem venit: Quum enim ipsum Philippus inter reliquos juvenes decertantem luctantemque conspexisset, sibi assumpsit ejus fortitudine & solertiâ delectatus, ut refert Plutarchus. Deinde Philippo mortuo eum simili benevolentia sibi * devinxit Alex. Mag.

amicitiam accessit Philippi, Amyntæ filii; brevique tempore in intimam pervenit familiaritatem. [7] Fulgebat enim jam in adolescentulo indoles virtutis. Itaque eum habuit ad manum, [8] scribæ loco; quod multò apud Graios honorificentius est quàm apud Romanos. Nam apud nos re verâ, sicut sunt, [9] mercenarii scribæ existimantur. At apud illos contrariò, nemo ad id officium admittitur nisi honesto loco, & fide, & industriâ cognitâ: quòd necesse est omnium consiliorum eum esse participem. Hunc locum tenuit amicitiæ apud Philippum annos septem. Illo interfecto, [10] eodem gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim. Novissimo tempore præfuit etiam alteri equitum alæ [c] [11] quæ *betarice* appellabatur. [12] Utrique autem consilio semper affuit, & omnium rerum habitus est particeps. Alexandro Babylone mortuo, [13] quum regna singulis familiaribus dispertirentur, & summa rerum tradita esset tuenda eidem, [14] cui Alexander moriens annulum suum dederat, Perdiccæ: ex quo omnes conjecerunt, [15] eum regnum ei commendasse, quoad liberi ejus in suam

INTERPRETATIO.

c *Quæ socialis dicebatur.*

NOTÆ.

7 *Fulgebat enim jam in adolescentulo indoles virtutis.*] Quemadmodum ex fructuum præludio futuram arboris bonitatem cognoscimus; ita ex puerili indole virtutem plenioris ætatis præsumimus: Unde Paterculus lib. 2. cap. 94. *Ut per id quod agebat quantus evasurus esset, eluceret.* Et Claud. lib. de Laudib. Stilicon.

mens ardua semper
A puero, tenerisque etiam fulgebat in annis.

8 *Scribæ loco.*] Scribæ ejusmodi tales erant tunc temporis, quales ferè hodie sunt Cancellarii; unde fit ut Plutarchus eum non scribam simpliciter, sed Principem seu Præfectum scribarum vocet.

9 *Mercenarii scribæ existimantur.*] Ii sunt quos abusivè hodie secretarios Magistratuum appellamus, quique revera serviles sunt ministri, serviliter suis dominis addicti.

10 *Eodem gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim*] Cujus & filiis tutor etiam postea datus est, ut videbitur infrà.

11 *Quæ* hetærice *appellabatur.*] A voce Græca ἑταιρικὴ, quæ socialis est, atque ita vocabatur ala equitum honoris causâ apud Macedones, ab amicitiâ & sodalitate regia Sic Arrian. de reb. Alex. Mag. lib. 6. cap. 18.

12 *Utrique autem consilio semper affuit.* Quoniam & in rebus politicis, & bellicis plurimùm valuit.

13 *Quum regna singulis familiaribus dispertirentur.*] Hoc notum est ex omnibus historicis, præsertimque ex Q. Curtio, Justino, Orosio, Arriano, multisque aliis, cùm sacris, tùm prophanis.

14 *Cui Alexander moriens annulum suum dederat.*] Scilicet, Perdiccæ, ut dicitur paulò infrà. Vide Just. lib. 12. c. 15. Q. Curt. lib. 10. c. 5. Deinde locus ille posset aliquatenùs effici clarior, si immutato paulisper ordine sic legeretur. *Et summa rerum tradita esset tuenda eidem Perdiccæ, cui Alexander moriens annulum suum dederat.*

15 *Eum regnum ei commendasse.*] Alex. Magn. Regnum Macedonum Perdiccæ commendasse ex eo liquet, quòd antiquitus per transmissionem sigilli videbatur fieri transmissio hæreditatis; quod Casaub. ad Suetonium notat, putatque id causæ fuisse cur Tiberio morienti Caius annulum ademerit. Quod quidem secundum juris privati analogiam factum fuisse apparet: Nam, ut videtur tutius patrimonii jus tradi, traditis clavibus ædium; ita & possessio regni tradi quoque videbatur, tradito Principum sigillo.

tutelam pervenissent: ([16] aberant enim Craterus & Antipater, qui antecedere hunc videbantur: [17] mortuus erat Hephæstio, quem unum Alexander, quòd facilè intelligi posset, plurimi fecerat) hoc tempore [18] data est Eumeni Cappadocia, [d] sive potiùs dicta. [19] Nam tum in hostium erat potestate. Hunc sibi Perdiccas adjunxerat magno studio, quòd in homine fidem & industriam magnam videbat; non dubitans, [e] si eum pellexisset, magno usui fore sibi in his rebus, quas apparabat. Cogitabat enim (quòd ferè omnes in magnis imperiis concupiscunt) omnium partes corripere atque amplecti. Neque verò hoc solus fecit, sed cæteri quoque omnes, qui Alexandri fuerant amici. [20] Primus Leonnatus Macedoniam præoccupare destinaverat. Is multis magnis pollicitationibus persuadere Eumeni studuit, ut Perdiccam desereret, ac secum faceret societatem. Quum perducere eum non posset, interficere conatus est: & fecisset nisi ille clàm noctu ex præsidiis ejus effugisset. Interim [21] conflata sunt illa bella, quæ ad internecionem pòst Alexandri mortem gesta sunt, [22] omnésque concurrerunt, ad Perdiccam opprimendum. Quem etsi infirmum videbat, quòd unus omnibus resistere cogebatur; tamen amicum non deseruit, neque salutis quàm fidei fuit cupidior. Præfecerat eum Perdiccas [23] ei parti Asiæ, quæ inter Taurum montem jacet atque Hellespontum; & illum unum opposuerat [24] Europæis adver-

INTERPRETATIO.

d *Seu potius assignata.* | e *Si hunc* sibi *sociasset.*

NOTÆ.

16. *Aberant enim Craterus & Antipater.*] Craterus qui, ut ait Curtius; erat Regi Carus in paucis. Antipater verò Jolai filius, qui inter præcipuos Alexandri Duces, & successores annumeratur.

17 *Mortuus erat Hephæstio.*] Qui carissimus Alex. fuit, & ob cujus mortem, quæ morbo evenit ad Ecbatana, incredibili affectus dolore multa regi indecora fecisse dicitur. Ælianus Var. hist. lib. 12. c. 7. refert Alexandrum Achillis monumentum coronasse, Hephæstionem Patrocli; ut ostenderet ita se Carum Alexandro, ut Patroclus Achilli olim fuit.

18 *Data est Eumeni Cappadocia.*]Cappadociam cum Paphlagonia ei datam fuisse scribit Just. lib. 13. quæ sunt regiones ad mare Ponticum vergentes & finitimæ.

19 *Nam tum in hostium erat potestate.*] Hanc enim Ariarathes Rex tunc tenebat, nec Imperio Macedonico tunc suberat.

20 *Primus Leonnatus.*] Hic Euni filius Pellæ natus, cui obtigerat Phrygia quæ Hellespontum attingit, fueratque ex Alexandri corporis custodibus.

21 *Conflata sunt illa bella, &c.*] De his bellis quæ sanè atrocissima fuerunt, & Imperium Macedonicum in mille partes sciderunt, lege Curt. lib. 10. Just. & alios.

22 *Omnesque concurrerunt ad Perdiccam opprimendum.*]Invidiâ, scilicet, commoti, quòd ab Alexand. sigillum accipiens, jus quoque & dominium in eos accepisse videretur: Craterus autem & Antipater primi fuerunt, qui in eum arma movère, quos postea sequutus est Antigonus.

23 *Ei parti Asiæ quæ inter Taurum montem jacet, atque Hellespontum.*] Cappadociam & Bithyniam fuisse existimo, quæ revera Hellespontum, & montem Taurum interjacent.

24 *Europæis adversariis.*]Cratero scilicet & Antipatro, de quibus mox, multisq; aliis

fariis. Ipse Ægyptum oppugnatum [25] adversùs Ptolemæum erat profectus. Eumenes, quum neque magnas copias, neque firmas haberet, quòd inexercitatæ, & non multo antè erant contractæ: adventare autem dicerentur, Hellespontúmque transiisse Antipater & Craterus magno cum exercitu Macedonum, viri cùm claritate, tum usu belli præstantes: Macedones verò milites eâ tunc erant famâ, quâ nunc Romani feruntur: etenim semper habiti sunt fortissimi, [26] qui summam imperii potirentur: Eumenes intelligebat, si copiæ suæ cognoscerent, [27] adversus quos ducerentur, non modò non ituras, sed simul cum nuncio dilapsuras. Itaque hoc ejus fuit prudentissimum consilium, ut deviis itineribus milites duceret, in quibus vera audire non possent, & his persuaderet, se contra quosdam barbaros proficisci. Itaque tenuit hoc propositum, & priùs in aciem exercitum eduxit, præliúmque commisit, quàm milites sui scirent, cum quibus arma conferrent. [28] Effecit etiam illud locorum præoccupatione, ut equitatu potiùs dimicaret, quo plus valebat, quàm peditatu, quo erat deterior. Quorum acerrimo concursu quum magnam partem diei esset pugnatum, cadit Craterus dux, [29] & Neoptolemus, qui secundum locum imperii tenebat. Cum hoc concurrit ipse Eumenes. [30] Qui quum inter se complexi in terram ex equis decidissent, ut facilè intelligi posset inimicâ mente contendisse, animóque magis etiam pugnasse, quàm corpore, [f] non priùs distracti sunt, [31] quàm alterum anima reliquerit. Ab hoc aliquot plagis Eumenes vulneratur: neque eo magis ex prælio excessit, sed acriùs hostibus institit. Hîc equitibus profligatis, interfecto duce Cratero, multis prætereà & maximè nobilibus captis, pedestris exercitus, quòd in eâ loca erat deductus, ut invito Eumene elabi non posset, pacem ab eo

INTERPRETATIO.

f *Non ante avulsi sunt, quàm alter vitam amiserit.*

NOTÆ.

25 *Adversus Ptolemæum.*] Lagi filium, qui ex gregario milite interDuces &SuccessoresAlex. habitus est, atque illo mortuoÆgyptum occupavit, à quo postea omnesÆgypti RegesPtolemæi dicti sunt.

26 *Quæ summam Imperii potirentur.* Pro *summâ Imperii*: nam id secundum veterem loquendi modum in accusativo casu ponitur.

27 *Adversùs quos ducerentur.*] Sedulò Milites suos celare studuit se adversùs Crateram proficisci, quia intelligebat id si rescirent, confestim elapsuros, ut infrà dicitur.

28 *Effecit etiam illud locorum præoccupatione.*] Id est, ut posset priùs loca ad pugnandum sibi idonea occupare.

29 *EtNeoptolemus qui secundum locum Imperiè tenebat.*] Neoptolemus ille sinistro cornu præerat, teste Diodoro lib. 28.

30 *Qui cum inter se complexi in terram decidissent.*] Vide Plutarchum in Eumene, a quo lepidè hæc monomachia describitur.

31 *Quàm alterum anima reliquerit.*] Scilicet, Neoptolemum, qui teste Plutarcho, & Diodoro, poplite saucius validè diuque Eumeni integro restitit; sed denique accepto in collo vulnere succubuit,

petiit : Quam quum impetrasset, in fide non mansit, & se simul ac potuit, ad Antipatrum recepit. Eumenes Craterum ex acie semivivum elatum recreare studuit. Quum id non potuisset, pro hominis dignitate : proque pristina amicitia (namque illo usus erat Alexandro vivo familiariter) amplo funere extulit, ossáque in Macedoniam uxori ejus ac liberis remisit. Hæc dum apud Hellespontum geruntur, [32] Perdiccas apud flumen Nilum interficitur [33] à Seleuco & Antigono, rerúmque summa ad Antipatrum defertur. [34] Hîc qui deseruerant, exercitu suffragium ferente, capitis absentes damnantur : in his Eumenes. Hâc ille perculsus plagâ, non succubuit, neque eò seciùs bellum administravit. Sed exiles res animi magnitudinem etsi non frangebant, tamen imminuebant. Hunc persequens Antigonus, quum omni genere copiarum abundaret, sæpè in itineribus vexabatur, neque unquam ad manum accedere licebat, nisi his locis, quibus multis possent pauci resistere. Sed extremo tempore quum consilio capi non posset, multitudine circumventus est. Hinc tamen multis suis amissis se expedivit; [35] & in castellum Phrygiæ, quod Nora appellatur, confugit. In quo quum circumsederetur, & vereretur, ne uno loco manens equos militares perderet, quod spatium non esset agitandi; callidum fuit ejus inventum; quemadmodum stans jumentum calefieri exercerique posset, quò libentius & cibo uteretur, & à corporis motu non removeretur. [36] Substringebat caput loro altius, quàm ut prioribus pedibus planè terram posset attingere : [37] deinde post verberibus cogebat exultare, & calces remittere : qui motus non minùs sudorem excutiebat, quàm si in spatio decurreret. Quo factum est, quod omnibus mirabile est visum, [g] ut jumenta æquè nitida ex castello

INTERPRETATIO,

g *Ut equos tam comptos ex arce expromeret.*

NOTÆ.

32 *Perdiccas apud flumen Nilum interficitur.*] Vix Ægyptum ingressus erat Perdiccas quum per seditionem obtruncatur. Vide Diodorum l. 18. De ejus tamen morte variæ sunt authorum opiniones. Vide eumdem Diodor. eodem lib. c. 36.

33 *A Seleuco & Antigono.*] Seleucus Antiochi filius Philopator dictus, qui mortuo Alexandro Syriâ & Babylone potitus est : Sic Cedrenus, Arrianus, Diodorus, & alii, Antigonus verò Philippi Regis Spurius; qui in Asiâ minore diu dominatus est.

34 *Hic qui deseruerant.* Id est omnes illi qui apud flumen Nilum ab Antipatri partibus non steterant.

35 *Et in castellum Phrygiæ, quod Nora appellatur, confugit.* Noram in Cappadociæ ac Lycaoniæ finibus esse scribit Plutarchus : At verò juxta Taurum montem locat Strabo lib. 12. & sua ætate Neroassam appellari dicit.

36 *Substringebat caput loro.* Meminit ejus industriæ Front. lib. 4. Stratag. his verbis: *Certis quotidie horis ita suspendebat, ut posterioribus pedibus innixi prioribus allevatis, cum naturalem appetunt consuetudinem, ad sudorem usque crura jactarent.*

37 *Deinde post verberibus cogebat exultare.* Parisiensis editio habet, *posterioribus*, pro, *post verberibus*; quòd magis Frontini verbis mox citatis conforme videtur.

educeret,

educeret, quum complures menses in obsidione fuisset, ac si campestribus ea locis habuisset. [38] Ea conclusione quotiescunque voluit, & apparatum & munitiones Antigoni alias incendit, alias dejecit. Tenuit autem se uno loco, quandiu fuit hiems, quòd castra sub dio habere non poterat. Ver appropinquabat: [39] Simulata deditione, dum de conditionibus tractat, præfectis Antigoni imposuit, séque ac suos omnes extraxit incolumes. Ad hunc [40] Olympias, mater quæ fuerat Alexandri, quum literas & nuncios misisset in Asiam, consultum utrum repetitum iret Macedoniam, (nam tum in Epiro habitabat) & eas res occuparet: huic ille primùm suasit, ne se moveret, & expectaret, [41] quoad Alexandri filius regnum adipisceretur. Sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam, omnium injuriarum oblivisceretur, & in neminem acerbiore uteretur imperio. Horum nihil ea fecit. Nam & in Macedoniam profecta est, [42] & ibi crudelissimè se gessit. Petivit autem ab Eumene absente, ne pateretur Philippi domus & familiæ inimicissimos stirpem quoque interimere, ferrétque opem liberis Alexandri.[h] Quam veniam si daret, quamprimùm exercitus pararet, quos sibi subsidio adduceret. Id quo faciliùs faceret, se omnibus præfectis, qui in officio manebant, [43] misisse literas, ut ei parerent, ejúsque consiliis uterentur. His verbis Eumenes permotus, satiùs duxit, si ita tulisset fortuna, perire bene meritis referentem gratiam, quàm ingratum viveret. Itaque copias contraxit, bellum adversum Antigonum comparavit: quòd unà erant Macedones complures nobiles. [44] In his Peucestes, qui corporis custos fuerat Alexandri, tum autem obtinebat Persidem: [45] & Antigenes, cu-

INTERPRETATIO.

h *quod si concederet.*

NOTÆ.

38 *Eâ conclusione.*] Id est, quandiu hoc in castello conclusus est.

39 *Simulatâ deditione.*] Paulò aliter Plutarchus; ait enim Antigono Noram obsidente Antipatrum obiisse, qui Justino teste lib. 14. c. 2. auxilia Eumeni miserat, atque aliam ob causam obsidionem hanc solutam fuisse.

40 *Olympias.*] Neoptolemi Molossorum Regis filia, quæ Myrtale priùs appellata est, quàm Philippus Macedo uxorem habuit, ex quâ Alexandrum Mag. progenuit. Vide Justin. lib. 9. c. 7.

41 *Quoad Alexandri filius.*] Quem Alexander ex Roxane genuerat, quemque alii Philippum, alii Herculem, alii verò, idque probabilius ex patris nomine Alexandrum appellatum fuisse scribunt; ut testatur Pausanias in Atticis & Bœoticis, & Diodorus 19.

42 *Et ibi crudelissimè se gessit.*] Quia, ut refert Just. lib. 13. c. 6. muliebri potiùs iracundiâ quàm regio animo se gerens multas virorum illustrium cædes edidit.

43 *Misisse literas.*] Lege Diodorum lib. 18. & Plutarchum in Eumene, apud quos harum literarum formulas & argumenta invenias.

44 *In his Peucestes.*] Hic primùm Clipeigerulus, postea factus est unus ex 7. Alexandri custodibus post victum Porum. Arrianus lib. 6.

45 *Et Antigenes.*] Hunc Phalangis Macedoniæ Ducem scribit Polyænus lib. 4. quemadmodum & Nepos, secundumque Imperii gradum obtinebat.

N

jus sub imperio phalanx erat Macedonum. Invidiam verens (quam tamen effugere non potuit) si potius ipse alienigena summi imperii potiretur, quàm alii Macedonum, quorum ibi erat multitudo:[46] in principiis [47] nomine Alexandri statuit tabernaculum, in eóque sellam auream cum sceptro ac diademate jussit poni, [48] eóque omnes quotidie convenire, ut ibi de summis rebus consilia caperentur; credens, minore se invidia fore, si specie imperii nominisque simulatione Alexandri bellum videretur administrare: quod & fecit. Nam quum non ad Eumenis principia, sed ad regia conveniretur, atque ibi de rebus deliberaretur, quodammodò latebat, quum tamen per eum unum gererentur omnia. [49] Hic in Parætacis cum Antigono conflixit, non acie instructa, sed in itinere: eúmque malè acceptum in Mediam hyematum coëgit redire, ipse in finitima regione Persidis hyematum copias divisit, non ut voluit; sed militum id cogebat voluntas. [50] Namque illa phalanx Alexandri Magni quæ Asiam peragraverat, devicerátque Persas, inveteratâ cùm gloriâ tum etiam licentiâ, non parêre se ducibus, sed imperare postulabat, [51] ut nunc veterani faciunt nostri. Itaque periculum est, ne faciant, quod illi fecerunt suâ intemperantiâ nimiaque licentiâ, ut omnia perdant, neque minùs eos, cum quibus steterint, [1] quàm adversus quos fecerint. Quod si quis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoscat, neque rem ullam, nisi tempus, interesse judicet. Sed ad illos revertar. Hyberna sumpserant, non ad usum belli, sed ad ipsorum luxuriam, longéque inter se discesserant. Hoc Antigonus quum comperisset, intel-

INTERPRETATIO.

1 *Quam contra quot pugnaverint.*

NOTÆ.

46 *In principiis.*] Certum est principia in hoc loco designare loca quædam in castris quò Principes ac Duces conveniebant deliberaturi: non definitur autem utrum in medio, vel in extremo castrorum essent; tamen Polyænus medium locum occupare innuere videtur, ἐν μέσῳ στρατοπέδῳ. Eo sensu apud Just. lib. 11. c. 5. scriptum legimus: *Ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit*; *ut si principia castrorum cerneres, Senatum te alicujus priscæ reip. videre diceres.* Sic Tacitus, sic Florus, sic Valer. Max. sic Frontinus, multique alii Scriptores.

47 *Nomine Alexandri statuit tabernaculum.*] Ut non suo nomine bellum movere videretur, sed regio, sicque se ab omni affectatæ tyrannidis suspicione expediret.

48 *Eoque omnes quotidie convenire.*] Ne si dedignarentur ad Eumenem tanquam ad alienigenam accedere, ipse quoque non erubesceret antè ipsorum tentoria conspici, qui Dux exercitus esset.

49 *Hic in Parætacis.*] Stephano Παραιτάκη πόλις Μηδίας. Ptolemæo Parætaceni Mediæ accensentur. Tamen ex Nepotis verbis conjicere est locum hunc non in Mediâ, sed Mediam inter & Persidem situm esse, quia Antigonum in Mediam redire coëgit.

50 *Namque illa Phalanx.*] De phalange illa mox dictum est.

51 *Ut nunc veterani faciunt nostri.*] Hic carpit veteranorum sui temporis arrogantiam, in quam etiam Cic. acriter invehitur Philipp. 1. c. 6. & multis aliis in locis.

ligerétque se parem non esse paratis adversariis, statuit aliquid sibi consilii novi esse capiendum. Duæ erant viæ, quà ex Medis, ubi ille hyemabat, ad adversariorum hybernacula posset perveniri. Quarum brevior per loca deserta, quæ nemo incolebat propter aquæ inopiam: cæterum dierum erat ferè decem. Illa autem qua omnes commeabant, [k] altero tanto longiorem habebat anfractum, sed erat copiosa; omniúmque rerum abundans. Hàc si proficisceretur, intelligebat priùs adversarios resciturος de suo adventu, quàm ille tertiam partem confecisset itineris sui, [l] sin per loca sola contenderet; sperabat se imprudentem hostem oppressurum. Ad hanc rem conficiendam imperat quamplurimos utres atque etiam culleos comparari. Post hæc pabulum, prætereà cibaria cocta dierum decem, utque quam minimè fieret ignis in castris. Iter quod habebat, omnes celat. Sic paratus, quà constituerat, proficiscitur. Dimidium ferè spatium confecerat, quum ex fumo castrorum ejus [52] suspicio allata est ad Eumenem, hostem appropinquare. Conveniunt duces, quæritur quid opus sit facto. Intelligebant omnes, tam celeriter copias ipsorum contrahi non posse, quàm Antigonus adfuturus videbatur. [53] Hic omnibus titubantibus, & de rebus summis desperantibus, Eumenes ait, *si celeritatem velint adhibere, & imperata facere, quod antè non fecerint, se rem expediturum. Nam quod diebus quinque hostis transire posset, se effecturum, ut non minùs totidem dierum spatio retardaretur.* [54] *Quare circumirent, suas quisque copias contraheret.* Ad Antigoni autem refrænandum impetum tale capit consilium: [m] certos omittit homines ad infimos montes, qui obvii erant itineri adversariorum, hísque præcipit, [n] ut primâ nocte quàm latissimè possint, ignes faciant quàm maximos, atque hos secundâ vigiliâ minuant, tertiâ perexiguos reddant, [o] & [55] adsimulatâ castrorum consuetudine, suspicionem injiciat hostibus, his locis esse castra, ac de eorum adventu esse prænuntiatum:

INTERPRETATIO.

k *Duplo majorem habebat circuitum.*
l *Sin per locorum solitudinem incederet.*
m *Fidos relinquit milites ad montium radices.*
n *Ut prima vigiliâ.*
o *Et observato castrorum usu.*

NOTÆ.

52 *Suspicio allata est ad Eumenem.*] Nimirum à barbaris qui non fumum, sed ignium fulgorem videntes, teste Plutarcho, ex summitate collium circumjacentium Camelis cursoribus nuncium Eumeni & Peucestæ attulerunt, ut refert Diodorus; Plutarchus verò soli Peucestæ, quippe qui propior esset hostibus.

53 *Hic omnibus titubantibus.*] Id est, trepidantibus. Nonius, titubare trepidare est.

54 *Quare circumirent.*] Sua hyberna circumeundo Milites suos congregarent.

55 *Adsimulatâ castrorum consuetudine.*] Ignes scilicet accendendo, rumores & strepitum excitando, & cætera ejusmodi castrensia exhibendo.

[p] Idémque postera nocte faciant. Quibus imperatum erat, diligenter præceptum curant. Antigonus tenebris obortis ignes conspicatur, credit de suo adventu esse auditum, & adversarios illuc suas contraxisse copias. Mutat consilium, & quoniam imprudentes adoriri non posset, flectit iter suum, & illum anfractum longiorem copiosæ viæ capit; ibique diem unum opperitur, ad lassitudinem sedandam militum, ac reficienda jumenta, [q] quò integriore exercitu decerneret. Hîc Eumenes callidum imperatorem [56] vicit consilio, celeritatémque impedivit ejus, neque tamen multùm profecit. Nam invidiâ ducum, cum quibus erat, [57] perfidiáque militum Macedonum veteranorum, [58] quum superior prælio discessisset, Antigono est deditus, [59] quum exercitus ei ter antè separatis temporibus jurasset se eum defensurum, nec unquam deserturum. Sed tanta fuit nonnullorum virtutis obtrectatio, ut fidem amittere mallent, quàm eum non prodere. Atque hunc Antigonus, [r] quum ei fuisset infestissimus, conservasset, si per suos esset licitum, quòd ab nullo se plus adjuvari posse intelligebat in his rebus, quas impendêre jam apparebat omnibus. [60] Imminebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemæus, opibus jam valentes, cum quibus ei de summis rebus erat dimicandum. Sed non passi sunt hi, qui circa erant, quòd videbant, Eumene recepto, omnes præ illo parvi futuros. Ipse autem Antigonus adeò erat incensus, ut nisi magna spe maximarum rerum leniri non posset. Itaque quum eum in custodiam dedisset, & præfectus custodum quæsisset, *quemadmodum servari vellet; ut acerrimum, inquit, leonem, aut ferocissimum elephantum.* Nondum enim statuerat, eum conservaret nécne. [s] Veniebat autem ad Eumenem utrúmque genus hominum, [t] & qui propter odium

INTERPRETATIO.

p *Pariterque quartâ vigilia agant.*
q *Ut alacrioribus copiis decertaret.*
r *Quamvis eum maximè odisset.*

s *Conveniebat verò Eumenem duplex hominum genus.*
t *Et qui præ odio, ex illius infortunio oculos voluptate pascerent.*

NOTÆ.

56 *Vicit consilio.*] Idem sentit Plutarch.

57 *Perfidiáque militum.*] Ad hanc proditionem impulsos fuisse milites Justinus scribit lib. 14. & Plutarchus in Eumene; ut uxores & liberos suos, & quæ in prælio amiserant ab Antigono reciperent.

58 *Quum superior prælio discessisset.*] Immò Antigonum superiorem fuisse scribit Just. eodem lib. 14. c. 3. cujus hæc verba sunt: *Ad postremum quum Antigonum venire cum exercitu nunciatum esset, compellit eos in aciem descendere. Ibi dum ducis imperia contemnunt, hostium virtute superantur.*

59 *Quum exercitus ei ter, &c.*] Quater Just. ut patet ex his illius verbis: *Quater intra hunc annum in mea verba jurejurando obstricti estis*, lib. 14. c. 4.

60 *Imminebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemæus.*] Seleucus Babyloniæ præfectus. Lysimachus Thraciam occupaverat cum regionibus finitimis. Ptolemæus Ægyptum invaserat, de quo jam suprà.

fructum oculis ex ejus casu capere vellent, & qui propter veterem amicitiam colloqui consolarique cuperent. Multi etiam, qui ejus formam cognoscere studebant, qualis esset, quem tamdiu, tamque valdè timuissent, cujus in pernicie positam spem habuissent victoriæ. At Eumenes, quum diutiùs in vinculis esset, ait Onomarcho, penes quem summa imperii erat custodiæ, *se mirari, quare jam tertium diem sic teneretur, non enim hoc convenire Antigoni prudentia,* [u] *ut sic deuteretur victo, quin aut interfici, aut missum fieri juberet.* Hic quum ferocius Onomarcho loqui videretur: *Quid tu? inquit, animo si isto eras, cur non prælio cecidisti potiùs, quàm in potestatem inimici venires?* Huic Eumenes, *Utinam quidem istud evenisset,* inquit: *sed eò non accidit, quòd nunquam cum fortiore sum congressus. Non enim cum quoquam arma contuli, quin is mihi succubuerit. Non enim virtute hostium,* [61] *sed amicorum perfidiâ decidi.* Neque id falsum. [x] Nam & dignitate fuit honestâ, & viribus ad laborem ferendum firmis, neque tam magno corpore, quàm figurâ venustâ. De hoc Antigonus, quum solus constituere non auderet, ad consilium retulit. Hic quum [62] plerique omnes primò perturbati admirarentur, non jam de eo sumptum esse supplicium, à quo tot annos adeò essent malè habiti, ut sæpe ad desperationem forent adducti, quique maximos duces interfecisset; [y] denique in quo uno esset tantùm, ut quoad ille viveret, ipsi securi esse non possent: interfecto, nihil habituri negotii essent: postremò, si illi redderet salutem, quærebant quibus amicis esset usurus; sese enim cum Eumene apud eum non futuros: hîc cognita consilii voluntate, tamen usque ad septimum diem deliberandi sibi spatium reliquit. Tum autem quum vereretur, ne qua seditio exercitus oriretur, vetuit ad eum quenquam admitti, & quotidianum victum amoveri jussit. [63] Nam negabat se ei vim allaturum, qui aliquando fuisset amicus. Hic tamen non ampliùs quàm triduum fame fatigatus, cum castra moverentur, insciente Antigono jugulatus est à custodibus. Sic Eumenes annorum quinque & quadraginta, quum ab anno vigesimo (ut supra ostendimus) [z] septem annos Philippo apparuisset, & tredecim apud Alexandrum eundem locum obtinuisset; in his uni equitum alæ præfuisset; post autem Alexandri Magni mortem impe-

INTERPRETATIO.

u *Ut si abuteretur.*
x *Nam & decoram speciem habuit.*
y *Qui tandem unus tantùm valeret.*
z *Septem annos cum Philippo fuisset.*

NOTÆ.

61 *Sed amicorum perfidiâ decidi.*] Id est, de mea fortuna dejectus sum.

62 *Plerique omnes.* Hellenissimus est.


63 *Nam negabat se ei vim allaturum.*] Quasi vim inferre non fuisset inediâ & fame hominem necare; immò sanè illud inter crudelitatis exempla referri debet,

rator exercitus duxiſſet, ſummóſque duces partim repuliſſet, partim interfeciſſet; captus non Antigoni virtute, ſed Macedonum perjurio, talem habuit exitum vitæ. De quo quanta fuerit omnium opinio eorum, qui poſt Alexandrum Magnum reges ſunt appellati, ex hoc facilè poteſt judicari, [64] quòd nemo Eumene vivo rex appellatus eſt, ſed præfectus. Iidem poſt hujus occaſum ſtatim regium ornatum noménque ſumpſerunt: neque quod initio prædicarunt, ſe Alexandri liberis regnum ſervare, id præſtare voluerunt: & uno propugnatore ſublato, quid ſentirent aperuerunt. Hujus ſceleris principes fuerunt Antigonus, Ptolemæus, Seleucus, Lyſimachus, Caſſander. Antigonus autem Eumenem mortuum propinquis ejus ſepeliendum tradidit. Hi militari honeſtóque funere, comitante toto exercitu, humaverunt, oſſáque ejus in Cappadociam [65] ad matrem atque uxorem liberóſque ejus deportanda curarunt.

NOTÆ.

64 *Quod nemo Eumene vivo Rex appellatus eſt.*] Hoc non Eumenis, ſed verecundiæ cauſa feciſſe ſcribit Juſt. lib. 15.

65 *Ad matrem atque uxorem.*] Uxor ejus Barſine natione Perſica, filia Artabazi, ex qua filium nomine Herculem ſuſceperat Alexander, ut refert. Q. Curtius, lib. 10.



XIX.

PHOCION ATHENIENSIS.



ETSI [2] sæpè exercitibus præfuit, summósque Magistratus cepit; tamen multò ejus notior integritas est vitæ, [3] quàm rei militaris labor. [4] Itaque hujus memoria est nulla, illius autem magna fama: [5] ex quo cognomine BONUS est appellatus. [6] Fuit enim perpetuò pauper, quum ditissimus esse posset, propter frequentes delatos honores, potestatésque summas, quæ ei à populo dabantur. Hic quum [7] à rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, legatíque hortarentur accipere; simúlque admonerent, [a] *si ipse his facilè careret, liberis tamen suis prospiceret,*

INTERPRETATIO.

a *Si eorum egestatem non agrè pateretur.*

NOTÆ.

1 PHOCION.] Hujus patrem, quem Suidas Phocum vocat, Fabrum Cochlearium fuisse scribit Ælianus Var. Hist. lib. 12. c. 43.

2 *Sæpè exercitibus præfuit.*] Id præsertim ex Plutarcho patet, quòd quinquies & quadragies exercitibus præfuit, cùm ne semel quidem Comitiis interfuisset.

3 *Quam rei militaris labor.*] Summam ac ferè incredibilem ejus integritatem fuisse necesse est, quum etiam notior dicatur ejus belli laboribus; siquidem, ut mox dictum est ex Plutarcho, quinquies & quadragies exercitibus præfuit, & octogesimum etiam agens annum à populo præesse jussus est, ex eodem Plutarcho.

4 *Itaque hujus memoria est nulla.*] Id sanè respectivè dicitur, & habita ratione ejus eximiæ integritatis; alioqin falsum esset, quum toties bellis præponi non potuerit quin res præclarè gesserit, & quin earum memoria fuerit. At verò non rarò evenit, ut in viro bono si una virtus prælucens cæteras non obruat, saltem palmam, & gloriæ locum præripiat.

5 *Ex quo cognomine bonus est appellatus.*] Sic Aristides dictus fuit justus propter morum æquitatem, ut suprà in Aristide. Cæterùm olim gloriæ ducebatur à virtutibus moralibus nomen imponi; quòd postea vitio temporum obsolevit. Phocion verò multis præclaris virtutibus id sibi cognomen comparaverat, quod ex his Valer. Max. verbis lib. 3. c. 8. evidenter patet. *Placidi & misericordes & liberales, omnique suavitate temperati mores Phocionis quos optimè profectò consensus omnium bonitatis cognomine decorandos censuit:* Unde Χρηστὸς à Suida dictus est, quia aliis omnibus magis quàm sibi utilis erat.

6 *Fuit enim perpetuò pauper.*] Vide Athenæum lib. 10. cap. 3. Et Plutarchum, περὶ φιλοπλουτίας.

7 *A Rege Philippo munera magna pecuniæ.*] Ælianus lib. 1. Var. hist. non à

quibus difficilè esset in summa paupertate tantam paternam tueri gloriam: His ille. *Si mei similes erunt, idem hic*, inquit, *agellus illos alet qui me ad hanc dignitatem perduxit: sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam.* Eidem quum propè ad annum octogesimum prospera pervenisset fortuna, extremis temporibus magnum in odium pervenit suorum civium. [8] Primò cum Demade de urbe tradenda [9] Antipatro consenserat, ejusque consilio Demosthenes cum cæteris, qui bene de republicâ mereri existimabantur, plebiscito in exilium erant expulsi. Neque in eo solùm offenderat, quòd patriæ malè consuluerat, sed etiam quòd amicitiæ fidem non præstiterat. Namque auctus adjutúsque à Demosthene, eum, quem tenebat, ascenderat gradum, [10] quum adversus Charetem eum subornaret, ab eodem in judiciis, quum capitis causam diceret, defensus aliquotiens, liberatus discesserat. Hunc non solùm in periculis non defendit, sed etiam prodiit. Concidit autem maximè uno crimine; quia [11] quum apud eum summum esset imperium populi, [12] & Nicanorem Cassandri præfectum insidiari Piræeo Atheniensium [13] à Dercyllo moneretur; idémque postularet, ut provideret, ne commeatibus civitas privaretur: hîc audiente populo, *Phocion negavit esse periculum seque ejus rei obsidem fore pollicitus est.* Neque ita multò post Nicanor Piræeo est potitus. Ad quem recuperandum, sine quo Athenæ omnino esse non possunt, quum populus armatus concurrisset, ille non modò neminem ad arma vocavit, sed ne armatis quidem præesse voluit. Erant eo tempore Athenis duæ factiones; quarum una

NOTÆ.

Philippo, sed ab Alexandro centum argenti talenta Phocioni missa fuisse scribit, & quatuor Civitates quarum quamcumque ad libitum deligere jussit, oblatas: Quæ omnia Phocion repudiavit. Sic etiam Plutarchus in Apophtheg. & vitâ Phocionis.

8 *Primò cum Demade.*] Demades Atheniensis Orator fuit æmulus Demosthenis, qui ex Macedonum gratia potestatem sibi & opes quærebat, contra verò Demosthenes ad solam Patriæ libertatem spectabat.

9 *Antipatro.*] Qui ab Alexandro Magno ad expeditionem Persicam discedente, Macedoniæ præpositus est, & in quà ipso mortuo, regnavit.

10 *Quem adversus Charetem.*] Atheniensium Ducem, in promittendo facilem & promptum: Unde Proverb. *Charetis pollicitationes.* Suidas.

11 *Quum apud eum summum esset imperium populi.*] Archontem tunc fuisse scribit Plutarchus in ejus vita; idque est summum imperium populi tenere; nam Archontes exordium habuerunt Athenis ab excessu Codri ultimi Regis, quorum primus fuit Medon Codri filius; Vell. Paterc. initio hist. Rom. Et penes eos totius reip. regimen, summaque rerum erat.

12 *Et Nicanorem Cassandri præfectum.*] Cassander Antipatri filius, unus fuit ex Alex. Ducibus & mortis ejus authoribus, qui ipso mortuo regium nomen accepit, & Macedoniam invadens Olympiadem Alex. Mag. Matrem occidi jussit, & immani sævitia omnem familiam regiam abolevit. Justinus lib. 14. c. 6.

13 *A Dercyllo moneretur.*] Atticæ præfecto; illum enim ei regioni Antipater præposuerat, ut refert Plutarchus.

14 Populi

[14] populi causam agebat, altera optimatum. In hâc erant Phocion & [15] Demetrius Phalereus. Harum utraque Macedonum patrociniis nitebatur. [16] Nam populares Polyperchonti favebant, optimates cum Cassandro sentiebant. Interim à Polyperchonte Cassander Macedoniâ pulsus est. Quo facto populus superior factus, statim duces adversariæ factionis, capitis damnatos, patriâ propulit: In his Phocionem & Demetrium Phalereum: déque eâ re legatos ad Polyperchontem misit, qui ab eo peterent, ut sua decreta confirmaret. Hic eodem profectus est Phocion, quò ut venit, causam [17] apud Philippum regem verbo, re ipsâ quidem apud Polyperchontem jussus est dicere. Namque is tum regis rebus præerat. [18] Hic quum ab Agnonide accusatus esset, quòd Piræeum Nicanori prodidisset, [19] ex consimili sententiâ in custodiam conjectus, Athenas deductus est, ut ibi de eo legibus fieret judicium. Huc ubi perventum est, quum propter ætatem [b] pedibus jam non valeret, [20] vehiculóque portaretur, magni concursus sunt facti, quum alii reminiscentes veteris famæ, ætatis misererentur; plurimi verò ita exacuerentur propter proditionis suspicionem Piræei: maximéque quòd adversus populi commoda in senectute steterat. Quâ de re ne perorandi quidem ei data est facultas,

INTERPRETATIO.

b *Pedes* incedere *tunc non posset.*

NOTÆ.

14 *Populi causam agebat.*] Cui parum studebat tunc temporis Phocion cum Demade Demosthenis æmulo; Callimedonte,& Pericle, ut refert Plutarchus in Phocione.

15 *Demetrius Phalereus.*] Hic Theophrasti discipulus fuit,cui propter eximias ejus virtutes trecentas sexaginta statuas æreas Athenienses erexerunt. Vide Polyænum, lib. 4.

16 *Nam populares Polyperchonti favebant.*] Ille præpositus fuerat ab Antipatro Græciæ & Macedoniæ, tandémque occisus est cum Neoptolemo in prælio quod adversus Eumenem commiserant. Just. lib. 13. c. 8. Populares autem seu Democratiæ studiosi hujus partes sustinebant.

17 *Apud Philippum Regem.*] Non Philippum Alex. magni patrem, sed Philippum Aridæum, quem penes tantum Regis nomen, potestas verò & Imperium penes Eurydicen uxorem ejus, aliosque adulatores. Quâ de re vide Just. lib. 14. c. 5.

18 *Hic quum ab Agnonide.*] In quibusdam exemplaribus legitur, *Agnone*: & reipsâ Athenæus lib. 12. c. 18. meminit Agnonis hominis deliciis affluentis. Verùm legendum esse *Agnonide*, patet ex Plutarcho, qui eum Agnonidem sycophantam fuisse ait in Phocione.

19 *Ex consimili sententiâ.*] Quidam legunt, *ex consilii sententiâ*, hancque lectionem interpretatione tuetur Savaro, quam sanè non improbandam censerem, nisi jam priùs lata fuisset sententia Athenis, cui relativum est verbum *consimili.*

20 *Vehiculoque portaretur.*] Sic solebant deferri antiquitus, quemadmodum & hodie, omnes capite damnati, non quidem propter rationem à Nepote allatam; sed potius ignominiæ causa, & ut omnium aspectui facilius paterent; Unde Ammianus Marcellinus lib. 29. c. 11. ait, *Promiscuè juvenes aliique membris omnibus capti ad supplicia sellis gestatoriis ducebantur.*

& dicendi causam. Inde judicio, [21] legitimis quibusdam confectis, damnatus, [22] traditus est undecimviris, quibus ad supplicium, more Atheniensium, publicè damnati tradi solent. Hic quum ad mortem duceretur [23] obvius ei fuit Emphyletus, quo familiariter fuerat usus. Is quum lachrymans dixisset, *O quàm indigna perpeteris Phocion!* huic ille, *At non inopinata*, inquit, [24] *hunc enim exitum plerique clari viri habuerunt Athenienses.* In hoc tantum fuit odium multitudinis, [25] ut nemo ausus sit eum liber sepelire. Itaque à servis sepultus est.

NOTÆ,


21 *Legitimis quibusdam confectis.*] Quæ legitima confecta fuerint parum liquet, illa enim lege constituta erant ad accusandum & audiendum reum; At verò ne ipsi quidem causam dicendi data est facultas; unde factum est ut plerique, præsertim boni cives judicium illud adversati sint. Vide Valer. Max. de fato Phocionis loquentem lib. 5. c. 3. extern. 3.

22 *Traditus est undecim viris.*] Hos νομοφύλακας, & [illegible] Græci vocabant, nec Roman. triumviris capitalibus multum absimiles fuisse scribit Budæus. Ad id autem præsertim instituti fuerant, ut facinorosos homines comprehensos in carcerem conjicerent, & capitis damnatos ad supplicium ducerent; quod ex Platone in Phœdone, Aristot. lib. 6. c. ultimo, de optima administrandæ reip. forma, & aliis manifestum est.

23 *Obvius ei fuit Emphyletus.*] De hujus viri nomine dubium est; quidam enim Evippum vocant, nituntur que Plutarchi authoritate qui viri hujus nominis meminit in Phocione. Ælianus verò lib. 13. c. 41. hunc Thudippum vocat; Aristidem, Seneca in consolat. ad Helviam c. 13. Ego tamen nihil mutandum arbitror.

24 *Hunc enim exitum plerique clari viri Athenienses habuerunt.*] Vide eorum Catalogum apud Lucianum in Dialogo, *de non temerè credendo calumniæ.*

25 *Ut nemo ausus sit eum liber sepelire.*] Propter legem Atticam quâ non licebat proditionis damnatos sepelire, ut jam dictum in Themistocle; & ut patet ex ipsis Valer. Max. verbis lib. 5. c. 3. Phocion non tantum equuleo ab Atheniensibus impositus est; sed certè post obitum nullam, Atticæ regionis, quæ ossibus ejus injiceretur glebulam invenit; jussus extra fines projici intra quos optimus civis vixerat.



XX.

[1]TIMOLEON

CORINTHIUS.

SINE dubio magnus omnium judicio hic vir extitit. Namque huic uni contigit, quod nescio an ulli, ut patriam, in quâ erat natus, [2] oppressam à tyranno liberaret; & à Syracusis, quibus auxilio erat missus, inveteratam servitutem depelleret, totámque [3] Siciliam multos annos bello vexatam, [4] à barbaríſque oppressam, suo adventu in pristinum statum restitueret. Sed in his rebus non simplici fortunâ conflictatus est: &, id quòd difficilius putatur, multò sapientiùs tulit secundam quàm adversam fortunam. Nam quum frater ejus Timophanes dux à Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupasset, particépsque regni posset esse: tantùm afuit à societate sceleris, ut antetulerit suorum civium libertatem fratris saluti, & patriæ legibus obtemperare sanctius duxerit quàm imperare patriæ. Hac mente per aruspicem communémque affinem, cui soror ex iisdem parentibus nata, nupta erat: fratrem tyrannum interficiendum curavit. Ipse non modò manus non attulit, [5] sed ne aspicere quidem fraternum sanguinem voluit. Nam dum res conficeretur, procul in præsidio fuit, ne quis satelles posset succurrere. Hoc præclarissimum ejus facinus non pari modo probatum est ab omnibus. Nonnulli enim læsam ab eo pietatem putabant, & invidiâ laudem virtutis obterebant. Mater verò

NOTÆ.

1 TIMOLEON CORINTHIUS.] Cujus Pater fuit *Timanetus*, ex Diodoro, lib. 16. Ex Plutarcho verò in Timoleonte, *Timodemus*. Quoad etymologiam nominis nihil moror; alii enim scribunt Timoleon; ἀπὸ τῆς Τιμῆς ; alii Tymoleon ἀπὸ τοῦ Θυμοῦ.

2 *Oppressam à tyranno.*] Nimirum à fratre suo Timophane, ut infrà videbitur.

3 *Siciliam multos annos bello vexatam.*] Partim regnante Dionysio majore, ut postea in Dione; partim Dione interfecto per tyrannidem Callipi, Hipparini, & Dionysii Junioris, postquàm amissum Imperium recuperavit. Ex Diodoro loco mox citato.

4 *A Barbarisque oppressam.*] Nimirum à Carthaginensibus.

5 *Sed ne aspicere fraternum sanguinem voluit.*] Quod moderatioris animi indicium est suam patriam vindicantis, quia qui vultum sanguine imbuit, oculósque supplicio pascit, hic certè plus se, quam Patriam vindicat.

post id factum neque domum ad se filium admisit; neque aspexit, quin eum fratricidam impiúmque detestans compellaret. Quibus verbis adeò est commotus, [6] ut nonnunquam vitæ finem facere voluerit, atque ex ingratorum hominum conspectu morte decedere. Interim Dione Syracusis interfecto, Dionysius rursus Syracusarum potitus est. Cujus adversarii opem à Corinthiis petiverunt, ducémque, quo in bello uterentur, postularunt. Huc Timoleon missus, incredibili felicitate Dionysium totâ Siciliâ depulit. Quum interficere posset, noluit, [7] tutóque, ut Corinthum perveniret, effecit, quòd utrorúmque Dionysiorum opibus Corinthii sæpè adjuti fuerant. Cujus benignitatis memoriam volebat exstare, eámque præclaram victoriam ducebat, [8] in quâ plus esset clementiæ quàm crudelitatis. Postremò, ut non solùm auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur, quem, & ex quanto regno ad quam fortunam detrusisset. Pòst Dionysii decessum, [9] cum Iceta bellavit, qui adversatus fuerat Dionysio, [a] quem non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit, quòd ipse, expulso Dionysio, imperium dimittere noluit. Hoc superato Timoleon maximas copias Carthaginensium [10] apud Crimessum flumen fu-

INTERPRETATIO.

a *Qui non tanquam tyrannidis osor, sed ambitiosus rebellasse visus est, quoniam post ejectum Dionysium, à dominatione discedere recusavit.*

NOTÆ.

6 *Ut nonnunquam vitæ finem facere voluerit.*] Id magnanimitati ejus parum respondere videtur, quòd propter clamores & mulieris querelas tantopere commoveretur. Illud tamen ex Plutarcho liquet, qui eum inediâ se extinguere voluisse ait.

7 *Tutóque ut Corinthum perveniret, effecit.*] Ubi, scilicet, propter inopiam literas puerulos docuit; unde proverb. Dionysius Corinthi. Quâ de re vide Plutarchum in Timoleonte. Cic. ad Atticum 9. Valer. Max. lib. 6. c. 9.

8 *In quâ plus esset clementiæ, quàm crudelitatis.*] Dubitari, nec abs re, potest utrum Timoleon magis ad clementiam, quàm ad acerbiorem vindictam spectaverit, quum ad tantos calamitatis sensus Dionysium reservavit. Nam ipsi vitam servando eo miseriorem efficiebat, & supplicium ejus magis protrahebat: omni quippe morte acerbius est totâ vitâ supplicium pati, & quotidiè magis ac magis sentire se perire. Attamen quum vita omnium rerum sit pretiosissima, hacque concessâ recuperandæ alius fortunæ spes adempta non videatur; ideò qui servavit incolumem satis sibi temperasse putandus est: unde Tacitus lib. 12. c. 9. ait, *Bellorum egregios fines esse, quoties ignoscendo transigatur.* Et cap. 37. ibidem. *Etsi incolumem servaveris, æternum clementiæ exemplar ero.* Quam sententiam verba Senecæ egregiè illustrant lib. 1. de Clementia c. 21. *Et quisquis ex alto ad inimici pedes abjectus alienam de capite suo sententiam expectavit, in servatoris sui gloriam vivet, plusque nomini ejus conferet incolumis, quàm si ex oculis ablatus esset: assiduum enim spectaculum alienæ virtutis est; in triumpho citò transisset.*

9 *Cum Iceta bellavit.*] Hic unus ex amicis Dionis fuit.

10 *Apud Crimessum.*] Plutarcho, Κειμίσσοι, fluvius est Siciliæ. Dionysio Halicarnass. lib. 1. Straboni 6. & Suidæ *Crimisum*; Lycophtoni verò *Crimissum*.

gavit, [b] ac satis habere coëgit, si liceret Africam obtinere, qui jam complures annos possessionem Siciliæ tenebant. [11] Cepit etiam Mamercum Italicum ducem, hominem bellicosum & potentem, qui tyrannos adjutum in Siciliam venerat. Quibus rebus confectis, quum propter diuturnitatem belli non solùm regiones, sed etiam urbes desertas videret; conquisivit quos potuit, primum Siculos, deinde Corintho arcessivit colonos, quòd ab his initio Syracusæ erant conditæ. Civibus veteribus sua restituit, novis bello vacuefactas possessiones divisit; urbium mœnia disjecta, fanáque deleta refecit; civitatibus leges libertatémque reddidit; ex maximo bello tantum otium toti insulæ conciliavit, ut hic conditor urbium earum, non illi, qui initio deduxerant, videretur. [12] Arcem Syracusis, quam munierat Dionysius ad urbem obsidendam, à fundamentis disjecit; cætera tyrannidis propugnacula demolitus est, [c] deditque operam, ut quam minimè multa vestigia servitutis manerent. Quum tantis esset opibus, ut etiam invitis imperare posset, tantùm autem haberet amorem omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum obtineret: [13] maluit se diligi quàm metui. Itaque, quum primùm potuit, imperium deposuit, & privatus Syracusis, quod reliquum vitæ fuit, vixit. Neque verò id imperitè fecit. Nam quòd cæteri reges imperio vix potuerunt, hic benevolentiâ tenuit. Nullus honos huic defuit, neque postea Syracusis res ulla gesta est publica, de quâ priùs sit decretum, quàm Timoleontis sententiâ cognitâ. Nullius unquam consilium non modò antelatum, sed ne comparatum quidem est: neque id magis benevolentia factum est, quàm prudentiâ. Hic quum ætate jam provectus esset, sine ullo morbo [14] lumina oculorum amisit, quam calamitatem ita moderatè tulit, ut neque eum querentem quisquam au-

INTERPRETATIO.

b *Eòque ipsos adegit, ut satis sibi esse crederent, si Africâ potiri fas esset.*

c *Curavitque ut quàm paucissima servitii reliquia superessent.*

NOTÆ.

11 *Cepit etiam Mamercum.*] De quo lege Polyæn. lib. Stratag. & Plutarchum qui hunc Cataniæ tyrannum fuisse ait.

12 *Arcem Syracusis.*] Arces enim obsidione perpetuâ, & quasi compedibus cives premunt, & Tyrannis æternam securitatem pollicentur. Unde Senecâ in Thyeste:

In Arce summa Pelopis una est pars do-(mus
Conversa in austros, cujus extremum latus
Æquale monti crescit, atque urbem premit,
Et contumacem Regibus populum suis,
Habet sub ictu.

13 *Maluit se diligi, quàm metui.*] Simile quidpiam refert Aurelius victor c.15. de Antonio Pio, his verbis: *Adeò trementibus eum, atque amantibus cunctis Regibus, Nationibusque, & populis, ut parentem suum, patronum magis quàm Dominum imperatorem verè putarent.*

14 *Lumina oculorum amisit.*] Diastole. Sic etiam de eo Plutarchus; & Cic. Tusc. 5. multos qui & oculis capti fuerint, moderatéque eum casum tulerint, enumerat.

dierit, neque eò minùs privatis publicisque rebus interfuerit. Veniebat autem in theatrum, quum ibi concilium populi haberetur, [d] [15] propter valetudinem vectus jumentis junctis, atque ita de vehiculo, quæ videbantur, dicebat; neque hoc illi quisquam tribuebat superbiæ. Nihil enim unquam neque insolens, neque gloriosum ex ore ejus exiit. Qui quidem quum suas laudes audiret prædicari, nunquam aliud dixit, quàm *se in eâ re maximas diis gratias agere, atque habere, quòd quum Siciliam recreare constituissent, tum se potissimum ducem esse voluissent.* Nihil enim rerum humanarum sine deorum numine agi putabat. [16] Itaque suæ domi sacellum Αὐτοματίας constituerat idque sanctissimè colebat. Ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles accesserunt casus. Nam prælia maxima [17] natali die suo fecit omnia: quo factum est, ut ejusdem natalem festum haberet universa Sicilia. Huic quidam [18] Laphystius, homo petulans & ingratus, [e] vadimonium quum vellet imponere, quod cum illo se lege agere diceret, & complures concurrissent, qui procacitatem hominis manibus coërcere conarentur: Timoleon oravit omnes, ne id facerent. *Namque id ut Laphystio, cæterisque liceret, se maximos labores summáque adiisse pericula. Hanc enim speciem libertatis esse, si omnibus, quod quisque vellet, legibus experiri liceret.* Idem, quum quidam Laphystii similis nomine Demænetus, in concione populi rebus gestis ejus detrahere cœpisset, ac nonnulla inveheretur in Timoleonta, dixit, [f] *nunc demum se voti esse damnatum, namque hoc à diis immortalibus semper precatum, ut talem libertatem restituerent Syracusanis, in quâ cuivis liceret, de quo vellet, impune dicere.* Hic quum diem supre-

INTERPRETATIO.

d *Infirmitatis causâ bigis deductus.*
e *In judicium conaretur traducere.*
f *Nunc denique finem optatum obtinuisse.*

NOTÆ.

15 *Propter valetudinem vectus jumentis junctis.*]Sic apud Romanos Appius Claudius Cœcus lecticâ in Senatum ferebatur.

16 *Itaque sua domi sacellum Αὐτοματίας constituerat.*] Αὐτοματία Deæ alicujus nomen fuisse certum est; sed dubitatur cujusnam Deæ. Quidam per id casum fortuitum; quidam fortem fortunam intelligi volunt. Quo posteriori sensu accipiendum esse puto: quia Siculi fortunam tanquam omnium actionum, laborúmque humanorum Dominam venerabantur; cui & Græci, Romanique multa monumenta consecrarunt, & ad hujus Deæ auspicia ac Numen Timoleon retulit quidquid sibi unquam prosperè evenit.

17 *Natali die suo fecit omnia.*]Sic præterito sæculo Carolus V. Imperator die Divo Mathiæ sacro quo natus erat, Regnum Hispaniæ obtinuerat, Imperator proclamatus fuerat, & memorabilem Ticini victoriam in Francos retulerat.

18 *Laphystius.*] Sic legendum ex Plutarcho, non Lamestius, ut quidam habent codices.

mum obiisset, publicè à Syracusanis [19] in gymnasio, quòd Timoleonteum appellatur, totâ celebrante Siciliâ, sepultus est.

NOTÆ.

19 *In Gymnasio, quod Timoleonteum appellatur.*] Vide Polyænum in Agathoclem lib. 5. Plutarchus tamen in foro, non in Gymnasio sepultum scribit; at verò Gymnasium illud in hujus gratiam fuisse constitutum.

REGES.

HI ferè fuerunt Græciæ [1] gentis duces, qui memoriâ digni videantur, [2] præter reges. [3] Namque eos attingere noluimus, quòd omnium res gestæ [4] separatim sunt relatæ: neque tamen hi admodum sunt multi. Lacedæmonius autem Agesilaus, [5] nomine, non potestate, fuit rex, sicut cæteri Spartani. Ex his verò, qui dominatum imperio tenuerunt, excellentissimi fuerunt, ut nos judicamus, Persarum, [6] Cyrus, & [7] Darius Hystaspis filius; [8] quorum uterque privatus, virtute regnum est adeptus. [9] Prior horum, apud Massagetas in prælio cecidit: [10] Darius, senectute diem obiit supremum. Tres sunt præterea ejusdem generis, [11] Xerxes, & duo Artaxerxes, Macrochir &

NOTÆ.

1 *Græciæ Gentis.*] In quibusdam legitur, *Græcæ Gentis.* Sed nihil muto, quia Græcia gens dicitur, quemadmodum *Italia terra*, *Hispania regio*, *&c.*

2 *Præter Reges.*] Nimirum earum Gentium, quæ aliis præluxerant.

3 *Namque eos attingere.*] Legitur & *adjungere*, id est, vitis excellentium Græciæ Imperatorum.

4 *Separatim.*] Id est, alio in libro qui Regum vitas complectebatur, qui quidem liber injuriâ temporum periisse creditur.

5 *Nomine, non potestate fuit Rex.*] Vide quæ jam dicta sunt à Nepote in Agesilao ubi dictum est morem esse Lacedæmoniorum, ut duos Reges semper haberent nomine magis quam Imperio. Unde Dionysius Halicarnassensis Reges impropriè dictos fuisse scribit.

6 *Cyrus.*] Ex Mandane Astyagis filia, & Cambyse Persâ natus, qui sua virtute Medorum Regnum adeptus est, ac Imperium à Medis ad Persas transtulit.

7 *Et Darius Hystaspis filius.*] De hoc jam supra.

8 *Quorum uterque privatus.*] Cyrus enim Persarum armis adjutus Astyagem Regno expulit. Darius verò, Magis occisis, qui Persarum Regnum fraude usurpaverant, ex privato Rex per equi sui hinnitum salutatus est. Vide Just. lib. 1. c. 10.

9 *Prior horum apud Massagetas.*] Quum Cyrus adversus Thomirim Reginam Scytharum, vel Massagetarum, bellum movisset, secundo prælio victus inter mortuos inventus est. Porrò Massagetæ Gentes erant supra mare Caspium sitæ; unde Getæ & Scythæ eas circiter regiones incolebant, quæ hodie *Catai* nominantur. Vide Ptolemæum.

10 *Darius senectute diem obiit supremum.*] Eum regnasse 36. annos Herodotus ait lib. 4. Quamquam nonnulli 31. tantùm & dies 30. asserunt.

11 *Xerxes, & duo Artaxerxes.*] Jam de Xerxe suprà. Notandum tamen est Xerxis nomen commune fuisse Persarum Regibus, quemadmodum & Cyri. Quantum verò ad duo Artaxerxes; alter Xerxis filius fuit, & dictus est Macrochir, seu Longimanus: alter Cyri junioris frater, cognomento Mnemon, seu Memor.

Mnemon. Xerxi maximè est illustre, quòd maximis post hominum memoriam exercitibus terrâ marique bellum intulit Græciæ. At Macrochir præcipuam habet laudem amplissimæ pulcherrimæque corporis formæ, quam incredibili ornavit virtute belli. Namque illo Persarum nemo fuit manu fortior. Mnemon autem justitiæ famâ floruit. [12] Nam quum matris suæ scelere amisisset uxorem, [13] tantùm indulsit dolori, ut eum pietas vinceret. [14] Ex his duo eodem nomine, morbo naturæ debitum reddiderunt. [15] Tertius ab Artabano præfecto ferro interfectus est. Ex Macedonum autem genere, duo multò cæteros antecesserunt rerum gestarum gloriâ, Philippus Amyntæ filius & Alexander Magnus. Horum alter Babylone [16] morbo consumptus est: [17] Philippus Ægis à Pausania, quum spectatum ludos iret, juxta theatrum occisus est. [18] Unus Epirotes, Pyrrhus; qui cum populo Romano bellavit. Is quum [19] Argos oppidum oppugnaret in Peloponneso, [20] lapide ictus interiit. [21] Unus idem Siculus, Dionysius prior, nam & manu fortis & belli peritus fuit, &, id quod in tyranno non facilè reperitur, minimè libidinosus, non luxuriosus, non avarus, nullius rei denique cupidus, nisi singularis perpetuique imperii, ob eámque

NOTÆ.

12 *Nam quum matris suæ scelere amisisset uxorem.*] Scilicet, Statiram, quam ejus mater veneno peremerat. Ctesias lib. 16.

13 *Tantum indulsit dolori, ut eum pietas vinceret.*] Pietas, scilicet, erga matrem, non erga uxorem occisam, quia solam matris ancillam sceleris ministram supplicio affecit. Idem Ctesias ibidem.

14 *Ex his duo eodem nomine.*] Scilicet, duo Artaxerxes, quorum prior regnavit 41. annos sine consorte, *Sulpic.* Et præterea 16. cum patre Xerxe. Posterior autem regnavit, teste Plutarcho, & Sulpicio 62. annis; licet Euseb. 40. tantum numeret.

15 *Tertius ab Artabano præfecto ferro interfectus est.*] Quâ de re Justinum lege lib. 3. c. 1.

16 *Morbo consumptus est.*] Seu potiùs veneno ætatis anno trigesimo secundo cum tribus mensibus, & regni 12. cum 8. mensibus. Arrianus. Sed tamen de hoc tempore varii Authores, varias opiniones habent. Quapropter vide Cic. Euseb. Just. Strabon. Gellium, & alios.

17 *Philippus Ægis à Pausaniâ.*] Ægis Macedoniæ oppidum, ubi olim Macedonum Regum sepulturæ erant; ut Plinius refert. Pausanias verò juvenis inter Macedones nobilitate clarus, ob neglectam à Philippo vindictam, quam ab ipso petebat de injuriâ sibi turpiter illatâ; quâ de re vide Curtii supplementum, & alios.

18 *Unus Epirotes, Pyrrhus.*] Hic quemadmodum Alexander, paterno genere ab Hercule, materno ab Achille se esse gloriabatur. Just. 17.

19 *Argos oppidum.*] Duo sunt, ut jam dictum est, ejus nominis oppida in hoc tractu, quamobrem vide quæ suprà diximus.

20 *Lapide ictus interiit.*] Just. lib. 25. c. 5. & Paulus Diaconus lib. 2. c. 20. cum Nepote de lapidis ictu consentiunt quo Pyrrhus interiit. At verò Plutarchus, Pausanias, Polyænus, Strabo tegulæ ictu periisse scribunt, quos sequitur Ovid. in Ibin.

Aut ut Achilleidem cognato nomine clarum
Opprimat hostili tegula jacta manu.

21 *Unus item Siculus, Dionysius prior.*] Vide quæ de illo apud Cic. v. Tusc. dicuntur; & apud Just. lib. 20.

rem

rem crudelis. [a] Nam dum id ſtuduit munire, nullius pepercit vitæ, quem ejus inſidiatorem putaret. Hic quum virtute [b] tyrannidem ſibi peperiſſet, magnâ retinuit felicitate, majórque annos ſexaginta natus, [22] deceſſit florente regno. Neque in tam multis annis cujuſquam ex ſua ſtirpe funus vidit, [23] quum ex tribus uxoribus liberos procreaſſet, multique ei nati eſſent Nepotes. Fuerunt præterea multi reges [24] ex amicis Alexandri Magni, qui poſt obitum ejus imperia ceperunt. [25] In his Antigonus, [26] & hujus filius Demetrius: [27] Lyſimachus, Seleucus, Ptolemæus. Ex his Antigonus, quum adverſus Seleucum Lyſimachúmque dimicaret; in prælio occiſus eſt. [28] Pari leto affectus eſt Lyſimachus à Seleuco. Nam ſocietate diſſoluta, bellum inter ſe geſſerunt. At Demetrius, quum filiam ſuam Seleuco in matrimonium dediſſet, neque eò magis fida inter eos amicitia manere potuiſſet, [c] [29] captus bello in cuſtodiâ ſocer generi [30] periit morbo.

INTERPRETATIO.

a *Quamdiu enim illud aſſerere curavit.*
b *Regnum adeptus eſſet.*
c *In generi vinculis prælio victus ſocer morbo extinctus eſt.*

NOTÆ.

22 *Deceſſit florente regno.*) Præ gaudio quod habuit ex nuncio reportatæ victoriæ cum amicis ſuis vino & epulis largiùs uſum in morbum incidiſſe quo mortuus eſt, refert Diodorus. Quantùm verò temporis regnaverit, ex his Ciceronis verbis accipe. *Duo de quadraginta Dionyſius Tyrannus annos fuit opulentiſſimæ & beatiſſimæ civitatis.*

23 *Quum ex tribus uxoribus liberos procreaſſet.*) De his in Dione jam dictum eſt.

24 *Ex amicis Alex. Mag.*) De ejus Ducibus hìc loquitur, qui eo mortuo omnes ſibi diademata impoſuerunt, ut fert Author Machab.

25 *In his Antigonus.*) Aſiæ & Syriæ Satrapes primus, qui tandem à Seleuco & Ptolemæo victus eſt.

26 *Et hujus filius Demetrius.*) Hic Urbium obſeſſor dictus eſt. Plin. lib. 7. cap. 38. Quam nominis arrogantiam arguit Plutarchus in Demetrio, Seleuco Nicanori Syriæ Regi filiam ſuam Stratonicen uxorem dedit, & expulſo Athenis Demetrio Phalereo, priſtinam Reip. ac libertatis formam Athenienſibus reſtituit.

27 *Lyſimachus, Seleucus, Ptolemæus.*) Lyſimachus unus quondam è Cuſtodib. Alex. Mag. illuſtri Macedoniæ loco natus, ſed virtute illuſtrior. Vide Juſt. lib. 15. c. 3. Seleucus qui cognominatus eſt Nicanor Rex Syriæ, de quo jam dictum eſt. Ptolemæus verò omnibus Ægyptiis Regibus nomen ſuum dedit, vir quoque magnus fuit, & prudentiâ inſignis, de quo jam ſupra dictum eſt in *Eumene.*

28 *Pari leto affectus eſt Lyſimachus.*) Demetrio mortuo Lyſimachus cum Seleuco conflixit; & hæc ultima pugna fuit Succeſſorum Alexandri Magni in qua occiſus eſt Lyſimachus, nimirum anno 42. ab Alex. interitu.

29 *Captus bello.*) Nimirum in Idumæa ad urbem Gazam, ut vult Juſt. Plutarchus, Arrianus. Hunc à Macedonibus relictum ſcribit Cic. Offic. 2. At ſi Juſtino credimus, non captus eſt, ſed ſeipſum Seleuci fidei tradidit, ut patet ex his verbis: *Demetrius quoque à tot exercitibus circumventus cùm poſſet honeſtè mori, turpiter ſe dedere Seleuco maluit.*

30 *Periit morbo.*) In quem incidit, ut refert Plutarchus, biennio poſt, cùm à Seleuco perhumaniter exceptus fuiſſet, & regio apparatu; ſed quum inertiæ otioque ſe dediſſet, neque ſolito vivendi more uteretur, ex nimia cruditate in morbum incidit, & ita interiit. Plutarch. in Demet.

P



Neque ita mulò post Seleucus [31] à Ptolemæo Cerauno dolo interfectus est; quem ille à patre expulsum Alexandriâ, alienarum opum indigentem, receperat. Ipse autem Ptolemæus, quum vivus filio regnum tradidisset, [32] ab illo eodem vitâ privatus dicitur. De quibus quoniam satis dictum putamus, non incommodum videtur non præterire Hamilcarem & Hannibalem, quos & animi magnitudine, & calliditate omnes in Africa natos præstitisse constat.

NOTÆ.

31 *A Ptolemæo Cerauno.*) Hic filius fuit Ptolemæi prioris, Ceraunus dictus ab audacia, & ingenii velocitate; κεραυνὸς enim fulmen significat. Cæl. l. 24. c. 6.

32 *Ab illo eodem vita privatus dicitur.*) Huic opinioni adversatur Just. l. 24. qui eum à Gallis, quos spreverat, victum, vitâ & regno spoliatum scribit.



XXI.

[1] HAMILCAR

HANNIBALIS FILIUS

[2] COGNOMINE BARCHAS

CARTHAGINENSIS.

PRIMO Punico bello, [3] sed temporibus extremis, admodum adolescentulus, in Siciliâ præesse cœpit exercitui. Quum antè ejus adventum & mari & terrâ malè res gererentur Carthaginensium; ipse ubi adfuit, nunquam hosti cessit, neque locum nocendi dedit: sæpéque è contrario occasione datâ, lacessivit, semperque superior discessit. Quo facto, quum penè omnia in Siciliâ Pœni amisissent, [4] ille Erycem sic

NOTÆ.

1 HAMILCAR HANNIBALIS FILIUS.) Hamilcar nomen est Punicum, quod Regem significat, hic patrem habuit Hannibalem antiquiorem, & ipse pater fuit magni Hannibalis æterni Romanorum hostis.

2 COGNOMINE BARCHAS.) Hoc gentile nomen fuisse patet ex his Silii Italici verbis, lib. 1. in principio.

——— ortus
Serrana prisci Barca de Gente.

3 *Sed temporibus extremis.*) Id est, sub finem hujus primi belli Punici.

4 *Ille Erycem sic defendit.*) Eryx urbs Siciliæ ad Montem ejusdem nominis Veneri sacrum, supra Drepanum oppidum. De hujus situ accuratissimè inter alios scribit Polybius l. 1. Hodiè, *Monte S. Juliano.*

defendit, ut bellum eo loco gestum non videretur. Interim Carthaginenses classe [5] apud insulas Ægates à C. Luctatio consule Romanorum superati, statuerunt belli finem facere, eámque rem arbitrio permiserunt Hamilcaris. Ille etsi flagrabat belli cupiditate, [6] tamen paci serviendum putavit, quod patriam exhaustam sumptibus, diutiùs calamitatem belli ferre non posse intelligebat: sed ita ut statim mente agitaret, si paululùm modò res essent refectæ, bellum renovare, Romanósque armis persequi: [7] donicum aut vi certè vicissent; aut victi manum dedissent. Hoc consilio pacem conciliavit: [a] in quâ tanta fuit ferocia [8] ut quum Catulus negaret se bellum compositurum, nisi ille cum suis, qui Erycem tenuerant, armis relictis, Siciliâ decederent: succumbente patriâ, *ipse periturum se potiùs dixerit, quàm cum tanto flagitio domum rediret. Non enim sua esse virtutis, arma à patria accepta adversùs hostes, adversariis tradere.* Hujus pertinaciæ cessit Catulus. At ille [9] ut Carthaginem venit, multò aliter, ac sperabat, rempublicam se habentem cognovit. Namque diuturnitate externi mali [10] tantum exarsit intestinum bellum, ut nunquam pari periculo fuerit Carthago, [11] nisi quum deleta est. [12] Primo mercenarii milites, qui adversùs Romanos fuerant, desciverunt, quorum numerus erat viginti millium. [13] Hi totam abalienarunt Africam, ipsam

INTERPRETATIO.

a *In quâ tantam* exhibuit *firmitatem.*

NOTÆ.

5 *Apud insulas Ægates à Caio Luctatio Consule Rom. superati.*) Ægusæ dicuntur illæ insulæ à Polybio, suntque ad Promontorium Lilybæum, juxta quas classis Romanorum, quam trecentarum navium fuisse tradit Plinius de viris illustribus, Classem Carthaginensium, cui Dux Hanno erat, superavit.

6 *Tamen paci serviendum putavit.*) Quibus conditionibus facta fuerit, vide Polybium lib. 3.

7 *Donicum aut vi.*) *Donicum*, pro *donec*, apud veteres.

8 *Ut quum Catulus.*) Scilicet, Q. Lutatius Catulus, Consul Rom.

9 *Ut Carthaginem venit.*) Urbem olim totius Africæ terrâ marique florentissimam, Romæ æmulam, à Phœnicibus in Libyæ littore conditam ad mare internum; quæque tertio Punico bello à Scipione Æmiliano penitus diruta est.

10 *Tantum exarsit intestinum bellum.*) Hujus belli causa narratur à Polybio, qui etiam ejus Autores recenset.

11 *Nisi quum deleta est.*) Deleta autem fuit, ut mox diximus, à Scipione anno 567. postquam condita fuerat, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio Coss. Velleius Paterc. lib. 1. c. 12. Ad quam opinionem quodammodò accedit Cic. 1. de Rep. his verbis; *Nec tantùm Carthago habuisset opum sexcentos ferè annos, sine consiliis & disciplinâ*; cui etiam opinioni Orosius non multùm dissentit lib 4. c. 6. Alii plus, alii minus, adeò ut parum inter se consentiant Autores hac in re. Cæterùm urbs incendio diruta fuit, & per continuos decem & septem dies vix potuit incendium extingui. Flor. lib. 2. cap. 15.

12 *Primò mercenarii milites.*) Quos ex variis gentibus fuisse memorant, nimirum Gallos, Hispanos, Ligures, Nomades, Afros, aliosque.

13 *Hi totam abalienarunt Africam.*] Supple à Carthaginensibus.

Carthaginem oppugnarunt. Quibus malis adeò sunt Pœni perterriti, ut auxilia etiam à Romanis petiverint, eáque impetraverint. Sed extremò, quum prope jam ad desperationem pervenissent, [14] Hamilcarem imperatorem fecerunt. Is non solùm hostes à muris Carthaginis removit; quum ampliùs centum millia facta essent armatorum, sed etiam eò compulit, ut locorum angustiis clausi, plures fame quàm ferro interirent. Omnia oppida abalienata; [15] in his Uticam atque Hipponem, valentissima totius Africæ, restituit patriæ. Neque eo fuit contentus, sed etiam fines imperii propagavit: totâ Africâ tantùm otium reddidit, ut nullum in eâ bellum videretur multis annis fuisse. Rebus his ex sententia peractis, fidenti animo atque infesto Romanis, quò faciliùs causa bellandi reperiretur, effecit, ut imperator cum exercitu in Hispaniam mitteretur, eóque secum duxit filium Hannibalem annorum novem. Erat præterea cum eo adolescens illustris & formosus, Hasdrubal, [16] quem nonnulli diligi turpius, quàm par erat, ab Hamilcare loquebantur. Non enim maledici tanto viro deesse poterant. Quo factum est, [17] ut à præfecto morum Hasdrubal cum eo vetaretur esse. Huic ille filiam suam in matrimonium dedit, [18] quòd moribus eorum b interdici non poterat socero gener. De hoc ideò mentionem fecimus, [19] quòd Hamilcare occiso, ille exercitui præfuit,

INTERPRETATIO.

b *A soceri* contubernio *gener probiberi non poterat.*

NOTÆ.

14 *Hamilcarem imperatorem fecerunt.*] Quum antea Hannonem, & Gisconem Asdrubalis patrem ab initio huic bello præfecissent, eosque tanto malo impares esse cognovissent. *Lamb.*

15 *In his Uticam, atque Hipponem.*] Utica urbs totius Africæ, si Carthaginem excipias, clarissima, quæ sexaginta stadiis ab ipsâ Carthagine distabat occasum versus, inquit Appianus, ad Bagradam amnem; ea quemadmodum & Carthago à Tyriis condita fuit, sed longè ante, quod videtur testari SiliusItalicus l. 3.

Proxima Sidoniis Utica est effusa maniplis,
Prisca situ, veteresque ante Arces condita Byrsa.

Quod ad Hipponem verò, quam & Diodorus lib. 20. vocat Hippuacram, urbs est ad Hippi Promontorium sita, à quo nomen habere videtur, cui stagnum adjacet Hipponense, unde à Græcis Διάῤῥυτος dicta est propter aquarum irrigua, Vide quid Plinius de eâ scribat l. 9. Epist.

16 *Quem nonnulli diligi turpius.*] Vide quid super eá re referat Livius 21. annal.

17 *Ut à Præfecto morum Asdrubal.*] Quales apud Rom. Censores erant, penes quos erat jus animadvertendi in mores Civium; tales ferè erant Præfecti seu Magistri morum apud Carthaginenses, ad quos pariter pertinebat morum censura & animadversio, & præterea facultatum cujusque æstimatio.

18 *Quod moribus eorum interdici non poterat socero gener.*] Apud Rom. tamen summum inter utrumque erat verecundiæ argumentum, quòd, ut ait Cic. l. 1. Offic. *Non lavantur cum soceris generi.*

19 *Quòd Amilcare occiso.*] In prælio, scilicet, contra Vettones citerioris Hispaniæ populos, ut postea dicetur, intra Anam & Tagum fluvios, Plin. l. 4. c. 20. Reliquitque quatuor filios quos se in Romanorum perniciem alere dicebat, veluti quatuor Catulos Leoninos, quorum ta-

[20] resque magnas gessit, [21] & princeps largitione vetustos pervertit mores Carthaginensium: [22] ejusdemque post mortem Hannibal ab exercitu accepit imperium. At Hamilcar, [23] posteaquam mare transiit, in Hispaniamque venit, magnas res secundâ gessit fortunâ, maximas bellicosissimasque gentes subegit: equis, armis, viris, pecuniâ, totam locupletavit Africam. Hic quum in Italiam bellum inferre meditaretur, nono anno postquàm in Hispaniam venerat, in prælio pugnans [24] adversus Vettones occisus est. Hujus perpetuum odium erga Romanos maximè concitasse videtur secundum bellum Punicum. [25] Namque Hannibal, filius ejus, assiduis patris obtestationibus eò est perductus, ut interire, quàm Romanos non experiri mallet.

NOTÆ.

men nullus in locum patris missus est statim ab ejus morte, propter immaturam ætatem. Valer. Max. lib. 9. c. 3.

20 *Resque magnas gessit.*] De quibus Polyb. lib. 11.

21 *Et Princeps largitione vetustos pervertit mores Carthaginensium.*] Is namque ut Barcinæ factioni, cujus fautor erat, faventem populum redderet, immodicis largitionibus utebatur: & ut ait Livius 21. Annal. *Plura consilio quàm vi gerens, auspiciis regulorum magis, conciliandisque per amicitiam principum novis Gentibus, quàm bello aut armis rem, auxit.*

22 *Ejusque post mortem.*] De cujus mortis genere non consentiunt historici. Livius 21. Annal. Et Appianus, ipsum in venatione interfectum scribunt. Justinus & Valer. Max. à Servo sui domini mortis ulciscendæ causâ occisum esse aiunt. Polybius verò de nocte in diversorio suo à quodam Gallo privatarum injuriarum causâ interemptum refert.

23 *Posteaquàm mare transiit.*] Scilicet, fretum Gaditanum, & Herculis columnas.

24 *Adversus Vettones.*] De quibus mox diximus, quorum Metropolim, Emeritam Vettonum dictam, flumen Anas præterfluit. Prudentius Hymno de S. Eulalia.

25 *Namque Hannibal filius ejus assiduis patris obtestationibus.*] Vide Valer. lib. 9. c. 3. ubi ait quòd quum Hamilcar trajecturus esset exercitum in Hispaniam: & ob id sacrificaret, Hannibalem filium ejus 9. annos natum altaria tenentem jurejurando promisisse, se cùm primùm per ætatem posset, acerrimum hostem Pop. Rom. futurum.



XXII.

HANNIBAL
HAMILCARIS FILIUS
CARTHAGINENSIS.


I verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit, non est inficiandum, [1] Hannibalem tanto præstitisse cæteros imperatores prudentiâ; quanto populus Romanus antecedebat fortitudine cunctas nationes. Nam quotiescunque cum eo congressus est in Italiâ, semper discessit superior. Quòd nisi domi [2] civium suorum invidiâ debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. Sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem. Hic autem velut hæreditate relictum odium paternum erga Romanos sic confirmavit, ut priùs animam, quàm id deposuerit. Qui quidem quum patriâ pulsus esset, & alienarum opum indigeret, nunquam destiterit animo bellare cum Romanis. Nam, [3] ut omittam Philippum, quem absens hostem reddidit Romanis; [4] omnium his temporibus potentissimus rex Antiochus fuit. Hunc tantâ cupiditate incendit bellandi, ut usque

NOTÆ.

1 *Hannibalem tanto præstitisse cæteros Imperatores prudentiâ.*] Prudentissimum quidem & sagacissimum fuisse ex ejus bellicis facinoribus nemo non intelligit, quamquam tamen à Scipione in ipsius Carthaginis conspectu superatus est. Vide apud Lucianum in Dialogis mortuorum ludicram illam contentionem de præstantia Scipionis, Hannibalis, & Alexandri Magni.

2 *Civium suorum invidiâ debilitatus esset.*] Hujus in Hannibalem invidiæ causas recenset Livius lib. 30. Quæ quidem nullæ sunt aliæ præter optimam Reip. administrationem, & remotos Magistratuum abusus, quibus emendandis fortiter incumbebat.

3 *Ut omittam Philippum.*) Hic Demetrii filius fuit, & pater Persei Regis Macedonum, quem devictum acie, & captum Paulus Æmilius in triumphum Romam duxit. Velleius Paterc. lib. 1. c. 9. Vide & Just. lib. 29.

4 *Omnium potentissimus Rex Antiochus.*] Ille enim septem& triginta annos Asiam, Syriam, Mediam, & Persiam tenuit; præter Hircaniam, Bactrianam, & omnes, si Parthiam exceperis, Regiones superioris Asiæ. Quod ex Just. lib. 40. & Polybio passim cognoscitur. Porrò Antiochus ille Magni cognomentum accepit propter victoriarum amplitudinem, huncque ad inferendum Rom. bellum impulit Hannibal. Idem Just. lib. 32.

[5] à rubro mari arma conatus sit inferre Italiæ. [6] Ad quem cum legati venissent Romani, qui de ejus voluntate explorarent, darentque operam consiliis clandestinis, [7] ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tanquam ab ipsis corruptum alia atque antea sentire; neque id frustra fecissent; idque Hannibal comperisset, seque ab interioribus consiliis segregari vidisset: tempore dato adiit ad regem, eique cum multa de fide sua, & odio in Romanos commemorasset, hoc adjunxit: *Pater* (inquit) *meus Hamilcar*, [8] *puerulo me, utpote non ampliùs novem annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Carthagine, Jovi Optimo Maximo hostias immolavit. Quæ divina res dum conficiebatur, quæsivit à me, vellemne secum in castra proficisci. Id quum libenter accepissem, atque ab eo petere cœpissem, ne dubitaret ducere*: tum ille, *Faciam* (inquit) *si fidem mihi quam postulo dederis: simulque ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat*, [9] *eamque, cæteris remotis, tenentem, jurare jussit, nunquam me in amicitiâ cum Romanis fore. Id ego jusjurandum patri datum, usque ad hanc diem ita conservavi, ut nemini dubium esse debeat, quin reliquo tempore eâdem mente sim futurus. Quare* [a] *si quid amicè de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris. Quum quidem bellum parabis, teipsum frustraberis, si non me in eo principem posueris.* Hâc igitur ætate cum patre in Hispaniam profectus est. Cujus post obitum [10] Hasdrubale imperatore suffecto, equitatui omni præfuit. Hoc quoque interfecto, exercitus [11] summam imperii ad eum detulit. Id Carthaginem

INTERPRETATIO.

a *Si alicujus amicitia cum Romanis ineundæ consilium tibi erit.*

NOTÆ.

5 *A rubro mari.*] Cujus sinus Arabicus est portio, qui Ægyptum ab Oriente alluit, & ab Arabia disterminat. Pars est Océani sinu Persico terminata, ἐρυθρὰν θάλασσαν Græci vocant, ab Erythra Rege qui ibi regnasse dicitur; cui opinioni subscribit Arrianus lib. 8. Ideò autem à Latinis dictum est mare rubrum, quod quum audirent à Græcis Erythræum vocari, existimaverunt à rubedine aquarum ita dictum.

6 *Ad quem quum legati venissent Romani.*] Justinus pàriter lib. 31. ad Antiochum legatos à Rom. fuisse missos scribit eodem consilio quo Nepos refert, sed eorum nomina non recenset. Quapropter Livium Dec. 4. lib. 5. & Plutarchum in Flaminio consule.

7 *Ut Hannibalem in suspicionem Regi adducerent.*] Quod assecuti sunt teste Livio, lib. 35.

8 *Puerulo me.*] Quia vix tunc ad 9. ætatis annum pervenerat, ut suprà in Hamilcare. Author tamen de Viris illustrib. 11. annos natum testatur.

9 *Eamque cæteris remotis tenentem.*] Vide quæ supra sunt in Hamilcare, quæque Valer. Max. l. 9. c. 3. super eâ re refert. Vide & Livium 35. Mos autem erat antiquitus ut jurantes aram tenerent. Cic. pro Flacco: *Ergo is, qui si aram tenens juraret, crederet nemo, per Epistolam, quod volet, injuratus probabit.*

10 *Hasdrubale Imperatore suffecto*] Is gener erat Hamilcaris, ut suprà.

11. *Summam imperii.*] Huic etiam opinioni suffragatur Polybius lib. 3. qui uno ore, & communi omnium militum consensu electum fuisse Imperatorem Hannibalem scribit.

delatum, publicè comprobatum est. Sic Hannibal minor quinque & viginti annis natus, imperator factus, [12] proximo triennio omnes gentes Hispaniæ bello subegit. [13] Saguntum fœderatam civitatem [14] vi expugnavit: [15] tres exercitus maximos comparavit. Ex his unum in Africam misit, [16] alterum cum Hasdrubale fratre in Hispaniâ reliquit, tertium in Italiam secum duxit: [17] saltum Pyrenæum transiit: quàcunque iter fecit, cum omnibus incolis conflixit: neminem nisi victum dimisit. [18] Ad Alpes posteaquàm venit, quæ Italiam ab Galliâ sejungunt, quas nemo unquam cum exercitu ante eum [19] præter Herculem Graium transierat ([20] quo facto is hodie saltus Graius appellatur) [21] Alpicos conantes prohibere transitum, concîdit: loca patefecit,

Notæ.

12 *Proximo triennio omnes Gentes Hispaniæ bello subegit.*] Id verum est si Gentes ultra Iberum amnem intelligas, & Saguntinos etiam exeipias, quos postea obsessos ad extremas miseriarum angustias redegit, & urbem eorum ferro flammaque diruit. Vide Liv. lib. 21.

13 *Saguntum fœderatam civitatem.*] Quanta fuerit olim hæc civitas intelligi potest ex his Livii verbis: *Civitas ea longè opulentissima ultra Iberum fuit, sita passus mille fermè à mari.* Cui sententiæ subscribit Florus; *Saguntus*, inquit, *vetus Hispaniæ civitas & opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, sed triste monumentum.* Hæc ad flumen Duriam sita erat propè urbem Valentiam, quæ hodie caput est regni hujus nominis in Hispaniâ. Plinius lib. 16. c. 40. refert conditam fuisse ducentis annis ante Trojæ excidium, quod maximæ antiquitatis argumentum est. Hæc hodie vulgò, *Morvedre.*

14 *Vi expugnavit.*] Anno ab urbe cond. 535. bello Punico 2. post octavum obsidionis mensem, ut refert Polybius. Porrò Saguntus partim Hannibalis partim Civium manibus diruta est, qui quum ad extremam rerum omnium inopiam & famem redacti essent, se suaque omnia in pyram conjecerunt, nec victoris arbitrium expectarunt. Livius lib. 21.

15 *Tres exercitus maximos comparavit.*] Vide Polybium, & Livium ibidem.

16 *Alterum cum Hasdrubale.*] Hannibalis fratre, quem ad tuendam Hispaniam cum Afrorum peditum undecim millibus & amplius, præter ingentem aliarum gentium multitudinem, cum Elephantis 14. reliquit. Præterea Classis ipsi data est maxima ad oræ maritimæ tutelam. Idem, ibidem.

17 *Saltum Pirenæum transiit.*] Id est, Montes Pyrenæos, qui saltibus & silvis circumducebantur, postquam Celtiberos aliosque earum regionum accolas dejecit. Vide Appianum, & alios.

18 *Ad Alpes posteaquam venit.*] Quæ, ut refert Plin. lib. 3. hist. natur. c. 17. Pœninæ dictæ sunt ab Hannibale Pœno.

19 *Præter Herculem Graium.*] Unde Silius Italicus.

Primus inexpertas adiit Tirynthius Arces.

Et apud Livium Hannibal se Herculis itinerum æmulum esse gloriatur.

20 *Quo facto is hodie saltus Graius appellatur.*] Multa etiamnum supersunt transitus Herculis per Alpes vestigia, nimirum Herculis Monœci Portus, Alpium Graiæ fauces, quæ indicant hàc ipsum transivisse; & Herculea via apud Aristotelem de admirandis, quæ ducit ex Italiâ per Galliam usque ad Celtiberos.

21 *Alpicos conantes prohibere transitum, concidit.*] Id est, Alpinos, seu Alpium incolas. Viam autem hàc aperuit sibi multo labore, magnâque industriâ; nam, ut Livius refert, magnas strues ex arboribus quas cædebant erectas incendebant, & ardentia saxa superfuso aceto molliebant, & comminuebant. Vide Livium ad Hannibalis transitum in Italiam.

itinera

itinera munit, effecitque ut eâ elephantus ornatus ire posset, quâ antea unus homo inermis vix poterat repere. [22] Hâc copias traduxit, [23] in Italiámque pervenit [24] Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione consule, cúmque pepulerat. [25] Cum hoc eodem de Clastidio apud Padum decernit, [26] saucium inde ac fugatum dimittit. Tertiò idem Scipio [27] cum collega Ti. Longo, [28] apud Trebiam adversùs eum venit. Cum his manum conseruit, [29] utrosque profligavit. [30] Inde per Ligures [31] Appenninum transiit, [32] petens Hetruriam. Hoc

NOTÆ

22 *Hâc copias traduxit.*] Vulgaris opinio est Hannibalem traduxisse suum exercitum per eam Alpium partem, quam vulgò montem Cinisum vocant, perque vallem Segusianam; quod Plutarchus sentire videtur.

23 *In Italiamque pervenit.*] Consumptis in Alpium transitu 15. diebus, teste Polybio, & Livio 21.

24 *Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione.*] Huic opinioni Livius refragatur, asseritque; *P. C. Scipionem triduo ferè postquam Hannibal ab ripâ Rhodani movit, quadrato agmine ad castra hostium venisse, nullam dimicandi moram facturus: cæterùm ubi deserta munimenta videt, ad naves rediisse tutiùs faciliúsque ita descendenti ab Alpibus Hannibali occursurum.* Ita etiam Polybius refert; ita Florus, Eutropius, & alii ferè omnes Romani scriptores.

25 *Cum hoc eodem de Clastidio apud Padum decernit.*] Nihil hìc arbitror deesse, sed sic iste locus mihi videtur explicandus scilicet: iterum Hannibal cum Scipiòne decertat: ut videret utri Clastidium cederet; quia oppidum erat, ut tradit Livius, quò magnam frumenti copiam Romani congesserant, atque adeò cum Scipione Hannibal decernit de Clastidio utri esset, quòd futurum erat alterutrius partibus grave momentum. Nam reverà post illam pugnam ad Padum flumen, ex qua Hannibal victor discessit, misit statim sui exercitus partem ad oppidum illud occupandum, quia frumenti inopiâ laborabat; & hoc primum fuit Scipionis cum Hannibale certamen. Livius ibidem.

26 *Saucium inde ac fugatum dimittit.*] Reverà Scipio in illo certamine ad Padum non ad Trebiam, ut vult Plinius, vulnus accepit, Livio & Floro testibus; & in manus hostium propè erat, ut veniret, *nisi periculum intercursu tum primùm pubescentis filii propulsatum*, Livius; Hinc Florus etiam his verbis: *Tunc Scipione Duce fusus exercitus, Saucius etiam ipse venisset in manus hostium Imperator, nisi protectum patrem prætextatus admodum filius ab ipsâ morte rapuisset.*

27 *Cum collega Tiberio Longo.*] Hic Tiberius Sempronius Longus Consul factus est cum Cornelio Scipione, quumque ad Siciliam tuendam profectus esset, hinc revocatus est ut junctis viribus Hannibali resisterent; hunc tamen Livius non *Tiberium*, sed Titum vocat.

28 *Apud Trebiam.*] Fluvius est propè Placentiam in Gallia Cisalpinâ.

29 *Utrosque profligavit.*] Utrumque Consulem in hoc prælio adfuisse testatur Appianus, quidam negant; Livius tamen Sempronium adfuisse testari videtur, eumque priore prælio superatum, Romam venisse, deinde in castra rediisse, & ad Placentiam cum Hannibale conflixisse.

30 *Inde per Ligures.*] Hæc duo prælia antequam in Liguriam Hannibal perveniret commissa sunt, ut testatur Livius. Porrò Ligures inter Varum & Macram amnes in imis Alpium jugis adhærent, Florus.

31 *Appenninum.*] Montem altissimum, Italiam mediam secundum longitudinem intersecat; in cujus transitu multum quoque laboravit. Vide Livium locis jam citatis.

32 *Petens Hetruriam.*] Italiæ regionem ad primam usque Tiberis ripam protensam, & à Liguribus Macrâ amne discretam, cujus hodie Metropolis Florentia.

itinere adeo [33] gravi morbo afficitur oculorum, b [34] ut postea nunquam dextro æquè bene usus sit. Quâ valetudine quum etiam premeretur, lecticáque ferretur [35] C. Flaminium consulem apud Trasimenum [36] cum exercitu insidiis circumventum occîdit. Neque multò pòst [37] C. Centenium prætorem, [38] cum delecta manu [39] saltus occupantem. [40] Hinc in Apuliam pervenit. Ibi obviàm ei venerunt duo consules, C. Terentius & Lucius Æmilius. [41] Utriusque exercitus uno prælio fugavit, [42] Paulum consulem occîdit, & aliquot præterea consulares. In his Cn. Servilium Geminium, qui anno superiore fuerat consul. Hac pu-

INTERPRETATIO.

b *Ut deinceps dextrum d. biliorem semper senserit.*

NOTÆ.

33 *Gravi morbo afficitur oculorum.* Sic etiam Livius lib. 22.

34 *Ut postea nunquam dextro æquè benè usus sit.*] Factus est enim Luscus, unde Poëta Satyricus 10.

O qualis facies, & quali digna tabella!
Cum Getula Ducem portaret bellua Luscum.

35 *C. Flaminium Consulem apud Trasimenum.*]Qualis fuerit Consul Flaminius videre est ex his Livii verbis: *Consul ferox ab consulatu priore, & non modo legum, aut Patrum majestatis, sed ne Deorum quidem satis metuens erat*: Trasimenus verò lacus est in agro Perusino, nunc vulgò, *Lago di Pergia*: de quo Ovid. lib. 6. Fastorum.

Sunt tibi Flaminius Thrasumenaque littora testes.

36 *Cum exercitu insidiis circumventum, occîdit.*] Flaminium cum Romanis circumclusit lacu & montibus Hannibal, hostemque sic circumclusum militi suo ad satietatem præbuit cædendum. Quanta autem fuerit Rom. clades disce ex Polybio, & Livio. At Polybii verba non testantur Flaminium ab Hannibale, sed à Gallis in eâdem pugnâ interemptum, cui quidem prodigiosa signa imminentem illi cladem prædixerant.

37 *C. Centenium.*] Alii Centronium quem à Senatu contra Hannibalem missum scribit Livius. Polybius verò hunc à Cn. Servilio altero Consule, audito Hannibalis in Etruriam transitu, præmissum, refert.

38 *Cum delecta manu.*] Nimirum cum sex vel octo equitum millibus, si Appiano credimus *in Hannibal.* Quatuor verò, si Polybio, & Livio.

39 *Saltus occupantem.*] Hoc est, juga montium prærupta, & viarum anfractus sylvis obductos, quà transeundum erat Hannibali, ubi à fronte & à tergo circumventus periit.

40 *Hinc in Apuliam pervenit.*] Apulia Italiæ regio mari Adriatico contermina, quæ & Japygia dicta est, in qua Cannæ ignobilis vicus juxta Aufidum amnem, ingenti Romanorum internecione ab Hannibale nobilitatus.

41 *Utriusque exercitus uno prælio fugavit.*] Quanta fuerit Rom. clades ad Cannas, ex hoc intelligi potest, quòd, ut Florus refert, duo illi exercitus cæsi sunt, donec Hannibal diceret militi suo, parce ferro; quòd altero Consule fugiente alter occisus est; quòd cruentus aliquandiu Aufidus amnis; quòd Pons Hannibalis jussu ex cadaveribus factus est; quòd modii duo annulorum Carthaginem missi sunt; quòd 80. Senatores, Consulares atque Prætorii, aut Ædilitii triginta ibi fuerunt trucidati. Quà de re vide ampliùs Polybium, & Livium, lib. 22.

42 *Paulum Consulem occidit, & aliquot præterea Consulares.*] Vide annotationem superiorem. Paulus secundum consulatum agebat quo tempore mortuus est. Vide Livium lib. 22.

gnâ pugnatâ, [43] Romam porfectus est, nullo resistente. [44] In propinquis urbis montibus moratus est. Quum aliquot ibi dies castra habuisset, & reverteretur Capuam, [45] Q. Fabius Maximus, [46] dictator Romanus, [47] in agro Falerno ei se objecit. [48] Hîc clausus locorum angustiis, noctu sine ullo detrimento exercitus se expedivit. [49] Fabio callidissimo imperatori dedit verba. [50] Namque obducta nocte, sarmenta in cornibus jumentorum deligata incendit, ejúsque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. Quo repentino objectu viso, tantum terrorem injecit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus. Hanc post rem gestam, non ita multis diebus, M. Minutium Rufum Magistrum equitum, [51] pari ac dictatorem imperio, dolo perductum in prælium, fugavit. [52] T. Sempronium Gracchum, iterum consulem, [53] in Lucanis absens,

NOTÆ.

43 *Romam profectus.*] Immò relictâ Româ Campaniam Tarentúmque peragrare maluit. Vide Liv. ibidem; & iterum lib. 23. 26. 30. & Florum lib. 2.

44 *In propinquis urbis montibus moratus est.*] Scilicet, ad flumen Anienum, sed longè post Cannensem pugnam, ac dum se Capuam frumentum & subsidium intromittere, obsidionemque solvere posse desperavit: nam ut Florus ibidem ait, ejus amissio tantùm Pœno Duci dolorem dedit, ut inde totis viribus Romam converteretur; sed moventi castra à tertio lapide Hannibali, tanta vis imbrium effusa, tanta ventorum violentia coorta est, ut divinitùs summoveri ab Urbis mœnibus, & Capitolio videretur.

45 *Q. Fabius maximus.*] Qui novam de Hannibale victoriam commentus est, non pugnare. Hinc cognomen illi novum & reip. salutare, Cunctator. Hinc imperii scutum dictus est, isque primus fuit qui ex eâ familiâ Maximus est appellatus.

46 *Dictator.*] Jus Dictatoris supremum fuit, creabaturque Dictator in summo Reip. periculo, summus erat Magistratus, sine provocatione, & tantùm semestris. Porrò Fab. Maximus factus fuerat Dictator statim à pugnâ ad Trasimenum. Vide Polyb. lib. 3.

47 *In agro Falerno.*] Campaniæ pars est, ubi vites generosissimæ, unde vinum Falernum. Consentit autem Author de Viris illustribus in vitâ Fabii cum Nepote, his verbis: *Hannibalem in agro Falerno inclusit.* Et Florus lib. 2. *Itaque per Samnium totum, per Falernos, Gauranosque saltus sic maceravit Hannibalem, ut qui frangi virtute non poterat, morâ comminueretur.*

48 *Hîc clausus locorum angustiis.*] Vide eâ de re Appianum in Hannibale.

49 *Fabio callidissimo imperatori.*] Id ex ejus præclaris facinoribus & bellicis artibus facilè cognoscitur, atque ex præclaris titulis & nominibus quibus in suis triumphis donatus est.

50 *Nam sarmenta in cornibus.*] Vide Frontinum in Stratagem. Appianum ibidem, & alios.

51 *Pari ac Dictatorem imperio.*] Quod nunquam fuerat ante pugnam cum Hannibale; idque prima vice accidit quum suffragante Metello, M. Minucius, consilio Varronis à Senatu obtinuit, ut jus Dictatoris & Magistri equitum æquaretur. Polyb. & Appianus ibidem.

52 *T. Sempronium Gracchum, iterum Consulem.*] Hunc bis Consulem fuisse testatur Plutarchus in Gracchorum vitâ, habuitque collegam in secundo Consulatu M. Juventium Helvam, anno urbis conditæ 591.

53 *In Lucanis absens, in insidias inductum, sustulit.*] Quidam in agro Beneventano interemptum volunt ab hostibus inter salicta latentibus. Sed Florus lib. 2. cap. 6. cum Nepote consentit, ut patet ex his verbis: *Ausus & Sempronio Graccho Duce per Lucaniam sequi, & premere*

[c] in insidias inductum sustulit. [54] M. Claudium Marcellum quinquies consulem, [55] apud Venusiam pari modo interfecit. Longum est enumerare prælia. Quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, quantus ille fuerit. [56] Quandiu in Italiâ fuit, nemo ei in acie restitit, nemo adversus eum post Cannensem pugnam, in campo castra posuit. [57] Hic invictus patriam defensum revocatus, bellum gessit [58] adversus P. Scipionis filium, quem ipse primùm apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertiò apud Trebeiam fugaverat. Cum hoc, exhaustis jam patriæ facultatibus; cupivit in præsentiarum bellum componere, quò valentior postea congrederetur. In colloquium convenit, conditiones non convenerunt. Post id factum, paucis diebus [59] apud Zamam cum eodem conflixit. Pulsus, incredibile dictu, biduo & duabus noctibus [60] Adrumetum pervenit, quod abest à Zama circiter millia passuum trecenta. In hâc fugâ Numidæ, qui simul cum eo acie excesserant, insidiati sunt ei: quos non solùm effugit, sed etiam ipsos oppressit. Adrumeti reliquos ex fugâ collegit, novis delectibus, paucis diebus multos contraxit. Quum in apparando acerrimè esset occupatus, Chartaginienses [61] bellum cum Romanis composuerunt. Ille nihilo secius exercitui postea præfuit, résque in Afri-

INTERPRETATIO.

c *Insidiis circumventum interemit.*

NOTÆ.

terga cedentis. Sic etiam Liv. Decad. 3. 5. Lucani autem populi sunt Italiæ à Samnitibus oriundi, secundum mare extensi, à Picentinis fluvio Silaro, à Brutiis Lacu sejuncti. Plin. lib. 3. c. 5.

54 *M. Claudium Marcellum quinquies Consulem.*] Alii legunt, *Quintum Consulem.* Consul autem tunc fuit cum T. Quinctio Crispino, ut ex fastis constat.

55 *Apud Venusiam pari modo interfecit.*] Venusia Colonia Roman. inter Apuliam & Lucaniam; quantum verò ad modum quo interfectus est. Vide Liv. lib. 27. Annal. & Appianum in Hannibal.

56 *Quamdiu in Italiâ fuit.*] Sexdecim annos, Livius, lib. 30. Annal. & Just. lib. ultimo, & alii.

57 *Hic invictus patriam defensum revocatus.*] Quanam ratione invictus dicatur, vix intelligi potest, qui à Fabio maximo fractus, à Valerio Flacco repulsus, à Graccho & Marcello fugatus, mox in Africam revocatus, & à Scipione à superatus. Author de Viris illustribus in Hannibale.

58 *Adversus Scipionis filium.*] Qui patrem in pugnâ, quæ ad Padum commissa est, objectu corporis morti subduxerat, aut vinculis; cuique, ut inquit Florus, tam grande de Africâ nomen fata decreverant; nam ille victo Hannibale subactâque Africâ Africanus dictus est: quamvis nomen illud commune fuerit duobus Scipionibus.

59 *Apud Zamam.*] Urbem Africæ, apud quam Hannibal à Scipione victus fuit, de quâ Silius Italicus, lib. 3.

Et Zama, & uberior Rutulorum sanguine Tapsus.

60 *Adrumetum pervenit.*] Civitatem Libyæ maritimam non procul à Catthagine.

61 *Bellum cum Romanis composuerunt.*] Vide quibus conditionibus apud Eutrop. lib. 3. Præter quas, plures alias addit Livius, lib. 30.

ea gessit, Itémque Mago frater ejus, [62] usque ad Publium Sulpicium & Caium Aurelium Coss. His enim Magistratibus legati Carthaginienses Romam venerunt, qui senatui populóque Romano gratias agerent, quòd cum his pacem fecissent, ob eámque rem coronâ aureâ eos donarent, simúlque peterent, [63] ut obsides eorum Fregellis essent, captivíque redderentur. His ex senatusconsulto responsum est, munus eorum gratum acceptumque esse, obsides quo loco rogarent, futuros, captivos non remissuros, quod Hannibalem, cujus operâ susceptum bellum foret, inimicissimum nomini Romano, & nunc cum imperio apud exercitum haberent: itémque fratrem ejus Magonem. Hoc responso Carthaginienses cognito, Hannibalem domum Magonémque revocarunt. Huc ut rediit, [64] prætor factus est, [65] postquàm rex fuerat anno secundo & vigesimo. Ut enim Romæ consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. In eo Magistratu pari diligentiâ se Hannibal præbuit, ac fuerat in bello. Namque effecit, ex novis vectigalibus non solùm ut esset pecunia, quæ Romanis ex fœdere penderetur, sed etiam superesset, quæ in ærario poneretur. Deinde anno post præturam, [66] M. Claudio, Lucio Furio Coss. Romani legati Carthaginem venerunt. Hos Hannibal sui exposcendi gratiâ missos ratus, [d] priusquam his senatus daretur, navem conscendit clàm, atque in Syriam ad Antiochum profugit. Hac re palàm facta, Pœni naves duas, quæ eum comprehenderent, si possent consequi, miserunt; bona ejus publicarunt, domum à fundamentis disjecerunt; ipsum exulem judicarunt. At Hannibal anno tertio, postquam domo profugerat, L. Cornelio, Quinto Minutio Coss. cum quinque navibus Africam accessit [67] in finibus Cy-

INTERPRETATIO.

d *Antequam in Senatum admitterentur.*

62 *Usque ad Publium Sulpicium.*] Id est, ad annum Urbis conditæ 540. ut scribit Livius 31. Annal. ut patet ex his verbis: *Anno quingentesimo quadragesimo ab Urbe condita P. Sulpicio Galba, C. Aurelio Cotta Coss. bellum cum Rege Philippo initum est, paucis mensibus post pacem Carthaginiensibus datam.*

63 *Ut obsides eorum Fregellis essent.*] Fregellæ civitas clarissima inter Sinnessam & Formias sita, non procul à Liri amne, nunc vulgò *Ponte Corvo*, de quâ Silius, lib. 8.

Obsessa Campo squallente Fregella.

64 *Prætor factus est.*] Justin. lib. 31. scribit eum factum esse Consulem, quod idem est apud Carthaginienses.

65 *Postquam Rex fuerat.*] Impropriè Rex dicitur, quemadmodum & Reges apud Lacedæmonios impropriè Reges erant, ut dictum est in Agesilao.

66 *M. Claudio, Lucio, Furio Coss.*] Id est, anno urbis conditæ 558.

67 *In finibus Cyrenæorum.*] Vel Cyrenensium, ut scribit Salluft. in bello Jugurthino. Cyrena autem Africæ civitas est intra magnam Syrtem, & Hammonis templum, de qua Lucanus lib. 9.

Proximus in muros, & mœnia Cyrenarum, &c.

Ab eâ tota Regio Cyrenæa dicta est.

renæorum si fortè Carthaginienses ad bellum Antiochi spe fiduciáque inducere posset, cui jam persuaserat, ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur. [68] Huc Magonem fratrem excivit. Id ubi Pœni rescíverunt, Magonem, eâdem quâ fratrem, pœnâ affecerunt. Illi desperatis rebus quum solvissent naves, ac vela ventis dedissent, Hannibal ad Antiochum pervenit. De Magonis interitu duplex memoria prodita est. Namque alii naufragio, alii à servis ipsius interfectum eum, scriptum reliquerunt. Antiochus autem si tam in agendo bello parêre voluisset consiliis ejus, quàm in suscipiendo instituerat, propius Tiberi quàm Thermopylis de summâ imperii dimicasset. Quem etsi [69] multa stultè conari videbat, tamen nulla deseruit in re. Præfuit paucis navibus, quas ex Syria jussus erat in Asiam ducere, hisce adversus Rhodiorum classem [70] in Pamphilio mari conflixit. Quo quum multitudine adversariorum sui superarentur, ipse quo cornu rem gessit fuit superior. [71] Antiocho fugato, verens ne dederetur, (quod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem) [72] Cretam ad Gortynios venit, ut ibi quò se conferret, consideraret. Vidit autem vir omnium callidissimus, magno se fore periculo, nisi quid prævidisset, propter avaritiam Cretensium. Magnam enim secum pecuniam portabat, [e] de quâ sciebat exisse famam. Itaque capit tale consilium. Amphoras complures complet plumbo, [f] summas operit auro & argento. Has Gortyniis præsentibus deponit in templo Dianæ, simulans se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem ductis, statuas æneas, quas secum portabat, omnes suâ pecuniâ complet, eásque in propatulo domi abjicit. Gortynii templum magnâ curâ custodiunt, non tam à cæteris quàm ab Hannibale, ne quid ille inscientibus his tolleret,

INTERPRETATIO.

e *De qua rumorem sparsum fuisse noverat.*

f *In summitate aurum & argentum apponit.*

NOTÆ.

68 *Huc Magonem fratrem excivit.*] Vel duos fratres hujus nominis habuisse Hannibalem necesse est, vel certè hoc verum minimè est, quia Mago Hannibalis frater occisus fuerat in prælio adversus P. Quintilium Varum Prætorem, & M. Cornelium Proconsulem in Insubribus. Livius 30. & alii.

69 *Multa stultè conari.*] Id intelligitur ex his Gellii verbis lib. 5. c. 5. Noctes Attic. *Hicne, inquit,* (scilicet Antiochus) *exercitus Romanis sufficiet? Sufficiet, respondit Pœnus, vel maximè avaris.* Nam exercitum conscripserat Antiochus armis inauratis, quem ostendit Hannibali.

70 *In Pamphilio mari.*] Quod & Phaselicum mare dicitur, in confinio Lyciæ & Pamphiliæ. Vide Livium 37.

71 *Antiocho fugato.*] Vide Just. 31.

72 *Cretam ad Gortynios venit.*] Creta insula est maris Mediteranei celeberrima. De quâ Virg. 3. Æneid.

Creta Jovis magni medio jacet insula Ponto.

Gortynii verò sunt dicti à Gortynâ ejus insulæ civitate, in parte meridionali sitâ. Plin. lib. 4. c. 12.

secúmque asportaret. Sic conservatis suis rebus Pœnus, illusis Cretensibus omnibus [73] ad Prusiam in Pontum pervenit: apud quem eodem animo fuit erga Italiam: Neque aliud quicquam egit quàm regem armavit & excitavit adversus Romanos. Quem quum videret domesticis rebus minus esse robustum, conciliabat cæteros reges, adjungebátque bellicosas nationes. Dissidebat ab eo [74] Pergamenus rex Eumenes [75] Romanis amicissimus, bellúmque inter eos gerebatur & mari & terrâ. Quò magis cupiebat eum Hannibal opprimi: sed utrobique Eumenes plus valebat, propter Romanorum societatem. Quem si removisset, faciliora sibi cætera fore arbitrabatur. Ad hunc interficiendum, talem iniit rationem. Classe paucis diebus erant decreturi. Superabatur navium multitudine;dolo erat pugnandum, quum par non esset armis. [76] Imperavit quamplurimas venenatas serpentes vivas colligi eásque in vasa fictilia conjici. Harum quum confecisset magnam multitudinem, die ipso quo facturus erat navale prælium, classiarios convocat, hísque præcipit, omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem, à cæteris tantùm satis habeant se defendere: id facilè illos serpentum multitudine consequuturos. Rex autem, quâ nave veheretur, ut scireat, se facturum: quem si aut cepissent, aut interfecissent, magno his pollicetur præmio fore. Tali cohortatione militum factâ, classis ab utrisque in prælium deducitur. Quarum acie constitutâ, priusquam signum pugnæ daretur, Hannibal, ut palàm faceret suis quo loco Eumenes esset, [77] tabellarium in scapha cum caduceo mittit. Qui ubi ad naves adversariorum pervenit, epistolam ostendens, se regem professus est quærere. Statim ad Eumenem deductus est, quòd nemo dubitabat aliquid de pace esse scriptum. Tabellarius ducis nave declaratâ suis, eodem unde ierat, se recepit. At Eumenes solutâ Epistolâ nihil in eâ reperit, nisi quod [78] ad irridendum

NOTÆ

73 *Ad Prusiam in Pontum pervenit.*] Is Prusias Rex Bithyniæ fuit, qui Hannibalem hospitio excepit, postquàm ab Antiocho, factâ cum Romanis pace, discessit. De quo vide Valer. Max. 3.7. Just. 23. Cicer. 2. de Divinatione.

74 *Pergamenus Rex Eumenes.*] Pergamum, sive Pergamus, Urbis insignis Asiæ, non procul à Caïco amne: ex quâ urbe Galenus medicorum præstantissimus. Porrò à Pergameno Rege Eumene primùm repertas esse membranas Varronis testimonio refert Plinius. Is Eumenes Attalici Regis pater fuit. Flor. lib. 2. c. 20.

75 *Romanis amcissimus.*] Hunc socium & Commilitonem pop. Rom. vocat Florus ibidem. Et Valer. Max. *Asia Rex Eumenes amantissimus nostra urbis.* Ideoque dictus est à Plutarcho in Catone φιλορώμαιος.

76 *Imperavit quamplurimas venenatas serpentes.*] Lege Front. lib. 4. Stratag. c. 7. Justinum lib. 32. Serpentum loco alii alias feras venenatas fuisse ferunt, quales sunt Nepæ, Scorpiones, & alia id genus.

77 *Tabellarium cum Caduceo.*] Caduceus, indicium pacis. Unde autem Caducei sit origo, consule Plinium 29. 3. Servium ad 4. & 8. Æneid.

78 *Ad irridendum eum.*] Pro, *ad irridendum se.* Sic paulò suprà. *Nequid ille inscientibus illis tolleret*; pro, *inscientibus se.*

eum pertineret. Cujus etsi causam mirabatur, neque reperiebatur; tamen prælium statim committere non dubitavit. Horum in concursu, [79] Bithyni, Hannibalis præcepto, universi navem Eumenis adoriuntur: quorum vim quum rex sustinere non posset, fugâ salutem petiit: quam consequutus non esset, nisi intra sua præsidia se recepisset, quæ in proximo littore erant collocata. Reliquæ Pergamenæ naves quum adversarios premerent acriùs, repente in eas vasa fictilia (de quibus suprà mentionem fecimus) conjici cœpta sunt. Quæ jacta initio risum pugnantibus excitarunt. Neque quare id fieret, poterat intelligi. Postquam autem naves completas conspexerunt serpentibus, novâ re perterriti, quum quid potissimum vitarent non viderent, puppes averterunt, séque ad sua castra nautica retulerunt. Sic Hannibal consilio arma Pergamenorum superavit. Neque tum solùm, sed sæpè alias pedestribus copiis pari prudentia pepulit adversarios. Quæ dum in Asiâ geruntur, accidit casu, ut legati Prusiæ Romæ [80] apud L. Quintium Flamininum consularem cœnarent: Atque ibi de Hannibale mentione factâ, ex his unus diceret, eum in Prusiæ regno esse. Id postero die Flamininus senatui detulit. Patres conscripti, qui Hannibale vivo nunquam se sine insidiis futuros existimabant, legatos in Bithyniam miserunt, [81] in his Flamininum, qui à rege peterent ne inimicissimum suum secum haberet, sibique dederet. His Prusias negare ausus non est. Illud recusavit, ne id à se fieri postularent: quod adversus jus hospitii esset: ipsi si possent, comprehenderent: locum ubi esset, facilè inventuros. Hannibal enim uno loco se tenebat, in castello quod ei ab rege datum erat muneri, idque sic ædificarat, [82] ut in omnibus partibus ædificii exitus haberet, semper verens ne usu veniret, quod accidit. Huc quum legati Romanorum venissent, ac multitudine domum ejus circumdedissent: puer ab janua prospiciens, Hannibali dixit plures præter consuetudinem armatos apparere. Qui imperavit ei, ut omnes fores ædificii circumiret, ac properè sibi renunciaret, num eodem modo undique obsideretur. Puer quum celeriter, quid esset renunciasset, omnésque exitus occupatos ostendisset, sensit id non fortuitò factum, sed se peti, neque sibi diutiùs vitam esse retinendam; quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor

NOTÆ.

79 *Bithyni.*] Prusiæ subditi, quia Prusias Rex erat Bithyniæ, ut supra dictum est, ad quem Hannibal se receperat.

80 *Apud L. Quintium Flamininum.*] Vel ut quibusdam placet *Flaminium*. Hic C. Flaminii Consulis, qui apud Trasimenum in acie ab Hannibale occisus est, filius fuit.

81 *In his Flamininum.*] Ad Prusiam legatus Quntius Flamininus venit; ut refert Livius 39. Annal.

82 *Ut in omnibus partibus ædificii exitus haberet.*] Sic etiam sentit Livius. Et Plutarchus in Hannibale scribit locum in quo commorabatur Hannibal, Lybissum dictum fuisse.

pristinarum virtutum, [83] venenum, quod semper secum habere consueverat, sumpsit. Sic vir fortissimus, multis variisque perfunctus laboribus, [84] annno acquievit septuagesimo. Quibus consulibus interierit, non convenit. Namque [85] Atticus, M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone Coss. mortuum, in Annali suo scriptum reliquit: at Polybius, [86] Æmilio Paulo, & Cn. Bæbio Tamphilo: [87] Sulpicius autem, P. Cornelio Cethego, & M. Bæbio Tamphilo. Atque hic tantus vir, tantisque bellis districtus, nonnihil temporis tribuit literis. Namque aliquot ejus libri sunt Græco sermone confecti. In his ad Rhodios [88] de Cn. Manlii Volsonis in Asiâ rebus gestis. [89] Hujus bella gesta multi memoriæ prodiderunt: sed ex his duo qui cum eo in castris fuerunt, simulque vixerunt quàmdiu fortuna passa est, Philinus, [90] & Sosilus Lacedæmonius. Atque hoc Sosilo Hannibal litterarum Græcarum usus est doctore. [91] Sed nos tempus est [92] hujus libri facere finem, & Romanorum explicare imperatores, quò faciliùs collatis utrorúmque factis, qui viri præferendi sint, possit judicari.

NOTÆ.

83 *Venenum quod semper secum habere consueverat.* De Hannibalis morte non bene consentiunt; sunt enim qui lapidibus obrutum fuisse à Carthaginiensibus ob rem malè gestam dicant; sunt qui cruci affixum volunt: plerique tamen veneno periisse asserunt, quod sub annuli gemma servabat, licet diverso modo. Alias opiniones refert Plutarchus. Porrò Livius hæc suprema fuisse Hannibalis verba refert: *Solvamus diuturna cura populum Rom. quandò mortem senis exspectare longum censet.*

84 *Anno acquievit septuagesimo.* Q. Fabio Labeone, & M. Claudio Marcello Coss. anno urbis conditæ 571. ut patet ex Cassiodori Chronicis. Insignis hic annus trium toto orbe maximorum Imperatorum mortibus fuit, scilicet, Hannibalis, Philopæmenis, & Scipionis Africani. Just. lib. 32. cap. ultimo.

85 *Atticus.* vel, Attius ut alii volunt, qui annorum septingentorum historiam uno libro colligavit, ut refert Cic. de Oratore; & lib. 1. de legibus idem Tullius scribit. Nam quid Attium commemorem? Cujus loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex eruditâ illâ Græcorum copiâ.

86 *Lucio Æmilio Paulo, & Cn. Bæbio Tamphilo.* Qui Consules fuerunt anni sequentis, ut ex Cassiodori Chronicis patet.

87 *Sulpicius autem P. Cornelio Cethego, & M. Bæbio Tamphilo.* Qui immediatè superioribus in consulatu successerunt. Ibid.

88 *De Cn. Manlii Volsonis.* Hic habuit Collegam in consulatu M. Fulvium Nobiliorem. De ipso Livius 38. Annal. Asia autem illi sorte obtigerat, Ætolia verò M. Fulvio Nobiliori. Plura Livius. Plin. Flor. & alii.

89 *Hujus bella gesta.* Quidam legunt belli gesta.

90 *Et Sosilus.* Alii putant legendum esse, *Sosibius*; quidam *Sosilus*; sed in Polybio nomen Σώσιλος, invenitur, & in Diodoro.

91 *Sed nos tempus.* Vulgati; nunc tempus est.

92 *Hujus libri facere finem.* Nam hi de quibus hactenus loquutus est, extranei sunt Duces, cúmque jam sit dicturus de Romanis, finem facit primo libro qui de externis agit.

FRAGMENTUM
QUOD EX
CORNELII NEPOTIS
LIBRO POSTERIORE SUPEREST
M. PORTII CATONIS VITA.

[1] CATO ortus [2] municipio Tusculo, adolescentulus, *a* priusquam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis: quòd ibi hæredium [3] à patre relictum habebat. Hortatu L. Valerii Flacci, quem in consulatu censuráque habuit collegam, ([4] ut M. Perpenna consobrinus narrare solitus est) Romam demigravit, [b] in foro esse cœpit. [c] [5] Primum stipendium meruit annorum decem septémque, Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello Coss. [6] Tribunus militum in Sicilia fuit. Inde ut rediit,

INTERPRETATIO.

a *Antequam in dignitatibus versaretur.*
b Rebus *forensibus* primùm *vacavit.*
c *Militiam ingressus est* 17. *annos natus.*

NOTÆ.

1 CATO. Cujus prænomen Marcus Portius. Anno postquam primum Consul fuerat Q. Fabius Maximus Verrucosus, qui Tarentum receperat, ego natus sum: sic eum de seipso loquentem introducit Cic. in lib. de Senectute.

2 *Municipio Tusculo.* Hinc Cic. *Num, quando vides Tusculanum aliquem, de M. Catone illo in omni virtute principe, num de T. Coruncanio municipe suo, nùm de tot Fabiis gloriari?* Et Val. Max. lib. 3. c. 4. *M. Porcius Cato, qui nomen suum Tusculi ignobile Romæ nobilissimum reddidit.* Porrò Tusculus civitas olim Latii celeberrima, quæque municipalis fuit, id est suo jure & legibus utens, muneribus tamen pop. Rom. atque honorib. perfungens.

3 *A patre relictum.*] Id est prædium avitum.

4 *Ut M. Perpenna Censorinus.*] Quidam legunt Consobrinus. Is Græcus & peregrinus fuit & tamen Consul factus est antequam civitatem esset adeptus, quod legibus erat prohibitum. Val. Max. l. 3. c. 4.

5 *Primum stipendium meruit annorum decem septemque.*] Ea ætas erat quâ artem militarem juvenes incipiebant profiteri. Lipsius 1. de Militiâ Rom. Dial. 2.

6 *Tribunus Militum in Sicilia fuit.*] M. Claudio Marcello T. Quintio Coss. Tribunus autem militum talis erat tunc qualis ferè hodie apud nos Mareschallus, seu præfectus militum.

castra sequutus est [7] C. Claudii Neronis : magnique opera ejus æstimata est in prælio [8] apud Senam, quo cecidit Hasdrubal frater Hannibalis. [9] Quæstor obtigit P. Africano consuli, [10] cum quo non pro sortis necessitudine vixit. [11] Namque ab eo perpetuâ dissensit vitâ. [12] Ædilis plebis factus est cum C. Helvio. [13] Prætor provinciam obtinuit Sardiniam, [14] ex quâ quæstor superiore tempore ex Africâ decedens, [15] Q. Ennium Poëtam deduxerat : quod non minoris æstimamus, quàm quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco; [16] sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem : [17] ex quâ triumphum deportavit. Ibi quum diu-

NOTÆ.

7 *C. Claudii Neronis.*] Is magnis Cladibus Hannibalis fratrem affecit. Quùm exercitu recenti cinctus Alpes transgressus esset, eumque tandem cum quinquaginta sex millibus hominum occidit ad Metaurum Umbriæ amnem. Liv. 27.

8 *Apud Senam.*] Senogalliam urbem in Umbriâ non procul à Metauro amne.

9 *Quæstor obtigit P. Cornelio Scipioni Africano Consuli.*] Catonem Scipioni Quæstorem fuisse testatur Livius 29. Annal. Iterumque Cethego & Tuditano Consulibus, ut testatur Cie. in Bruto.

10 *Cum quo non pro sortis necessitudine vixit.*] Quandoquidem, ut refert Cicero pro Plancio, & in Verrem l. 1. Prætores aut Consules liberorum loco habebant Quæstores.

11 *Namque ab eo perpetuâ dissensit vitâ.* Cujus rei testimonio hæc sunt Livii verba 38. Morte Africani crevêre inimicorum animi, quorum princeps fuit M. Porcius Cato, qui vivo quoque eo, allatrare ejus magnitudinem solitus erat.

12 *Ædilis plebis factus est.*] Ædiles plebis dicti sunt, quod ædes sacras & privatas curarent : ii quoque curatores erant urbis, annonæ, ludorumque solemnium ; duo tantùm ab initio fuerunt. Pomp. lib. 2. de Orig Juris, postea verò, ex Julii Cæsaris instituto sex creati sunt, duo Patricii, qui Cereales dicti sunt, & quatuor ex plebe.

13 *Prætor provinciam obtinuit Sardiniam* Penes Prætorem omnis publici privatique juris erat potestas, ut & novum jus condere, & vetera abrogare : primò quidem unus creatus est, cui suffectus alter propter concursum advenarum, & eorum multitudinem, hicque dictus est Prætor extraneus seu peregrinus. Deinde postquam Sardiniam, Siciliam, Hispaniam, & Narbonensem provinciam subegerunt Romani, tot instituti sunt Prætores, quot erant subactæ Provinciæ. Quod spectat ad Sardiniam, insula est maris Libyci, sic dicta à Sardo quodam Herculis Africani filio, teste Pausaniâ in Phocicis.

14 *Ex quâ Quæstor.*] Magistratus pecuniæ publicæ præpositus. Præterea dicitur, qui præest judiciis exercendis & maleficiis puniendis.

15 *Q. Ennium Poëtam deduxerat.*] Hic Tarentinus fuit si Eusebio credimus; sed Pompon. Mela eum esse Calabrum scribit, cui suffragatur Silius :

Miserunt Calabri, Rudia genuere vetusta.

Hunc quoque Cic. pro Archia Poëta : Ennium Rudium hominem vocat.

16 *Sorte provinciam nactus Hispaniam.* Consulibus creatis Provinciæ nominabantur, ut eas ipsi vel inter se compararent, vel sortirentur, quos ire ad bellum, quos præesse exercitibus oporteret. Vide Livium l. 33. cujus hæc sunt verba: *L. Valerius, & M. Porcius Cato, quo die Magistratum inierunt, de Provinciis quum ad Senatum retulissent; Patres censuerunt, cùm in Hispaniâ tantum glisceret bellum, ut jam consulari & duce, & exercitu opus esset; placere Consules Hispaniam Citeriorem, & Italiam provincias, aut comparare inter se, aut sortiri.*

17 *Ex quâ triumphum deportavit.*] Triumphasse Catonem testatur Appianus in Ibericis, & Plutarchus in vitâ ejus, quâ de re utrumque consule.

tiùs moraretur, P. Scipio Africanus consul iterum, cujus in priori consulatu quæstor fuerat, [18] voluit eum de provinciâ depellere, & ipse ei succedere. [19] Neque hoc per senatum efficere potuit, quum quidem Scipio in civitate principatum obtineret: quòd tum non potentiâ, sed jure respublica administrabatur. Quâ ex re iratus, [20] senatu peracto, privatus in urbe mansit. At Cato Censor cum eodem Flacco factus, [21] severè præfuit ei potestati. [22] Nam & in complures nobiles animadvertit, & multas res novas in edictum addidit: quâ re luxuria reprimeretur, quæ jam tum incipiebat pullulare. [23] Circiter annos octuaginta, usque ad extremam ætatem, ab adolescentiâ, reipublicæ causâ suscipere inimicitias non destitit. [24] A multis tentatus, non modò nullum detrimentum existimationis fecit, sed quoad vixit, virtutum laude crevit. In omnibus rebus singulari fuit prudentiâ & industriâ. [25] Nam & agricola solers, & reipublicæ peritus, & juris consultus, & magnus Imperator, [26] & probabilis orator, & cupidissimus literarum fuit. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facilè reperire possis, neque de Græcis, neque de Italicis rebus, qui ei fuerit incognitum. [27] Ab adolescentiâ confecit orationes: senex historias scribere instituit, quarum sunt libri septem. Primus continet res gestas regum populi Romani. Secundus & tertius, unde quæque civitas orta sit Italica: [28] ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. In quarto autem, bellum Punicum primum: in quinto, secundum. Atque hæc omnia capitulatim sunt dicta. Reliqua bella pari modo persecutus est [29] usque ad præturam Ser. Galbæ, qui diripuit Lusitanos. Atque horum

NOTÆ.

18 *Voluit eum de Provinciâ depellere.* Propter simultates & repugnantias utriusque, de quibus paulò supra.

19 *Neque hoc per Senatum efficere potuit.*] Testatur paulò aliter Plutarchus; scribitque solummodò Scipionem non potuisse assequi, ut Catonis acta Senatus improbaret, sed Hispaniam provinciam obtinuisse.

20 *Senatu peracto.*] Quidam legunt Consulatu peracto; quod valdè probo.

21 *Severè præfuit huic potestati.*] Unde illi Censorium nomen inditum est. Hinc Lucanus de Catone ipso scripsit:

——— *rigidi servator honesti.*

22 *Nam & in complures nobiles animadvertit.*] Vide Livium 39. Et Sext. Aurelium Victorem in Catone Censorio.

23 *Circiter annos octuaginta.*] *Octogenarius erat quum Galbam accusavit, accusator assiduus malorum.* Idem Aurel. Victor ibidem.

24 *A multis tentatus.*] *Ipse quadragies quater accusatus, gloriosè absolutus.* Idem ibid. Immò & Plutarchus ferè quinquagies accusatum fuisse scribit.

25 *Nam & Agricola solers.*] Id patet ex libris quos scripsit de re rusticâ.

26 *Et probabilis Orator.*] Alii legunt, *probatissimus Orator*; Oratorem autem fuisse patet ex hoc Plinii textu lib. 7. Cato tres summas in homine res præstitisse existimatus est, optimus Orator, optimus Imperator, optimus Senator.

27 *Ab adolescentiâ confecit Orationes.*] Quæ citantur à Cic. & Gellio.

28 *Ob quam rem omnes Origines videtur appellasse.*] De his lege Cic. in Catone.

29 *Usque ad Præturam Servii Galbæ.*] Galba ille dictus est Servius, non Sergius,

bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In iisdem exposuit quæ in Italiâ Hispaniisque viderentur admiranda. In quibus multa industria & diligentia comparet, multa doctrina. Hujus de vita & moribus plura [30] in eo libro persequuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu Titi Pomponii Attici: Quare studiosos Catonis ad illud volumen relegamus.

NOTÆ.

quia erat Sulpiciæ Gentis non Sergiæ, vir Consularis, ut patet ex his Suetonii verbis: *Servius Galba consularis, temporum suorum eloquentissimus; quem tradunt Hispaniam ex Pratura obtinentem xxx. Lusitanorum millibus perfidiâ trucidatis, Viriatini belli causam extitisse.* Extat reprehensio Rutilii Rufi in Serv. Sulpicium Galbam apud Cic. lib. 1. de Oratore. De eodem Servio Galba loquitur Valer. Max. lib. 9. c. 6.

30 *In eo libro.*] Qui non apparet, sed cujus fragmentum elegans extat apud Gellium lib. 2. c. 8.

T. POMPONII ATTICI VITA, EX CORNELIO NEPOTE.

[1] POMPONIUS Atticus, [2] ab origine ultimâ stirpis Romanæ generatus, perpetuò à majoribus acceptam [3] equestrem obtinuit dignitatem. Patre usus est diligente, indulgente, &, ut tum erant tempora, diti, imprimisque studioso literarum. Hic, prout ipse amabat literas, omnibus doctrinis, quibus puerilis ætas impertiri debet, fi-

NOTÆ.

1 POMPONIUS ATTICUS.] De quo jam in præfatione. Porro gens Pomponia familias habuit Bassorum, Secundorum, Labeonum, & Atticorum: quod si ita est malè opinatur Manucius, eum ideo Atticum dici, quia sic Græcè loquebatur, ut Athenis natus videretur: id nihilominus Cic. confirmat authoritate sua lib. 5. de finibus, his verbis. Ita enim Athenis se collocavit, ut sit pænè unus ex Atticis, ut id etiam cognomine videatur habiturus.

2 *Ab origine ultimâ stirpis Romana.*] Scilicet, regiâ: nam gens Pomponia originem suam referebat ad Numam Pompil. qui inter 4. filios unum Pomponem vocavit, à quo postea Pomponii dicti sunt; quumque esset ultimus, ideo hic dicitur *ab origine ultimâ.* Vel ut aliis placet, *ultima*, pro, *prima*, hic sumitur; ut apud Virgil. lib. 8. Æneid. de Saturno, primo Latini regis progenitore loquens, ait:

—— *qui sanguinis ultimus Author.*

Ultimus enim, quasi ultra omnia, sive retro, sive ante respicias.

3 *Equestrem obtinuit dignitatem.*] Non Senatoriam recusando, sed eam non affectando; quia eam recusantibus altera

lium erudivit. Erat autem in puero, præter docilitatem ingenii, summa suavitas oris, ac vocis; [a] ut non solùm celeriter acciperet, quæ tradebantur, sed etiam excellenter pronunciaret: quâ ex re in pueritiâ nobilis inter æquales ferebatur, [b] clariusque exsplendescebat, quàm generosi condiscipuli animo æquo ferre possent. Itaque incitabat omnes suo studio: quo in numero fuerunt L. Torquatus, [4] C. Marius, C. F. M. Cicero: quos consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuò fuerit carior. Pater maturè decessit. Ipse adolescentulus propter affinitatem [5] P. Sulpicii, qui Tribunus pl. interfectus est, non expers fuit illius periculi. Namque Anicia, Pomponii consobrina, nupserat M. Servio fratri Sulpicii. Itaque, interfecto Sulpicio, postea quàm vidit [6] Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam; neque sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis civium, cum alii Sullanis, alii Cinnanis faverent partibus, idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis, Athenas se contulit: neque eò seciùs adolescentem Marium, hostem judicatum, juvit opibus suis: cujus fugam pecunia sublevavit. Ac, ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari, eòdem magnam partem fortunarum trajecit suarum. Hic ita vixit, ut universis Atheniensibus meritò esset carissimus: nam præter gratiam quæ jam adolescentulo magna erat, sæpe suis opibus inopiam eorum publicam levavit. [c] Cum enim versuram facere publicè necesse esset, neque ejus conditionem æquam haberent, semper se interposuit, atque ita ut neque usuram umquam ab is acceperit, [d] neque longius, quàm dictum esset, eos debere passus sit. quod utrumque erat iis salutare. [e] Nam neque indulgendo inveterascere eorum

INTERPRETATIO.

a *Ut non modò sine mora conciperet quæ docebatur.*

b *Splendidiusque emicabat, quàm id à generosis* scientiarum *æmulis sine invidiâ ferri valeret.*

c *Quum enim publica necessitas ea esset ut æs alienum alieno dispungeretur; nec nisi majori fœnore id fieri posset.*

d *Neque ultra diem datam ad solvendum veniam dederit.*

e *Neque enim indulgentiâ suâ debita eorum prorogari sinebat.*

NOTÆ.

adimebatur. Sueton. Equestris autem dignitatis hæc erant ornamenta & insignia, equus publicè datus, & annulus aureus. Census verò ad hunc ordinem obtinendum requirebatur quadringentorum millium nummorum: hic ordo medius erat inter Patritios & plebeios.

4 *C. Marius.*] Is Caius Marius C. Marii septies consulis filius fuit.

5 *P. Sulpicii*] Clarissimi Oratoris, sed cùm Tribunus plebis esset & perniciosas leges authore Mario ferre vellet, occisus est. Cic. Catilin. 3. & lib. 3. de Oratore.

6 *Cinnano tumultu.*] Quantas turbas excitaverint in rep. Sylla, Marius, & Cinna nemo nescit qui vel tantillum historiam Rom. delibaverit.

7 *Quum enim versuram facere publicè necesse esset.*] Ii Versuram facere dicuntur, qui mutato creditore satisfaciunt ea pecuniá quàm à novo acceperunt pari vel majori fœnore.

æs alienum patiebatur, neque multiplicandis usuris crescere. Auxit hoc officium aliâ quoque liberalitate. Nam universos frumento donavit, ita ut singulis VI. modii tritici darentur, [8] qui modus mensuræ medimnus Athenis appellatur. Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur, quo factum est, ut huic omnes honores, quos possent, publicè haberent, civemque facere studerent. [9] Quo beneficio ille uti noluit: quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam alia adscita. Quàmdiu affuit, ne qua sibi statua poneretur, restitit; absens prohibere non potuit. [10] Itaque aliquot Pnyce & Pœcile locis sanctissimis posuerunt. Hunc enim in omni procuratione Reip. actorem, auctorémque habebant. Igitur primum illud munus fortunæ, quod in ea potissimùm urbe natus est, in quâ domicilium orbis terrarum esset imperii, ut eandem & patriam haberet, & domum. Hoc specimen prudentiæ, quòd cùm in eam se civitatem contulisset, [11] quæ antiquitate, humanitate, doctrina præstaret omnes; ei unus ante alios fuerit carissimus. [12] Huc ex Asiâ Sulla decedens cùm venisset; quàm diu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adolescentis & humanitate & doctrinâ. Sic enim Græcè loquebatur, ut Athenis natus videretur. Tanta autem erat suavitas sermonis Latini, ut appareret in eo nativum quendam leporem esse non adscitum. [13] Idem poëmata pronuntiabat & Græcè, & Latinè sic, ut supra nihil posset addi. Quibus rebus factum est, ut Sulla nunquam eum à se dimitteret, cuperétque secum deducere; qui cùm persuadere tentaret; Noli, oro te, inquit Pomponius, adversum eos me velle ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqui. At Sulla, adolescentis officio collaudato omnia munera ei, quæ

NOTÆ.

8 *Qui modus mensura medimnus Athenis appellatur.*] Medimnum etiam dicitur, & utrumque Cic. usurpat. Medimnus autem genus mensuræ erat continens sex modios, teste Suida & aliis.

9 *Quo beneficio ille uti noluit.*] Rationem subjungit; nam reipsa jure Quiritium idem duarum civitatum civis esse non poterat. Cic. pro Cæcinna, & pro Cornelio Balbo; *Duarum civitatum civis esse nostro Jure civili nemo potest, &c.*

10 *Itaque aliquot Pnyce & Pœcile locis sanctissimis posuerunt.*] Hic locus variè legitur, & plurimi reponunt, *Itaque aliquot ipsi, & Pilia: &c.* Quod valde probo; nam Piliam Attici fuisse uxorem certum est ex Cicerone, & cujus nuptiis adfuisse ipsemet testatur epist. 3.lib.2. ad Quintum fratrem, hancque nomine designat lib. 4.epist. ad Atticum Epistolâ 4. Item lib. 14. epist. 15. & alibi. Qui aliter legunt nihil nisi obscuritatem offendunt.

11 *Qua antiquitate, humanitate: doctrinâ præstaret omnes.*] Hæc sunt elogia Athenarum. Quantùm ad antiquitatem, hæc Just. 2. lib. *Non advena, neque passim collecta populi colluvies originem urbi dedit, &c.* De humanitate verò, & doctrinâ quis ambigit?

12 *Huc ex Asiâ Sulla decedens.*] Qui Dictator fuit postquam Marianam factionem penitus delevit.

13 *Idem Poëmata pronuntiabat Graecè & Latinè.*] Commentarium de Cicer. Consulatu Græcè scripsisse, sed parum comptè testatur ipse Cic. lib. 2. ep. 1. ad Atticum,

Athenis acceperat, proficiſcens juſſit deferri. Hîc complures annos moratus, cùm & rei familiari tantùm operæ daret, quantùm non indiligens deberet paterfamilias, & omnia reliqua tempora [14] aut literis, aut Athenienſium Reip. tribueret, nihilò minùs amicis urbana officia præſtitit. Nam & ad comitia eorum ventitavit; & ſi qua res major acta eſt, non defuit: ſicut Ciceroni in omnibus ejus periculis ſingularem fidem præbuit: cui ex patriâ fugienti HS. CC. & quinquaginta millia donavit. Tranquillatis autem rebus Romanis, remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta, & L. Torquato Coss. quem ſic univerſa civitas Athenienſium proſecuta eſt, ut lacrimis deſiderii futuri dolorem indicaret. [15] Habebat avunculum Q. Cæcilium, equitem Romanum, [16] familiarem L. Luculli, divitem, difficillimâ naturâ: f cujus ſic aſperitatem veritus eſt, ut quem nemo ferre poſſet, hujus ſine offenſione ad ſummam ſenectutem retinuerit benevolentiam; quo facto, tulit pietatis fructum. [17] Cæcilius enim moriens teſtamento adoptavit eum, g hæredémque fecit ex dodrante: ex quâ hereditate accepit circiter centies HS. [18] Erat nupta ſoror Attici Q. Tullio Ciceroni: eáſque nuptias M. Cicero conciliarat, cum quo à condiſcipulatu vivebat conjunctiſſimè, multo etiam familiariùs, quàm cum Quincto: ut judicari poſſit [19] *plus in amicitiâ valere ſimilitudinem morum, quàm affinitatem.* Utebatur autem intimè Q. Hortenſio, [20] qui iis temporibus principatum eloquentiæ tenebat, ut intelligi non poſſet, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortenſius: & id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut inter quos tantæ laudis eſſet æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, eſſétque talium virorum copula. In Rep. ita eſt verſatus, ut ſemper Optimarum partium & eſſet & exiſtimaretur; neque tamen ſe civilibus fluctibus committeret; quòd non magis eos in

INTERPRETATIO.

f *Cujus acerbitatem ita* excolendo *demulſit.*

g *Reliquitque hæredem ex novem partibus.*

NOTÆ.

14 *Aut literis.*] Scilicet Philoſophiæ Epicureæ, ut Cic. teſtatur de legibus.

15 *Habebat avunculum Q. Cæcilium.*] Hunc quoque avunculum Attici fuiſſe teſtatur Cic. lib. 1. ad Atticum, ep. 1. lib. 2. 19.

16 *Familiarem Lucii Luculli.*]Hic Conſul adverſus Mithridatem miſſus eſt, cujus res ferro & fame afflixit, eumque regno ſuo Pontico expulit, atque iterum cum Tigrane Armenorum Rege ſuperavit.

17 *Cæcilius moriens teſtamento adoptavit eum.*] Quod etiam patet ex his Valer. Max. verbis lib. 7. c. 9. *Pomponium Atticum teſtamento adoptavit, omniumque bonorum reliquit hæredem.*

18 *Erat nupta ſoror Attici Q. Tullio Ciceroni.*] Hic M.T.Cic. Oratorum Principis frater fuit, qui duxit Pomponiam Attici ſororem.

19 *Plus in amicitiâ valere ſimilitudinem morum.*] Hinc Cic. in Lælio. Nihil eſt quod ad ſe rem tam alliciat, tam attrahat quàm ad amicitiam ſimilitudo.

20 *Qui iis temporibus principatum eloquentiæ tenebat.*] Præſertim autem eloquentiæ vis Hortenſii in incredibili geſtus ſuavitate conſiſtebat. Cic. in Bruto.

ſuâ

suâ potestate existimabat esse, qui se iis dedissent, quàm qui maritimis jactarentur, honores non petiit, cùm ei paterent propter vel gratiam, vel dignitatem; [21] quòd neque peti more majorum, neque capi possent, conservatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neque retineri sine periculo, corruptis civitatis moribus. [h] [22] Ad hastam publicam numquam accessit. Nullius rei [23] neque præs, neque manceps factus est, neminem suo nomine, neque subscribens accusavit. In jus de suâ re nunquam iit; judicium nullum habuit, multorum Consulum, Prætorúmque præfecturas delatas sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus, honore fuerit contentus; rei familiaris despexerit fructum, [24] qui ne cum Q. quidem Cicerone voluerit ire in Asiam, cùm apud eum legati locum obtinere posset. Non enim decere se arbitrabatur, cum Præturam gerere noluisset, asseclam esse prætoris. Quâ in re non solùm dignitati serviebat, sed etiam tranquillitati, cum suspiciones quoque vitaret criminum; quo fiebat, ut [25] ejus observantia omnibus esset carior, cum eam officio, non timori, neque spei tribui viderent. [26] Incidit Cæsarianum civile bellum, cum haberet annos circiter sexaginta; [i] [27] Usus est ætatis vacatione, neque se quóquam movit ex urbe, quæ amicis suis opus fuerant ad Pompeium proficiscentibus, omnia ex suâ re familiari dedit. Ipsum Pompeium non junctus non offendit, [k] [28] nullum enim ab eo habebat ornamentum, ut cæteri, qui per eum aut honores, aut di-

INTERPRETATIO.

h *Publicæ venditioni nunquam adfuit.*
i *Senectutis immunitate fruitus est, nec pedem* Româ *extulit.*
k *Nullam enim ab eo dignitatem acceperat.*

NOTÆ.

21 *Quod neque peti possent more majorum.*] Hic Nepos sui sæculi vitia carpit quibus mos & consuetudo majorum in postulandis dignitatibus despiciebatur.

22 *Ad hastam publicam nunquam accessit.*] Quod veniebat, hastæ subjici dicebatur.

23 *Neque præs, neque manceps.*] Quod falsum est, si, ut refert Cicero lib. 1. epist. 19. apud Sicyonios vectigalia exercuit.

24 *Qui ne quidem cum Q. Cicerone voluerit ire in Asiam.*] Is, ut mox dictum est, sororem Attici duxerat, & Prætor fuit, M. Valer. Messala, & M. Pusio Pisone Coss. Asiam Provinciam sortitus Lucio Flacco successit. Vide Cic. ad Atticum lib. 1.

25 *Ejus observantia.*] Quâ, scilicet, ipse alios observabat.

26 *Incidit Cæsarianum civile bellum.*] Mar. Marcello, & Servio Sulpicio Coss. vel, ut aliis placet, anno Urb. Cond. 705. L. Corn. Lentulo, & Claudio Marcello Coss. ex Cassiodori Chronicis.

27 *Usus est ætatis vacatione.*] Vacationes sunt excusationes à muneribus publicis militaribus, & aliis, quæ senibus concedebantur. Unde Quintil. Declam. 306. *Est præcipuum jus senectutis, quoniam non una subit omnis ætas, non perpetuo Senatorem citat Consul; est sua Legationibus requies, &c.*

28 *Nullum enim ab eo habebat ornamentum.*] Quidam rectiùs legi putant, autoramentum.

vitias ceperant: quorum partim invitissimi castra sunt secuti, [29] partim summâ cum ejus offensione domi remanserunt. Attici autem quies tantopere Cæsari fuit grata, ut victor cum privatis pecunias per epistolas imperaret, huic non solùm molestus non fuerit, sed etiam sororis filium & Q. Ciceronem ex Pompeii castris concesserit. Sic vetere instituto vitæ effugit nova pericula. Secutum est illud [30] occiso Cæsare, cum Respub. penes Brutos videretur esse, & Cassium, ac tota civitas se ad eum convertisse videretur: sic M. Bruto usus est, [l] [31] ut nullo ille adolescens æquali familiariùs, quàm hoc sene: neque solùm eum principem consilii haberet, sed etiam in convictu. Excogitatum est à quibusdam, ut privatum ærarium Cæsaris interfectoribus ab Equitibus Romanis constitueretur. Id facilè effici posse arbitrati sunt, si & principes illius ordinis pecunias contulissent: itaque appellatus est à C. Flavio, Bruti familiari, Atticus, ut ejus rei princeps esse vellet: at ille, qui officia amicis præstanda sine factione existimaret, sempérque à talibus se consiliis removisset; respondit, si quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum, quantùm eæ paterentur; se neque cum quoquam [32] de eâ re collocuturum, [m] neque coïturum. [n] Sic ille [33] consensionis globus hujus unius dissensione disjectus est. Neque multò pòst superior esse cœpit Antonius, ita, ut Brutus & Cassius provinciarum, [34] quæ necis iis causâ datæ erant à

INTERPRETATIO.

l *Ut ipsi juveni coævus nemo familiarior fuerit, quam senex ille.*

m *Neque in concilium venturum.*

n *Ita hunc consentientium cœtum, unus ille dissentiens disturbavit.*

NOTÆ.

29 *Partim summa cum ejus offensione domini remanserunt.*] Quod Cic. pro Ligario, & Seneca Philosophus comprobant; aiunt enim Pompeium pro hostibus se habere dixisse, qui extra castra sua essent. Cæsarem verò eos, qui in hostium castris non essent, pro amicis habiturum.

30 *Occiso Cæsare.*] Nemo nescit Jul. Cæsarem tribus & viginti vulneribus in curiâ occisum fuisse à Bruto & Cassio cædis autoribus, postquam devictis Pompeianis partibus dictaturam perpetuam invasisset, idibus Martiis anno Urbis Cond. ıɔccx. ipso Julio Cæsare, & M. Antonio Coss.

31 *Ut nullo ille adolescens.*] Ille vocatur adolescens qui Præturam exercebat, ad quam exercendam quadragenarium esse oportebat. Attamen à 17. ad 46. annum, adolescentia antiquitus pertingebat, ut ab antiquis observatum est. Nihilominus Varro ad 30. tantùm pertingere ait.

32 *Eâ de re collocuturum, neque coïturum.*] Id est, neque privatim eâ de re cum quoquam loqui velle, neque publicè & palam in Concilio agere; quia colloqui, potest esse privatorum; hic verò, coïre, est concilium habere publi um; unde Comitia;

33 *Consensionis globus.*] Sic Val. Max. pugnantium globos, hostium globos dixit.

34 *Quæ necis iis causâ data erant à Consulibus.*] Sic legit Savaro ex MSS. Sed contra Lambinus ac Schottus *dicis causâ* legunt: quod magis pr b , nam hæc antiqua loquendi formula *dicis causâ, dicis gratiâ*; Gallicè, *par maniere d'acquit.* Quia Brutus & Cassius per speciem & nomen provinciarum è Rep. remoti fuerant, & veluti exulati. Sic etiam loquitur Cic. lib. 1. epist. 18. ad Atticum, pro Muræna, & alibi.

consulibus, desperatis rebus, in exilium proficiscerentur. Atticus, qui pecuniam simul cum cæteris conferre noluerat, florenti illi parti,[35] abjecto Bruto, Italiáque cedenti HS. centum millia muneri misit: eidem in Epiro absens CCC· jussit dari: neque eo magis [36] potenti adulatus est Antonio, neque desperatos reliquit. [37] Secutum est bellum gestum apud Mutinam, in quo si tantùm eum prudentem dicam; minùs, quàm debeam, prædicem; cum ille potius divinus fuerit; si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas: quæ nullis casibus augetur, neque minuitur. [38] Hostis Antonius judicatus, Italiâ cesserat; spes restituendi nulla erat. Non solùm [39] ejus inimici, qui tum erant potentissimi, & plurimi, sed etiam amici [40] adversariis ejus se dabant; & in eo lædendo se aliquam consecuturos sperabant commoditatem, familiares insequebantur, uxorem Fulviam omnibus rebus spoliare cupiebant, liberos etiam extinguere parabant. Atticus, cum Ciceronis intimâ familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto, non modò nihil iis indulsit ad Antonium violandum, sed è contrario familiares ejus, ex urbe profugientes, quantùm potuit, texit; quibus rebus indiguerunt, adjuvit: [41] P. verò Volumnio ea tribuit, ut plura à parente proficisci non potuerint. Ipsi autem Fulviæ, cum litibus distineretur, magnisque terroribus vexaretur, tantâ diligentiâ officium suum præstitit, [o] ut nullum illa stiterit vadimonium sine Attico, sponsor omnium rerum fuerit; quin etiam, [p] cum illa fundum secundâ fortunâ emisset in diem; neque post calamitatem versuram facere potuisset, ille se interposuit; pecuniamque sine fœnere, sinéque ulla stipulatione credidit, maximum existimans quæstum, memorem gratúmque cognosci, simulque aperire, se non fortunæ, sed hominibus solere esse amicum: quæ cum faciebat, nemo eum

INTERPRETATIO.

o *Ut nulla nusquam in judicium venerit absente Attico.*

p *Cum hac prædium in prosperitate emisset certo tempore solvendum; nec adversante fortunâ ab alio solvere valuisset.*

NOTÆ.

35 *Abjecto Bruto.*] Reflante fortunâ prostrato.

36 *Potenti adulatus est Antonio.*] Quia tunc Antonius supremam rerum administrationem cum Lepido invaserat.

37 *Secutum est bellum gestum apud Mutinam.*] Cujus belli causa fuit testamentum Cæsaris. Vide Florum lib. 4. c. 4. Hoc autem inter Antonium & Octavium Cæsarem tum juvenem motum est. Mutina verò urbs est Galliæ Cisalpinæ, nunc vulgò, *Modene.*

38 *Hostis Antonius judicatus.*] Causam hujus judicii accipe à Cic. Philip. 2.

39 *Ejus inimici.*] Ex quorum numero acerrimus fuit Cicero.

40 *Adversariis ejus se dabant.*] pro, *cedebant.*

41 *P. verò Volumnio.*] Is inter Antonii familiarissimos erat, qui & Eutrapelus dicebatur præfectus fabrûm, de quo Cic. epist. 26. lib. 9.

temporis caussâ facere poterat existimare. Nemini enim in opinionem veniebat, Antonium rerum potiturum. Sed sensus ejus à nonnullis optimatibus reprehendebatur, quòd parùm odisse malos cives videretur, [q] ille autem sui judicii, potiùs, quid se facere par esset, intuebatur, quàm quid alii laudaturi forent. Conversa fortuna est: ut Antonius rediit in Italiam, nemo non magno in periculo Atticum putarat, propter intimam familiaritatem Ciceronis & Bruti. Itaque ad adventum Imperatorum de foro decesserat, [42] timens proscriptionem: latebatque apud P. Volumnium, cui, ut ostendimus paulò antè, opem tulerat. Tanta varietas in his temporibus fuit fortunæ, ut modò hi, modò illi in summo essent aut fastigio, aut periculo. Habebat secum [43] Gellium Canium, æqualem, simillimúmque sui. Hoc quoque sit Attici bonitatis exemplum, quòd cum eo, [r] quem puerum in ludo cognorat, adeò conjunctè vixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creverit. Antonius autem, etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solùm ei, sed etiam omnibus suis amicis esset inimicus, eósque vellet proscribere; multis hortantibus tamen, Attici memor fuit officii: & ei, cum requisisset, ubinam esset, suâ manu scripsit, ne timeret, statimque ad se veniret: se eum, & Gellium Canium de proscriptorum numero exemisse, ac, ne quod periculum incideret, quod noctu fiebat, præsidium ei misit. [ſ] Sic Atticus in summo timore non solùm sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, præsidio fuit; [t] neque enim suæ solùm à quoquam auxilium petiit salutis, sed conjunctim, ut appareret nullam sejunctam sibi ab eo velle fortunam. Quod si gubernator præcipuâ laude fertur, qui navem ex hyeme, marique scopuloso servat; cur non singularis ejus existimetur prudentia, qui ex tot, tamque gravibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit? quibus ex malis ut se emerserat, nihil aliud egit, quàm ut plurimis, quibus rebus posset, esset auxilio. [u] Cùm proscriptos præmiis Imperatorum vulgus

INTERPRETATIO.

q *Hic verò suo judicio nitens, quid æquum sibi faciendum esset, magis perpendebat.*

r *Qui à pueritiâ in scholis sibi notus fuerat.*

ſ *Hoc pacto Atticus se non tantùm à maximo metu, verùm etiam eum, quem summoperè diligebat, liberavit.*

t *Nec enim separatim quemquam suæ vitæ protectorem quæsivit.*

u *Cum plebs triumvirorum mercede illecta exules investigaret.*

NOTÆ.

42 *Timens proscriptionem.*) Hanc *Florus* Sullanam vocat ob immanem ejus crudelitatem. Et ea est quâ Cicero cum filio, fratre, fratrísque filio, omnibus denique clientibus, & amicis proscriptus est.

43 *Gellium Canium.*]Quidam *Canum*, non *Canium* legunt; sed tamen sic scribit Martialis, lib. 1.

Gaudent jocosa Canio suo Gades.

conquireret, nemo in Epirum venit, cui res ulla defuerit. Nemini non ibi perpetuò manendi potestas facta est: quin etiam, [44] post prælium Philippense, interitúmque C. Cassii, & M. Bruti, L. Julium Mocillam prætorium, & filium ejus, Aulúmque Torquatum, cæterósque pari fortunâ perculsos instituerit tueri, atque ex Epiro iis omnia Samothraciam supportari jusserit: difficile enim est omnia persequi, & non necessaria. Illud unum intelligi volumus, [x] illius liberalitatem neque temporariam, neque callidam fuisse. Id ex ipsis rebus, ac temporibus judicari potest, [y] quòd non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit: qui quidem [45] Serviliam Bruti matrem non minùs post mortem ejus, quàm florentem, coluerit. Sic liberalitate utens, nullas inimicitias gessit, quòd neque lædebat quemquam; neque, si quam injuriam acceperat, non malebat oblivisci, quàm ulcisci. [z] Idem immortali memoriâ præcepta retinebat beneficia, quæ autem ipse tribuerat, tamdiu meminerat, quoad ille gratus erat, qui acceperat. Itaque hic fecit, ut verè dictum videatur, [aa] SUI CUIQUE MORES FINGUNT FORTUNAM. Neque tamen priùs ille fortunam, quàm se ipse, finxit, qui cavit, [46] ne quâ in re plecteretur. His igitur rebus effecit, [47] ut M. Vipsanius Agrippa, intimâ familiaritate conjunctus adolescenti Cæsari, cùm propter suam gratiam, & Cæsaris potentiam [bb] nullius conditionis non haberet potestatem, potissimum ejus diligeret affinitatem, præoptaréque equitis R. filiam generosarum nuptiis; atque harum nuptiarum conciliator fuit (non enim est celandum) M. Antonius Tri-

INTERPRETATIO.

x *Hujus munificentiam nec temporis causâ factam, nec captatricem extitisse.*
y *Quod potentibus non obsecutus est.*
z *Idem perpetuò beneficiorum à se ante acceptorum recordabatur.*
aa *Quisque sibi pro moribus suis fortunam statuit.*
bb *Penes eum omne conjugium esset.*

NOTÆ.

44 *Post prælium Philippense.*] In quo Brutus & Cassius interfectores J. Cæsaris perierunt, & pœnas cædis ejus dederunt.

45 *Serviliam Bruti matrem.*] Hæc erat soror Catonis Uticensis, eamque Julius Cæsar adolescens amaverat, unde quidam crediderunt Brutum à Julio Cæsare genitum fuisse. Vide Plutarchum & Suetonium.

46 *Ne quâ in re plecteretur.*] Addunt quidam ex manuscriptis, *jure plecteretur*, quod Nepotis menti conformius est, ut legenti cuilibet patebit.

47 *Ut M. Vipsanius Agrippa.*] Hic, ut fert Seneca epist. 21. Attici gener erat, atque tres habuit uxores, quarum prima Pomponia Attici filia, altera Marcella Octaviæ filia, tertia Julia Aug. Cæsaris, ex quâ Caium & Lucium Cæsares, Posthumum Agrippam, Agrippinam & Juliam habuit; Dux quoque belli peritissimus fuit, de quo Virg. lib. 8. Æneid.

Parte alia ventis, & Diis Agrippa secundis
Arduus agmen agens, cui belli insigne superbum
Tempora navali fulgent rostrata corona.

umvir Reip. constituendæ; cujus gratiâ cùm augere possessiones posset suas, tantùm afuit à cupiditate pecuniæ, ut nullâ in re usus sit eâ, [cc] nisi in deprecandis amicorum, aut periculis, aut incommodis: [48] quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit. Nam cùm L. Saufei, equitis R. æqualis sui, qui cum complures annos, studio ductus philosophiæ habitabat Athenis, habebâtque in Italiâ pretiosas possessiones, Triumviri bona vendidissent, consuetudine eâ, quâ tùm res gerebantur; Attici labore atque industriâ factum est, ut eodem nuntio Saufeius fieret certior, se patrimonium amisisse, & recuperasse. Idem L. Julium Calidium, quem [49] post Lucretii, Catullique mortem multò elegantissimum poëtam, nostram tulisse ætatem, verè videor posse contendere; neque minùs virum bonum, optimisque artibus eruditum, post proscriptionem Equitum, propter magnas ejus Africanas possessiones, in proscriptorum numerum à P. Volumnio, [50] præfecto fabrûm Antonii, absentem relatum, expedivit; quod in præsenti utrum ei laboriosius an gloriosius fuerit, difficile fuit judicare, quod in eorum periculis non secus absentes, quàm præsentes amicos Attico esse curæ, cognitum est. Neque verò minùs ille vir, bonus paterfamilias habitus est, quàm civis. Nam cùm esset pecuniosus, [51] nemo illo minus fuit emax, minus ædificator. [dd] Neque tamen non in primis bene habitavit, omnibúsque optimis rebus usus est; nam domum habuit [52] in colle Quirinali [53] Tamphilianam, ab avunculo hereditate relictam, cujus amœnitas non ædificio, sed silvâ constabat: [ee] ipsum enim tectum, antiquitùs constitutum, plus salis, quàm sumptus, habebat; in quo nihil commutavit, nisi si quid ve-

INTERPRETATIO.

cc *Nisi ut ab amicis aut pericula, aut incommoda propulsaret.*

dd *Et tamen inter optimates commodas ædes habuit.*

ee *Nam ipsa domus ab antiquo structa; plus venustatis, quam impensæ, exhibebat.*

NOTÆ.

48 *Quod quidem sub ipsa proscriptione perillustre fuit.*] Quia cum æmulatione, & certatim proscriptorum bona tunc temporis ab omnibus triumvirorum amicis postulabantur, quod recusavit Atticus.

49 *Post Lucretii Catullique mortem.*] Lucretius Poëta insignis & Philosophus Epicureus, qui scripsit de rerum naturâ libros sex. Catullus verò Veronensis Poëta mordax & lascivus, qui vixit Syllæ & Marii temporibus, de quo Ovid. 2. Tristium:

Sic sua lascivo cantata est sæpe Catullo
Femina.

50 *Præfecto fabrûm.*] Ille erat qui fabris, eorumque operibus & machinis quibus maximè in bellis opus est, præerat.

51 *Nemo illo minùs fuit emax, minus ædificator.*] Ex publicâ Attici vitâ ad privatam transit Nepos, cujus sententiæ subscribit Cic. parad. 6. his verbis; *Non esse emacem vectigal est.* Et Lacones, si cui mala imprecabantur, quatuor ipsi accidere optabant, quorum primum erat ædificandi desiderium: locus extat apud Suidam.

52 *In colle quirinali.*] Unus ex 7. urbis Romæ montibus, est in 6. regione, statim post templum Quirini.

53 *Tamphilianam.*] Sic dictam à quodam Tamphilo Rom.

tustate coactus est. Usus est familiâ, si utilitate judicandum est, optimâ; si formâ, vix mediocri. Namque in eâ erant pueri literatissimi [ff] [54] anagnostæ optimi, & plurimi librarii; ut ne pedisequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulchrè facere posset. Pari modò artifices ceteri, quos cultus domesticus desiderat, apprimè boni. Neque tamen horum quenquam, nisi dominatum, domique factum, habuit: quod est signum non solùm continentiæ, sed etiam diligentiæ. Nam & non intemperanter concupiscere, quod à pluribus videas, continentis debet duci; & diligentia, quàm pretio, parare, non mediocris est industriæ. Elegans non magnificus; splendidus, non sumptuosus; omni diligentiâ munditiam non affluentem affectabat. [55] Supellex non modica, non multa; [gg] ut in neutram partem conspici posset. Nec hoc præteribo (quanquam nonnullis leve visum iri putem) cùm in primis lautus esset eques R. & non parùm liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret; scimus non ampliùs, [56] quam terna millia æris peræquè in singulos menses [57] ex ephemeride eum expensum sumptui ferre solitum: atque hoc non auditum, sed cognitum prædicamus. Sæpe enim, propter familiaritatem, domesticis rebus interfuimus. [hh] Nemo in convivio ejus [58] alius ἀκρόαμα audivit, [59] quàm anagnosten: quod nos quidem jucundissimum arbitramur: neque umquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est; [60] ut non minùs animo, quàm ventre, convivæ delectarentur; namque eos vocabat, quorum mores à suis non abhorrerent. Cùm tanta pecuniæ facta esset accessio, nihil de quoti-

INTERPRETATIO.

ff *Lectores peritissimi, & amanuenses multi.*

gg *Ut nec quid sordidi, nec quid superflui videri valeret.*

hh *Nullus ex ejus convivis alium recitantem audivit, quàm lectorem.*

NOTÆ.

54 *Anagnostæ optimi.*] Hi erant lectores apud Romanos.

55 *Supellex modica, non multa.*] Id est, modo, non copiâ æstimanda.

56 *Quàm terna millia æris.*] Mille æris tunc temporis 250. sestertios, denarios 62 faciebat. Vide Gronovium lib. 3. de pecunia vetere.

57 *Ex Ephemeride.*] Id est, ex libello seu commentario quotidianarum expensarum, & erogationum.

58 *Alius ἀκρόαμα audivit.*] Partim seriis, partim jocosis recitationibus, adjunctis etiam Cantorum & Tibicinum modulis constabant ἀκροάματα. Vide Plurarchum in Symposio, Macrobium & Athenæum.

59 *Quàm anagnosten.*] Is est, qui recitat.

60 *Ut non minus animo, quàm ventre convivæ delectarentur.*] Unde Cic. in Catone majore: *Neque*, inquit, *ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quàm cœtu amicorum, & sermonibus metiebar, &c.* Antiquissimus autem mos ille fuit, ut inter cœnandum recitaretur aliquid, ut patet ex Macrobio lib. 1. Saturn. ex Gellio lib. 3. c. 2. & ex multis aliis.

diano cultu mutavit, nihil de vitæ consuetudine: tantáque usus est moderatione, [ii] ut neque in HS. vicies, quod à patre acceperat, parùm se splendide gesserit, neque in HS. centies affluentibus vixerit, quàm instituerat, paríque fastigio steterit in utraque fortunâ, nullos habuerit hortos, [61] nullam suburbanam, aut maritimam sumptuosam villam; neque in Italiâ, [62] præter Ardeatinum, & Nomentanum, rusticum prædium: omnisque ejus pecuniæ reditus constabat [63] in Epiroticis, & urbanis possessionibus; ex quo cognosci potest, eum usum pecuniæ, non magnitudine, sed ratione metiri solitum. Mendacium neque dicebat, neque pati poterat. Itaque ejus comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarent. Quidquid rogabatur, religiosè promittebat; quòd non liberalis, sed levis arbitrabatur, polliceri, quod præstare non posset. Idem in nitendo quod semel admisisset, tanta erat cura, ut non mandatum, sed suam rem videretur agere. nunquam suscepti negotii eum pertæsum est; suam enim existimationem in eâ re agi putabat quâ nihil habebat carius; quo fiebat, ut omnia Marci & Quincti Ciceronum, Catonis, Marii, Q. Hortensii, A. Torquati, multorum præterea Equitum Romanorum negotia procuraret: ex quo judicari poterat, non inertiâ, sed judicio fugisse Reipub. procurationem. Humanitatis verò nullum afferre majus testimonium possum, [64] quàm quòd adolescens idem seni Sullæ fuerit jucundissimus, senex adolescenti M. Bruto, cum æqualibus autem suis Q. Hortensio, & M. Cicerone sic vixerit, ut judicare difficile sit, cui ætati fuerit aptissimus: quamquam eum præcipuè dilexit Cicero, ut ne frater quidem ei Quinctus carior fuerit, aut familiarior. Ei rei sunt indicio, præter eos libros; in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt editi, [65] sexdecim volumina epistolarum ab

INTERPRETATIO.

ii *Ut nec in viginti sestertium millibus sibi à patre relictis.*

NOTÆ.

61 *Nullam suburbanam, aut maritimam sumptuosam villam.*] Huic opinioni videtur repugnare Cic. lib. 1. ad Atticum, ubi sic habet: *Ego te arbitror casis apud Amaltheam tuam victimis statim esse ad Sicyonem oppugnandum profectum.* Et rursus ibidem; *Velim ad me scribas cujusmodi sit* Ἀμαλθεῖον *tuum*, *&c.* Unde deducimus Pomponium habuisse villam sumptuosam & magnificam.

62 *Præter Ardeatinum & Nomentanum.*] Ardeam Dauni Regis Rutulorum regiam fuisse ex Virg. 10. Æneid. discimus, quæ in decimo octavo ab Urbe milliario posita erat, & inter Rom. Colonias annumerat Livius; unde Ardeatinum prædium. Nomentum verò Latinorum urbs mediterranea, nunc vulgò *Lamentana*, unde Nomentana via.

63 *In Epiroticis.*] Huic opinioni subscribit Cic. lib. 1. Epist. his verbis: *Epiroticam emptionem gaudeo tibi placere.*

64 *Quam quod adolescens idem seni Sulla.*] Quâ de re paulò supra.

65 *Sexdecim volumina Epist.*] Quicquid olim circumvolvi solebat in chartâ, aut scripto codice, volumen dicebatur; id autem patet ex 16. Epist. lib. ad Atticum.

Consulatus

Consulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum missarum: quæ qui legat, [kk] non multùm desideret historiam contextam eorum temporum: sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, ac mutationibus Reip. perscripta sunt, ut nihil in his non appareat; & facilè existimari possit, prudentiam quodam modo esse divinationem. non enim Cicero ea solùm, quæ vivo se acciderunt, [66] futura prædixit, sed etiam, quæ nunc usu veniunt, cecinit, ut vates. De pietate autem Attici quid plura commemorem? dum hoc ipsum verè gloriantem audierim in funere matris suæ, quàm extulit annorum nonaginta, cùm esset septem, & sexaginta, se numquam cum matre in gratiam rediisse, nunquam cum sorore fuisse in simultate, [ll] [67] quam prope æqualem habebat. Quod est signum, aut nullam umquam inter eos querimoniam intercessisse, aut hunc eâ fuisse in suos indulgentiâ, ut, quos amare deberet, irasci eis, nefas duceret. Neque id fecit natura solùm ([68] quamquam omnes ei paremus) sed etiam doctrina. Nam & principum philosophorum ita percepta habuerat præcepta, ut his ad vitam agendam, [69] non ad ostentationem, uteretur. Moris etiam majorum summus imitator fuit, antiquitatisque amator: quam adeò diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, [70] quo magistratus ornavit. Nulla enim lex, neque pax, neque bellum, neque res illustris est populo R. quæ non in eo suo tempore sit notata: &, quod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus co-

INTERPRETATIO.

kk *Implicitam hujus sæculi historiam non valdè ignoret.*

ll *Quæ illi ferè coæva erat.*

NOTÆ.

66 *Futura prædixit.*] Multa sanè hic afferri possent exempla, quibus Ciceronem futura prædixisse probetur, quæ quidem exempla passim in epist. ejus legentibus occurrunt; sed illud instar omnium erit, quod ex Philippica 2. excerptum est, ubi M. Antonio futuram ejus perniciem prædicit his verbis: *Quis autem meum consulatum præter P. Clodium, qui vituperaret, inventus est? Cujus quidem te fatum, sicuti C. Curionem manet; quoniam id domi tua est, quod fuit illorum utrique fatale.*

67 *Quam prope æqualem habebat.*] Quidam legunt *ætate æqualem.*

68 *Quamquam ei paremus.*] Sic Chrysippus: τὸ τέλος εἶναι ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν. Et Seneca de vita beata c. 3. Interim, quod inter omnes Stoïcos convenit, rerum naturæ assentire, ab illa non deerrare, & ad illius legem exemplumque formari, sapientia est.

69 *Non ad ostentationem.*] Eorum instar, de quibus D. Hieronymus epist. 34. Philosophus gloriæ animal, & popularis auræ vile mancipium.

70 *Quo magistratus ornavit.*] Vossius censet legendum esse *ordinavit* 1. de hist. Latina 2. De eo autem Attici volumine sic loquitur Cic. in Bruto. Eam utilitatem habuit Attici liber, quam requirebam, ut explicaris ordinibus temporum, uno conspectu omnia viderem. Vide eumdem ibidem paulo post, & epist. 23. lib. 12. ad Atticum.

gnoſcere. Fecit hoc idem ſeparatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu, [71] Juniam familiam à ſtirpe ad hanc ætatem ordine enumeravertit, notans, qui à quoque ortus, quos honores, quibúſque temporibus cepiſſet. Pari modo [72] Marcelli Claudii, de Marcellorum; [73] Scipionis Cornelii, & Fabii Maximi, de Corneliorum [74] Fabiorum, & [75] Æmiliorum: quibus libris nihil poteſt eſſe dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorum. Attigit quoque poëticen, credimus, ne ejus expers eſſet ſuavitatis. Namque verſibus, qui honore, rerum geſtarum amplitudine cæteros Romani populi præſtiterunt, expoſuit, ita, ut ſub ſingulorum imaginibus facta, magiſtratuſque eorum non ampliùs quaternis, quinisve verſibus deſcripſerit: quod vix credendum ſit, tantas res tam breviter potuiſſe declarari. [76] Eſt etiam unus liber Græcè confectus de conſulatu Ciceronis. Hactenus, Attico vivo, edita à nobis ſunt: nunc, quoniam fortuna nos ſuperſtites ei eſſe voluit, reliqua perſequemur: & quantum poterimus, rerum exemplis lectores docebimus, ſicut ſupra ſignificavimus, *ſuos cuique mores plerumque conciliare fortunam.* Namque hic contentus ordine Equeſtri, quo erat ortus, in affinitatem pervenit Imperatoris; [mm] [77] Divi filii, cùm jam ante familiaritatem ejus eſſet conſecutus, nullâ aliâ re, quàm elegantiâ vitæ, quâ cæteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, fortunâ humiliore; tanta enim proſperitas Cæſarem eſt conſecuta, ut nihil ei non tribueret fortunâ, quod cuiquam ante detulerit, & conciliarit, quod civis Romanus quivit conſequi.

INTERPRETATIO.

mm *Julii Cæſaris filii.*

NOTÆ.

71 *Juniam familiam à ſtirpe.*] Gens Junia una eſt ex nobiliſſimis quæ à Trojanis & Ænea originem ſumpſerunt, ex quâ Brutus fuit, cujus rogatu Atticus de eâ ſtirpe ſcripſit, ab ejus Antiqui Bruti tertio filio, qui fratrum conjurationis expers fuit, quique una cum patre reges ejecit, originem ducens, ut ait Cic. Tuſc. Quæſt. 4. & Philippicâ 1. Huic tamen ſententiæ refragatur Dionyſius lib. 4.

72 *Marcelli Claudii, de Marcellorum.*] Vide Plutarchum, Poſidonium, & Livium, inter quos Plutarchus Marcellum à Marte deducit.

73 *Scipionis Cornelii, & Fabii Maximi de Corneliorum.*] Certum eſt apud omnes hiſtoricos Gentem Corneliam ampliſſimam, & nobiliſſimam omnium eſſe, ſive dignitatem, ſive res præclarè geſtas conſideremus. Vide C. Sigonium in ſuo Scipione Æmiliano, & Streinium de Gente Corneliâ.

74 *Fabiorum.*] Qui ſuam originem ad Fabium Herculis filium referunt. Plutarchus in Maximo. Vide eumdem Streinium de Gente Fabiâ.

75 *Æmiliorum.*] Qui ſimiliter ab Æmilio Aſcanii filio ſe ortos credebant: Feſtus. Plutarchus verò eos à Mamerco Numæ Regis filio natos fuiſſe ſcribit. Unde Æmilii dicti ſunt & Mamertini.

76 *Eſt etiam unus liber Græcè confectus.*] De hoc à principio in Attico.

77 *Divi filii.*] Inſerendum eſt, *Julii*, ut legitur in aliis, qui Auguſtus eſt.

[78] Nata autem est Attico neptis ex Agrippâ, cui virginem filiam collocavit. Hanc Cæsar [nn] vix anniculam [79] Ti. Claudio Neroni, Drusilla nato, privigno suo, despondit, quæ conjunctio [80] necessitudinem eorum sanxit, familiaritatem reddidit frequentiorem. Quamvis ante hæc sponsalia non solùm cùm ab urbe abesset, numquam ad suorum quemquam literas misit, [81] quin Attico mitteret, quid ageret; in primis, quid legeret, quibusque in locis, & quàm diu esset moraturus: sed &, cùm esset in urbe, & propter suas infinitas occupationes minùs sæpè, quàm vellet, Attico frueretur, nullus dies temerè intercessit, quo non ad eum scriberet, quo non aliquid de antiquitate ab eo requireret; modò aliquam quæstionem poëticam ei proponeret; interdum jocans ejus verbosiores eliceret epistolas: ex quo accidit, [82] cum ædes Jovis Feretrii in Capitolio, ab Romulo constituta, vetustate atque incuria detecta prolaberetur, ut Attici admonitu Cæsar eam reficiendam curaret. Neque verò à M. Antonio minùs absens literis colebatur, adeò ut accuratè ille [83] ex ultimis terris quid ageret, quid curæ sibi haberet, certiorem faceret Atticum. Hoc quale sit, faciliùs existimabit is, qui judicare poterit, quantæ sit sapientiæ, eorum retinere usum benevolentiamque, inter quos maximarum rerum non solùm æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam fuit intercedere necesse inter Cæsarem, atque Antonium; cùm se uterque principem non solùm urbis Romæ, sed orbis terrarum esse cuperet. Tali modo [84] cùm septem, & septuaginta annos complesset, atque ad extremam senectutem non minus dignitate, quàm gratiâ

INTERPRETATIO.

nn *Vix annum habentem.*

NOTÆ.

72 *Nata est Attico neptis ex Agrippa.*] HancAgrippinam vocat Suetonius in Tiberio c. 7. Hanc tamen Tacitus Vipsaniam vocat.

79 *Tiberio Claudio Neroni, Drusilla nato.*] Is Tiberius Imperator fuit, & successor Augusti Cæsaris,& privignus ejus; Drusilla verò dicta est, quæ & Livia Imperatrix, & uxor ejusdem Augusti, nec non Tiberii mater.

80 *Necessitudinem eorum sanxit.*]Quidam legit *auxit*, quia jam Cæsarem inter & Atticum necessitudo erat, quæ hac affinitate adaucta est.

81 *Quin Attico mitteret.*] Id est, scriberet seu nunciaret.

82 *Cum ædes Jovis Feretrii in Capitolio.*] Hoc templum à Romulo conditum fuit, ex spoliis hostium, sic dictum, teste Livio lib. 1. quia hostium Rege occiso, spolia ejus suspensa, fabricato ad id aptè Feretro gerens, in Capitolium ascendit, & ejus templi fines designavit, & sub nomine Jovis Feretrii construxit.

83 *Ex ultimis terris.*] Id est, ut interpretatur Manucius, *ex Ægypto*. Alii legunt, *exul tum his terris*; quia hostis judicatus Antonius Italiâ cesserat; sed hanc lectionem minùs probo.

84 *Cum septem & septuaginta annos complesset.*]Nimirum anno ab Urbe Condita ıɔccxxı. Cn. Domitio & C. Sosio Coss. anno xı. post mortem Ciceronis, ut dicetur postea.

fortunáque crevisset (multas enim hæreditates nullâ aliâ re, quàm bonitate, consecutus) tantáque prosperitate usus esset valetudinis, ut annis xxx. medicinâ non indiguisset: nactus est morbum, quem initio & ipse, & medici contempserunt: oo [85] nam putarunt esse τεινεσμόν: cui remedia celeria, faciliáque proponebantur. In hoc cùm tres menses sine ullis doloribus, præterquam, quos ex curatione capiebat, consumpsisset, subitò tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit, at hoc priùs quàm ei accideret, postquam in dies dolores accrescere, febrésque accessisse sensit; Agrippam generum ad se arcessiri jussit, & cum eo [86] L. Cornelium Balbum Sextúmque Peducæum. Hos ut venisse vidit, in cubitum innixus. *Quantam*, inquit, *curam diligentiámque in valitudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cùm vos testes habeam, nihil necesse pluribus verbis commemorare: quibus quoniam, ut spero, satis feci, me nihil reliqui fecisse, quod ad sanandum me pertineret, reliquum est, ut egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui, nam* [87] *mihi stat, alere morbum desinere. Namque his diebus quicquid cibi sumpsi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores, sine spe salutis. Quare à vobis peto, primùm, ut consilium probetis meum; deinde ne frustra dehortando conemini.* Hâc oratione habitâ, tantâ constantiâ vocis atque vultus, ut non ex vitâ, sed ex domo in domum videretur migrare; cùm quidem Agrippa eum flens, atque osculans oraret atque obsecraret, *ne ad id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi accelleraret*; pp &, *quoniam tum quoque posset temporibus superesse, se sibi, suisque reservaret*; [88] preces ejus taciturnâ suâ obstinatione depressit. Sic cùm biduum cibo se abstinuisset, subitò febris decessit, leviórque morbus esse cœpit: tamen propositum nihilo seciùs peregit. Itaque die quinctо postquam id consilium inierat, pridie Kal. April. Cn. Domitio, C. Sosio Coss. decessit.

INTERPRETATIO.

oo *Existimarunt enim levem esse dissenteriam.*

pp *Et quia tunc etiam aliquandiu vitam producere posset.*

NOTÆ.

85 *Nam putarunt esse Tenesmon.*] Hic morbus est dyssenteriæ affinis, & veluti prænuncius, estque crebra & inanis voluntas egerendi, ut refert Plin. lib. 28. hist. Natur.

86 *L. Cornelium Balbum, Sextumque Peducæum.*] Attici familiarissimos, quorum alter, scilicet Balbus, genere Gaditanus erat, quem, cùm de civitate in periculum vocaretur, Cicero defendit, cujus extat oratio. Alter verò prætor fuit.

87 *Mihi stat alere morbum desinere.*] Cibum sumendo, & vitam prorogando.

88 *Preces ejus taciturna sua obstinatione depressit.*] In aliis, compressit, quod idem videtur atque cohibuit. Sicut, *os alicui comprimere; empêcher de parler quelqu'un.*

[89] Elatus est in lecticula, ut ipse præscripserat, [90] sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maximâ vulgi frequentiâ. [91] Sepultus est juxta viam Appiam, [92] ad quinctum lapidem, in monumento Q. Cæcilii avunculi sui.

Notæ.

89 *Elatus est lecticula.*) Honestioris conditionis mortui lecticâ hexaphoro efferebantur: at inferioris sortis Sandapilâ, cui subjuncti homines 4. Vide Martialem, lib. 8.

90 *Sine ulla pompa funeris.*) Sic Tacitus 3. Annal. *fuerunt qui funeris publici pompam requirerent.*

91 *Sepultus est juxta viam Appiam.*) Quam Appius Claudius Consul lapidibus stravit, juxta quam celebriora erant Romanorum sepulchra; vide Cic. in Milone.

92 *Ad quintum lapidem.*) Nam tunc temporis in urbe sepeliri vetitum lege 12. Tabularum, quam legem his verbis refert Cic. 11. de legibus: *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.*

Hactenus de vitis Virorum Illustrium Cornelii Nepotis.





CORNELII NEPOTIS

FRAGMENTA

CHRONICORUM LIB. I.

1 IXIT Homerus ante Romam conditam annis circiter C & L X. *Agell. Noct. Attic. l.* XVII. *c.* XXI.

[2] Roma condita Olympiadis Septimæ anno ſecundo. *Solinus Polyiſtoris cap.* II.

[3] Archilochus Tullo Hoſtilio Romæ regnante jam tunc Poëmatis clarus & nobilis. *Agell.* XVII. *cap.* XXI.

NOTÆ.

1 VIXIT *Homerus ante Romam conditam annis circiter* C. *&* LX.] Homerum & Heſiodum vixiſſe longè ante conditam Romam patet ex his Gellii verbis: *De Homero & Heſiodo inter omnes ferè conſtitit, utrumque ante Romam conditam vixiſſe Silviis, Alba regnantibus, annis poſt bellum Trojanum plus C. & LX. ante Romam autem conditam, ut Corn. Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter C. & LX.* Porrò Homerum ἄριστον καὶ θειότατον τῶν ποιητῶν vocat Plato. Vide Herodotum qui vitam ejus ſcripſit. Præterea Solinus cum Nepote conſentit in eo annorum numero, quibus ſuffragantur ferè omnes Latini ſcriptores, ex quorum præſertim numero ſunt Plin. lib. 7. c. 16. qui ſcribebat anno Urbis octogenteſimo trigeſimo : Juvenalis qui ſcripſit ab initio Imperii Nervæ, poſt Plinium circiter 20. annis : Et Velleius Paterc. qui annos ferè nongentos & quinquaginta ante ipſius ætatem floruiſſe Homerum tradit. lib. 1. c. 5. Sed longe major eſt diſcordia eâ de re inter ſcriptores Græcos: Alii enim belli Trojani temporibus vixiſſe aiunt: Alii C. annis abfuiſſe à Troïcis temporibus: Alii C. quadraginta: Alii etiam C. ſexaginta octo, ut Herodotus qui ejus vitam ſcripſit, ut ſuprà diximus. Sed malim cum ſcriptoribus Latinis ſequi Apollodorum Athenienſem, qui anno centeſimo migrationis Ionicæ floruiſſe ait, quod recidit in eum annum quem aſtruimus.

2 *Roma condita eſt Olympiadis Septimæ anno ſecundo.*] Anno primo, non ſecundo Olympiadis Septimæ conditam fuiſſe teſtari videtur Solinus c. II. his verbis: *Quapropter cum octingenteſimo primo anno Urbis conditæ ducenteſima ſeptima Olympias computetur, par eſt Romam ſeptima Olympiadis anno primo credi conditam.* Et Dionyſius lib. 1. Jornandes ſimpliciter ſeptimam dicit, non expreſſo anno. Alii aliter cenſent. Hanc conditam fuiſſe ipſis Palilibus, id eſt, XI. Cal. Maii, Sole in Tauro, Lunâ in Libra conſtitutis, quidam ſcriptores prodiderunt; quo ſenſu intelligenda ſunt iſta Ciceronis verba, lib. 2. de Divin. c. 98. Taruntius Romam, quum eſſet in Jugo Luna, natam eſſe dicebat.

3 *Archilochus Tullo Hoſtilio Roma regnante jam tunc Poëmatis clarus, & nobilis.* Agell. XVII. c. XXI.] De tempore quo vixit Archilochus ſcriptores non conſentiunt. Cic. eum regnante Romulo vixiſſe refert, id eſt, quadraginta quatuor, aut circiter annos ante tempus à Nepote deſignatum. Porrò eum clariſſimum Poë-

[1] M. Manlius Romæ, qui Gallos in obsidione Capitolii obrepentes per ardua depulerat, convictus est consilium de regno occupando iniisse: damnatusque capitis, è Saxo Tarpeio, ut M. Varro ait, præceps datus est: ut Cornel. autem Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est. *Ibid.*

[2] Alexander Magnus Pellæ ortus, M. Fabio Ambusto, Tito Quinctio Capitolino Coss. post Romam conditam anno trecentesimo octuagesimo quinto. *Solin. cap.* XLIII. *Polyistor.*

[3] P. Terentius Scipionis Africani & C. Lælii æqualis. *Donatus in Vitâ.*

CORNELII NEPOTIS.

Exemplorum Lib. II.

[4] A virgine Vestale, *Fl. Carisius lib.* I. *Gramm.*

LIB. V.

[5] Multis in Senatu placuit, ut qui captivorum Romanorum, ab Annibale redire nollent, datis custodibus ad Annibalem deducerentur: sed ex sententiâ numero plurium, quibus id non videretur superata: ii tamen qui ad Annibalem non rediissent, usque adeò detestabiles invisique fuerunt, ut tædium vitæ ceperint, necemque sibi consciverint. *Agell. lib.* VII. *cap.* 18.

CORNELII NEPOTIS.

Illustrium Virorum Lib. II.

Subinde. *Sosipater Caris. l.* 2. *p.* 80.

LIB. XV.

[6] Harum partum. *Ibid.*

NOTÆ.

tam fuisse patet præsertim ex his Paterculi verbis: *Neque quemquam alium, cujus operis primus auctor fuerit, in eo perfectissimum, præter Homerum, & Archilochum, reperiemus.*

1 *M. Manlius Romæ qui Gallos, &c.*] Is postea ob defensum Capitolium Capitolinus dictus est, & domum in Capitolio publicè accepit. Hunc tamen affectatæ tyrannidis postea damnatum è rupe Tarpeiâ præcipitem dederunt, domus diruta, & bona ejus publicata. Auctor de viris illustrib. Hunc non præcipitem datum, sed verberibus necatum refert Nepos.

2 *Alex. Magnus Pellæ ortus, &c.*] Pella Regni Macedonum Urbs primaria fuit, ad flumen Erigona, juxta Thessalonicum Sinum: unde Alexander Pellæus dicitur, Juvenalis:

Pellæo juveni totus non sufficit orbis.

3 *P. Terentius Scip. Africani & C. Lælii æqualis.*] Vide Cic. in Lælio, ubi Terentium familiarem suum vocat Lælius. Quis porrò Terentium ignorat omnium Poëtarum comicorum disertissimum, & purioris Latinitatis amantissimum, natione Afrum, patriâ Carthaginiensem.

4 *A virgine Vestale.*] Virgines Vestales Vestæ Deæ sacris, perpetuique ignis custodiæ dicatas nemo nescit. De iis vide Plutarchum in Numa.

5 *Multis in Senatu placuit, &c.*] Fidem & hostibus nostris datam servare tenemur: quâ de re vide Cic. offic. I.

6 *Harum partum.*] Pro *partium*; sicut, *Mensum*, pro, *Mensium*. Lege Vossium de Analog. II. 14.

LIB. XVI.

A Fratre Patruele, *Ibid.*

INCERTA QUO LIBRO VIRORUM ILLUSTR. POSITA.

[1] Carthago antea speciem habuit duplicis oppidi, quasi aliud alterum amplecteretur: cujus interior pars Byrsa dicebatur, [2] exterior Magalia. Hujus rei testis est Cornel. Nepos in eo libro, qui Vita Illustrium inscribitur. *Serv. in* 1. *Æn.*

[3] Propius Grammatico accessi. *Diomedes lib.* 1 *Gramm.*

[4] A. Albinus, qui cum L. Lucullo Consul fuit, res Romanas oratione Græcâ scriptitavit. In ejus Historiæ Principio scriptum est ad hanc sententiam: neminem succensere sibi convenire, si quid in his libris parum compositè aut minus eleganter scriptum foret: nam sum homo Romanus, natus in Latio: Græca oratio à nobis alienissima est: ideoque veniam gratiamque malæ existimationis, si quid esset erratum, postulavit. Ea cum legisset M. Cato: Næ tu, inquit, Aule, nimium nugator es, cum maluisti culpam deprecari, quam culpâ vacare. Nam veniam petere solemus, aut cùm imprudentes erravimus, aut cùm compulsi peccavimus. Tibi, inquit, oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod priusquam faceres, peteres ut ignosceretur. *Au. Gell. lib.* XI. *cap.* VIII. *Noct. Attic. & Macrob. præfat. Saturnal.*

CORNELII NEPOTIS LIB. I.
De Vitâ Ciceronis.

Cornelius Nepos, & rerum memoriæ non indiligens, & M. Ciceronis, ut qui maximè amicus familiarisque fuit: atque is ta-

NOTÆ.

1 *Carthago antea speciem habuit duplicis oppidi, &c.*) Virg. Carthaginem & Byrsam conjunxit, ut urbes vicinas: Byrsæ autem appellationem à Corio ductam esse volunt plurimi: quidam tamen Byrsam locum quemdam munitum esse volunt, quale est Romæ Capitolium, Athenis Acropolis; cui opinioni situs ipsius Byrsæ favere videtur; Byrsa enim erat interior pars urbis; & veluti Arx munitissima, ut refert ipse Nepos, hoc in loco. Adde quod Byrsa punicâ linguâ locus munitus dicebatur.

2 *Exterior Magalia.*) Magalia erant Afrorum Tuguria seu Casæ. Vide Servium in 4. Æneid. Ubi Magalia & Mapalia idem significare scribit: Palea enim, vel Pales Syris, est Agricola: hinc Mapalia deductum, proprium Agricolæ Tugurium. Quemadmodum & Magar, linguâ punicâ, villam significat. Unde Isidorus, Magalia, quasi, Magaria dicta fuisse refert: hincque fit ut Plautus in Pœnulo, Magaria, dixerit.

3 *Propius Grammatico accessi.*)Sic Cic. lib. 1. epist. 14. ait, proximus Pompeio sedebam.

4 *A. Albinus qui cum L. Lucullo Consul fuit, &c.*) De eodem Aulo Albino loquitur Tullius de Claris 81. his verbis. Albinus, is qui Græcè scripsit historiam, & Arad. 137. Albinus homo doctus. P. Scipione, & M. Marcello Coss. Græcè historiam scripsit.

men

men in primo libro, quos de vitâ illius composuit, [1] erraſſe videtur, cùm eum ſcripſit tres & viginti annos natum primam cauſam judicii publici egiſſe: Sextumque Roſcium parricidii reum defendiſſe. *Agell. lib.* xv. *Noct. Attic. cap* xxviii.

Tullius, me præſente, iiſdem penè verbis, quibus edita eſt; eam [2] pro Cornelio ſeditioſo Tribuno defenſionem peroravit. *D. Hieronym. Epiſt.* LXXI. *ad Pammach.*

CORNELII NEPOTIS,
Lib. I. Epiſtolarum ad Ciceron.

[3] Tantum abeſt ut ego Magiſtram eſſe putem vitæ Philoſophiam, beatæque vitæ perfectricem; ut nullis magis exiſtimem opus eſſe Magiſtris vivendi, quàm pleriſque, qui in eâ diſputando verſantur: Video enim magnam partem eorum, qui in Scholâ de pudore & continentiâ præcipiant argutiſſimè, eoſdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere. *Lactant. lib.* III. *cap.* xv. *Divin. Inſtit.*

M. TULLII CICERONIS AD CORNELIUM NEPOTEM.

Epiſtolarum Lib. II.

[4] Itaque noſtri, cùm omnia quæ dixiſſemus, dicta eſſent: quæ facetè & breviter & acutè locuti eſſemus, eo proprio nomine appellari dicteria voluerunt. *Macrob. lib.* II. *cap.* I. *Saturn.*

Ad eundem ex libro incerto.

[5] Hoc reſtiterat etiam, ut à te fictis aggrederer donis. *Priſcian. lib.* VIII. *Gramm.*

NOTÆ.

1 *Erraſſe videtur, &c.*] Quinctilianus lib. 12. c. 6. ſcribit Cic. ſeptimum & viceſimum annum attigiſſe cùm Roſcium defendit, publicè ſcilicet. (nam pro Quintio privatim apud Aquilium Gallum judicem egit.) Dixit & pro ſexto Amerino adoleſcens contra Syllæ dominantis poteſtatem. Vide & Fabricii hiſtoriam Cicer. ad annum 26. & 27.

2 *Pro Cornelio ſeditioſo Tribuno, &c.*] Hanc defenſionem fuiſſe prægrandem refert Plin. lib. 1. epiſt. 20. Et omnia quæ per 4. dies latiùs dixerat, coarctaſſe dicit Ciceronem; quod pugnare videtur cum Nepote, qui refert, iiſdem pene verbis, quibus edita eſt peroratam. Idem tamen ferè legitur in eo Libro qui inſcriptus eſt, de laudibus Philoſophiæ, apud Lactantium lib. 6. cap. 11. his verbis: *Malo vel unum parvum de officio libellum, quam longam orationem pro ſeditioſo homine Cornelio.*

3 *Tantùm abeſt ut ego Magiſtram eſſe putem vitæ philoſophiam, &c.*] Hæc ſcripſiſſe videtur, ut contradiceret his Cic. verbis quæ exſtant in Tuſcul. Quæſtionibus: *O vita Philoſophia Dux! ô virtutis indagatrix! &c.* Et lib. 11. *In eo Magiſtra vita tot ſæcula permaneret philoſophia.*

4 *Itaque noſtri, cùm omnia quæ dixiſſemus, dicta eſſent, &c.*] Ciceronem naturâ ſuâ jocularibus ſcommatibus valde delectatum fuiſſe certum eſt: unde ab invidis, Conſularis ſcurra dicebatur. Vide Macrob. lib. 11. Saturn.

5 *Hoc reſtiterat etiam, ut à te fictis aggrederer donis.*] Hoc verbum paſſive hic ſumitur.

V 5

[1] Qui habet, ultrò appetitur; qui est pauper, aspernatur. *Ibid.*

Quid? oratorum quem Cæsari antepones eorum qui nihil aliud egerunt? [2] quis sententiis aut acutior aut crebrior? quis verbis aut ornatior aut elegantior? *Suetone in Cæsar. cap.* XXI.

*

Neque enim quidquam aliud est felicitas, nisi honestarum rerum prosperitas: vel ut alio modo definiam, felicitas est fortuna adjutrix consiliorum bonorum, quibus qui non utitur, felix nullo pacto esse potest. Ergo in perditis impiisque consiliis, quibus Cæsar usus erat, nulla potuit esse felicitas: feliciorque meo judicio [3] Camillus exulans, quàm temporibus iisdem Manlius, etiamsi, [4] id quod cupierat, regnare potuisset. *Am. Marcell. lib.* XXI.

Quidam veterum, formidantes ea, quæ scriptoribus Historiæ suorum temporum solent sæpè fraudi esse atque invidiæ, cognitionis actuum variorum, stylis jam uberibus explicatas non edidere superstites. *Id. lib.* XXVI. *in fin.*

*

[5] Infelices esse qui omnia sibi licere existimarunt. *Id. lib.* XXVI.

*

Idem ad Atticum de Nepote.

NEpotis epistolam expecto. Cupidus ille meorum, qui ea quibus maximè γαυριῶ legenda non putet? & ais μετ' ἀμύμονα: tu verò ἀμύμων ille quidem ἄμβροτος. *Lib.* XVI. *Ep.* V.

[6] Malè narras de Nepotis filio, valde me hercule moveor & molestè fero. Nescieram omnino esse istum puerum.

NOTÆ.

1. *Qui habet, ultrò appetitur; qui est pauper, aspernatur.*] Id quoque passivè intelligendum est. Vide id genus innumera apud Priscianum lib. 8.

2. *Quis sententiis aut acutior, aut crebrior?*] Vide Cicer. ad Brutum Oratores enumerans, negat se videre, cui Cæsar debeat cedere.

3. *Camillus exulans.*] Ille & alter Romulus dictus fuit, propterea quod ad internecionem deletis Gallis qui urbem incenderant, & Capitolium obsidebant, Remp. Rom. restituit. De quo vide Val. Max. lib. 5. c. 3.

4. *Id quod cupierat, regnare potuisset.*] Quoniam, ut paulò suprà diximus, servato Capitolio, de Regno invadendo cogitabat.

5. *Infelices esse qui omnia sibi licere existimarunt.*] Unde D. August. lib. 5. de Civit. Dei: *O miserum cui peccare licebat!* Et lib. 13. de Trinitate c. 5. ait: *Velle, quod non deceat, miserrimum: nec tam miserum est, non adipisci, quod velis, quàm adipisci velle, quod non oportebat, &c.*

6. *Malè narras de Nepotis filio, &c.*] Id cognationis, non proprium nomen esse puto, nam de Cornelii Nepotis filio nihil mihi uspiam occurrisse memini.

CORNELII NEPOTIS FRAGMENTA.

INCERTA PARTIM QUO LIBRO POSITA. partim quibus verbis concepta.

[1] NEpos auctore certo comperiisse se ait C. Lælium quondam [2] in Puteolano Cal. Martiis admonitum ab uxore [3] temporiùs ut discumberet, petiisse ab eâ ne interpellaretur, seriùs tandem ingressum triclinium dixisse, non sæpè in scribendo magis successisse sibi: deinde rogatum, ut scripta illa proferret, pronunciasse versus qui sunt in ἑαυτὸν τιμωρουμένῳ.

Sati' pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.

Donatus in vita Terentii.

[4] L. Otacilius Pilitus primus omnium libertinorum scribere historiam orsus, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam. Cnei enim Pompeii Magni, quem docuit, patrisque ejus res gestas compluribus libris exposuit. *Sueton. de Clar. Rhetor.*

Cornelius Nepos literatos quidem vulgo appellari ait eos, qui aliquid diligenter & acutè scienterque possint aut dicere aut scribere: [5] cæterum propriè sic appellandos Poëtarum interpretes, qui à Græcis Grammatici nominentur. *Suet. de illustr. Grammat.*

Præter Physicos Homerúmque, qui universum mari circumfusum esse dixerunt, Cornelius Nepos ut recentior auctoritate, sic certior

NOTÆ.

1 *Nepos auctore certo comperisse se ait C. Lælium; &c.*] Hunc Velleius inter Oratores annumerat. De eo etiam Cic. pro Archia Poëta loquitur.

2 *In Puteolano Cal. Martiis.*] Puteolanus à Puteoli, hodie *Pouzzoli*, oppidum maritimum Campaniæ, à Neapoli octavo lapide distans, à Samiis conditum. Dicti Puteoli, sive à copiâ puteorum aquis calidis scatentium, sive à putore, propter aquas sulphureas. Vide Fr. Schottum in Urbis Romæ admirandis.

3 *Temporiùs ut discumberet, &c.*] Comparativus à *tempore*, quo usi sunt aliquando Ovid. lib. 4. Metamorph. & Columella lib. 9.

4 *L. Otacilius Pilitus primus omnium libertinorum, &c.*] Quia, ut inquit Terent.

Servum hominem causas orare, leges non sinunt.

Vide de eo Otacilio Pilito Suetonium de Claris Rhetorib.

5 *Cæterùm propriè sic appellandos Poëtarum interpretes, qui à Græcis Grammatici nominentur.*] Audi quid Seneca dicat ep. 88. *Grammaticus*, inquit, *circa curam sermonis versatur, & si latiùs evagari vult, circa historias. Jam ut longissimè fines suos proferat, circa carmina.* Vide & Quintilianum lib. 11. c. 1. At verò triplex est Grammaticorum genus. Alii enim Technici; alii Historici; alii Critici. Tehnici, elementa, orationis partes, & verborum structuram docent; hi potiùs Grammatistæ, quam Grammatici vocandi. Historici explicant nomina Regionum, Fluminum, Montium, Urbium; Genealogias Deorum ac priscorum Heroum exquirunt. Omnium autem nobilissimi sunt Critici, qui tanquam judices omnia probant, vel improbant, & ex eorum censura librorum omnium pretium augetur, vel deprimitur.

tradit: [1] Testem autem rei Q. Metellum Celerem adjicit, eumque ita retulisse commemorat. Cùm Galliis Proconsul præesset, Indos quosdam à Rege Suevorum dono sibi datos, unde in eas terras devenissent requirendo, cognosse vi tempestatum ex Indicis æquoribus abreptos emensósque, quæ intererant, tandem in Germaniæ littora exiisse. *Pompon. Mela. lib.* III. *cap.* V. *de situ orbis*, *& Plin. lib.* II. *cap.* LXVII.

[2] Largitudo. *Charis. lib.* I.

[3] Eudoxus quidam avorum nostrorum temporibus, cum Lathyrum regem * Alexandriæ profugeret, [4] Arabico sinu egressus per hoc Pelagus (Africam) (ut Nepos affirmat) Gades usque provectus est. *Mela lib.* III. *cap.* 10. *& Plin. lib.* II. *cap.* 67. *& Martian. Capell. l.* 6.

[5] Ab Heneto Paphlagones in Italiam transvecti, mox Veneti sunt nominati. *Solin. c.* 56. *Polyist. & Plin. lib.* VI. *c.* II.

Fauces Oceani T. Livius. ac Nepos Cornelius latitudinis tradide-

NOTÆ.

1 *Testem autem rei Q. Metellum Celerem adjicit, &c.*] Quia, ut refert Plinius, l. 2. à Suevorum Rege quosdam Indos dono accepit Metellus Celer, qui ex Indiâ commercii causâ navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti.

2 *Largitudo.*] Nomen illud inusitatum, & peculiare Nepoti, unde Charisius ibidem citatus dicit: *Largitudo nusquam invenitur, nisi apud Nepotem.*

3 *Eudoxus quidam avorum nostrorum temporibus, cum Lathyrum Regem Alexandriæ profugeret, ab Arabico sinu egressus per hoc Pelagus (Africam) (ut Nepos affirmat.) Gades usque provectus est.*] Eudoxus iste, de quo hic sermo, non idem ac ille ejusdem nominis Astrologus, de quo Cic. lib. 2. de Divinatione loquitur; & Lucan. lib. 10. his verbis:

Nec meus Eudoxi concedet fastibus annus.

Sed quidam alius minus notus, nectamen navigationis imperitus, qui Ptolomæum cognomento Lathyrum, vel potiùs Lathurum, à nomine Græco Λάθυρος, qui antepenultimus fuit Ægypti Rex ex Ptolomæorum prosapiâ, fugiens Gades usque pervenit.

4 *Ab Arabico sinu.*] Arabicus sinus, aliàs mare rubrum dicitur, ab Accolis *Mar di Mecha.* Gades verò, seu *Gadir*, Tyria lingua, vulgò *Caliz*, nomen est insulæ atque etiam Urbis, de qua sic loquitur Rufus Avienus in descriptione Orbis:

Gadir prima fretum solidâ supereminet arce.

Attollitque caput geminis inserta columnis, &c.

Plinius duas insulas esse scribit, ultra finem Bœticæ Provinciæ, & in extremo nostri Orbis versus Occidentem, ubi Europa ab Africâ dirimitur freto Herculeo. Vide eundem lib. 4. c. 22. Non potuit autem Eudoxus ille ab Arabico sinu, Gades usque pervenire, quin totam ferè Africam circuitu legerit, & Promontorium, quod vocant *bonæ spei*, transierit; quæ hodie navigatio notissima est.

5 *Ab Heneto, Paphlagones in Italiam transvecti, &c.*] Henetum quemdam olim vicum in Paphlagoniâ fuisse, unde populi illi qui postea Heneti dicti, ortos fuisse; innuere videtur Nepos hoc in loco; quamvis in confesso sit apud omnes ferè Autores, Enetos fuisse populos ex Paphlagoniâ regione; non ex quodam oppido, ad Trojam à Pylemene adductos, ut refert Homerus Il. 2. & 5. qui post Trojam captam quum diu deerrassent, tandem Italiæ oras appulerunt per sinum Adriaticum, & Veneti dici cœperunt. Præterea Strabo lib. 12. scribit Enetos nobilissimam ac præcipuam Paphlagoniæ fuisse gentem.

runt, ubi minimum, VII. M. pass. ubi verò plurimum X. M. *Plin. lib.* III. *proœmio. Ibid. l.* III. *c.* 17.

[1] Melpum opulentiâ præcipuum, quod ab Insubribus & Boiis, & Senonibus deletum esse eo die, quo Camillus Veios ceperit, Nepos Cornelius tradit. *Plin. lib.* III. *cap.* 17.

[2] Ultra Aquileiam VI. M. pass. Formio amnis, ab Ravennâ CLXXXIX. M. pass. antiquus auctæ Italiæ terminus, nunc verò Istriæ: quam cognominatam tradunt [3] à flumine Istro in Adriam effluente à Danubio amne, eidemque Istro ex adverso Padi fauces, contrario eorum percusso mari interjecto dulcescente plerique dixere falsò, & Nepos Cornelius etiam Padi accola. *Plin. l.* III. *cap.* 28. *Natural.*

[4] Alpes in longitudine X. M. Passuum patere à supero mari ad Inferum Lælius tradit. Timagenes XX. M. Pass. deductis in latitudinem Cornel. Nepos C. M. T. Liv. tria M. Stadiorum uterque diversis in locis. *lib.* III. *cap.* 19.

[5] Inter duos Bosphoros Thraciam & Cimmerium directo cursu, ut auctor est Polybius, CI. M. Pass. intersunt. Circuitu verò totius Ponti vicies semel centena quinquaginta M. ut auctor est Varro, & ferè veteres. Nepos Cornelius CCC. M. L. adjicit. *Lib.* IV. *cap.* 12.

NOTÆ.

1 *Melpum opulentiâ præcipuum.*] Insubriæ oppidum ditissimum, quod à vicinis gentibus deletum est, ut refert Plinius, lib. 3.

2 *Ultra Aquileiam VI. M. pass. Formio amnis, &c.*] Aquileia Romanorum Colonia ad Natisonem fluvium sita juxta quam Timavus defluit; unde Martialis:

Et tu Ledæo felix Aquileia Timavo.

Hanc Romani duodecies mille passibus à mari collocarunt adversus Illiricas & Pannonicas gentes. Vide Livium de bello Macedonico. Quidam Aquileiam dictam volunt à perennibus aquarum fontibus; fuitque civitas tam augusta quondam, ut altera Roma diceretur; hodie Venetis paret, & ad solitudinem propemodum perducta est, ac ex ejus destructione, quæ primò ab Attilâ Hunnorum rege facta est, Venetia suum habuit incrementum. Quod spectat verò ad Formionem, fluvius est Istriæ, hodie *Risano.*

3 *A flumine Istro in Adriam effluente à Danubio amne, &c.*] In eo errore fuerunt antiqui omnes, ut crederent è Danubio fluvium in Adriam confluere juxta Istros populos; unde & Jasonis è Ponto in Adriaticum sinum transitus locum habuit Historiæ, quo in errore Corn. Nepos similiter versatus est.

4 *Alpes in longitudine X. M. passuum patere, &c.*] Eximiæ esse longitudinis Alpes patet ex his Melæ verbis lib. II. *Alpes ipsa ab iis littoribus longè latéque diffusa, primò ad Septentrionem magno gradu excurrunt, deinde ubi Germaniam attigerunt, verso impetu in Orientem abeunt, direptisque populis immanibus, usque in Thraciam penetrant.*

5 *Inter duos Bosphoros Thracium & Cimmerium, &c.*] Duo sunt Bosphori, alter juxta Byzantium, qui & Thracius dicitur, estque ostium Ponti, per quod in Propontidem influit, dictum à trajectu Jovis in Bovem transformati. Vide Valer. Flacc. l. 4. Argon. Alter est Bosphorus in introitu Mæotidis Paludis, per quem in Pontum defluit. Ovid.

Bosphorus & Tanaïs superant, Scythiæque paludes.

Hic etiam Cimmerius dicitur, à Cimmeriis populis, partem ejus frigidissimam incolentibus. Vide Ovid. de Ponto.

[1] Minùs profectò mirentur portentosa Græciæ mendacia de hortis Hesperidum & amne Lixo prodita, qui cogitent nostros nuper paulò minùs monstrifica quædam de iisdem tradidisse: [2] prævalidam hanc urbem majorémque Carthagine magna: [3] præterea ex adverso ejus sitam & [4] propè immenso tractu ab Tingi: quæque alias Cornel. Nepos avidissimè credidit. *Lib.* v. *cap.* I.

Inter Pontum & Caspium mare CCCLXXV. M. Pass. non ampliùs interesse tradiderunt Cornel. Nepos. C. L M. *Lib.* VI. *cap.* XI.

Polybius in extremâ Mauritaniâ contra Montem Atlantem [5] à terrâ stadia octo abesse prodidit Cernen. Nepos Cornel. ex adverso maximè Carthaginis à continente passus mille non ampliorem circuitu duobus millibus. *Lib.* VI. *cap.* 31. *de Insulis Æthiopici maris.*

Nepos Cornelius, qui Divi Augusti principatu obiit: [6] Me, inquit, juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat: nec multò post rubra Tarentina. [7] Huic successit Dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Hac Lentulus Spinther Ædilis Curulis primus [8] in prætexta usus improbabatur: nam

NOTÆ.

1 *Minùs profectò mirentur portentosa Græcia mendacia de hortis Hesperidum, & amne Lixo prodita, &c.*] Nihil vanius & mendacius illis fabulis, quæ Hesperidas Nymphas, & eorum hortos prodidere. Porrò illi horti à Virg. & Plin. describuntur in Mauritaniâ Tingitanâ propè Lixum, quamquam idem Plin. & Ptolom. eos constituunt in Pentapoleos regione, omni arborum genere refertos, in quibus mala erant aurea à Dracone pervigili servara, quem Hercules interfecisse dicitur. Vide plura apud Solinum & Plin. qui Draconem hunc ceu Serpentem interpretantur fuisse æstuarium maris, meatu fluctuoso instar Draconis, quod hortos Hesperidum amplectebatur.

2 *Prævalidam hanc urbem, &c.*] Nimirum Lixon, nam & amnis & urbis nomen est; ut ex his patet Plinii verbis: *A Claudio Cæsare Colonia facta Lixos, vel fabulosissimè ab antiquis narrata. Ibi Regia Antæi, certaméque cum Hercule, & Hesperidum horti.*

3 *Præterea ex adverso ejus sitam.*] Hoc est è regione Carthaginis, quemadmodum Virg. 1. Æneid. dixit: *Carthago Italiam contra, &c.*

4 *Propè immenso tractu ab Tingi.*] Tingis Pomp. lib. 1. & Plin. lib. 5. Mauritaniæ pervetus oppidum ab Antæo, ut ferunt, conditum, ex cujus nomine Mauritania Tingitana dicta est. Hæc cùm Colonia Rom. à Claudio Cæsare facta esset *Julia traducta* dicta est; hodie *Tanger.*

5 *A terra stadia octo abesse prodidit Cernen.*] Cerne Atlantici Oceani insula contra Atlantem montem, Ptolomæo teste; quod & scribit Polybius gravis Author. Plin. tamen hanc inter insulas Æthiopiæ annumerat: *Cerne*: inquit, *nominatur insula adversa Æthiopia, cujus neque magnitudo, neque intervallum à continente constat.* Hanc nonnulli Maderam, alii Gratiosam insulam esse putant.

6 *Me*, inquit, *juvene violacea purpura vigebat, &c.*] De variis purpuræ generibus vide Cœlium, Baysium, & Salmasium, qui omnium accuratissimè in Notis ad Tertullianum de Pallio scripsit. Purpura autem violacea tingebatur circa littora Africæ quæ puniceum succum emittebat. Vide eundem Salmasium loco citato.

7 *Huic successit Dibapha Tyria.*] Purpura quæ bis tingebatur. Unde Cic. in Vatinium, *Strumam Sacerdotii Dibapho vestiunt; Ils couvrent son infamie en l'élevant au Sacerdoce.*

8 *In prætexta usus improbabatur.*] Causam aperit Plin. his verbis: *Spinther ædilis,*

purpura quis non inquit, [1] triclinaria facit. *Lib.* IX. *cap.* 17. *& cap.* 39.

[2] Onychem etiam tum in Arabiæ montibus, nec usquam alibi nasci putavere nostri veteres Sed in Germaniâ potoriis vasis inde factis primùm, dein pedibus lectorum Sellisque Cornelius Nepos tradit magno fuisse miraculo, cum P. Lentulus Sphinter amphoras ex eo & urceos magnitudine cadorum ostendisset: post quiquennium deinde triginta duorum pedum longitudine, columnas vidisse se. *lib.* XXXVI. *cap.* 7.

Νέπως δὲ Κορνήλιος οὐχ ὑπὸ γήρως φησὶν οὐδὲ νόσου παραλλάξαι τὸν Λυκούλλον, ἀλλὰ φαρμάκοις ὑπό τινος τῶν ἀπελευθέρων Καλλισθένους διαφθαρέντα. Cornelius Nepos neque senio, neque morbo, aut alienatâ mente fuisse, sed à Callisthene liberto venenis corruptum. *Plutarch. in Lucull. extrem. & an seni gerenda Respub.*

Νέπως δ' ὁ Κορνήλιός φησιν οὐ Κράσσου, Βρούτου δὲ τοῦ θριαμβεύσαντος ἀπὸ Λυσιτανῶν θυγατέρα γῆμαι Γάιον. Cornelius Nepos non Crassi sed Bruti ejus quæ de Lusitanis triumphavit, filiam nuptum Caio datam refert. *In Gracchis.*

Ἀννίβα δὲ τῶν μὲν ἄλλων, ἐλάχιστος ἦν λόγος. Μάρκελλον δὲ πεπτωκέναι πυθόμενος, αὐτὸς ἐξέδραμεν ἐπὶ τὸν τόπον. καὶ τῷ νεκρῷ παραστὰς καὶ πολὺν χρόνον τήν τε ῥώμην τοῦ σώματος καταμαθὼν καὶ τὸ εἶδος οὔτε φωνὴν ἀφῆκεν ὑπερήφανον οὔτε ἀπ' ὄψεως τὸ χαῖρον ὡς ἄν τις ἐργώδη πολέμιον, καὶ βαρὺν ἀπεκτονὼς ἐξέφηνεν ἀλλ' ἐπιθαυμάσας τὸ παράλογον τῆς τελευτῆς τὸν μὲν δακτύλιον, ἀφείλετο· τὸ δὲ σῶμα κοσμήσας πρέποντι κόσμῳ καὶ περιστείλας ἐντίμως ἔκαυσε καὶ τὰ λείψανα συνθεὶς εἰς κάλπιν ἀργυρᾶν καὶ χρυσοῦν ἐμβαλὼν στέφανον, ἀπέστειλε πρὸς τὸν υἱόν. τῶν δὲ νομάδων τινὲς περιτυχόντες τοῖς κομίζουσιν ὥρμησαν ἀφαιρεῖσθαι τὸ τεῦχος. Ἀντιλαμβανομένων δ' ἐκείνων ἐκβιαζόμενοι καὶ μαχόμενοι διέρριψαν τὰ ὀστᾶ. Πυθόμενος δὲ Ἀννίβας καὶ πρὸς τοὺς παρόντας εἰπὼν, οὐδὲν ἄρα δυνατὸν γενέσθαι ἄκοντος θεοῦ τοῖς μὲν νομάσιν, ἐπέθηκε δίκην, οὐκ ἔτι δὲ κομιδῆς ἢ συλλογῆς τῶν λειψάνων ἐφρόντισεν, ὡς δὴ κατὰ θεόν τινα καὶ τῇ τελευτῇ ἀταφίας, παραλόγως οὕτω τῷ Μαρκέλλῳ γενομένης. Ταῦτα μὲν οὖν οἱ περὶ Κορνήλιον Νέπωτα καὶ Οὐαλέριον Μάξιμον ἱστορήκασι. Λίβιος δὲ καὶ Καῖσαρ ὁ Σεβαστὸς, κομισθῆναι τὴν ὑδρίαν πρὸς τὸν υἱὸν εἰρήκασι καὶ ταφῆναι λαμπρῶς. Annibal verò cum reliquos minimi faceret, Marcellum ce-

NOTÆ.

fuit Urb. Cond. anno septingentesimo, &c. Conf. Dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta esset, veluti magnifico impendio; qualiter nunc omnes commodiores purpura tinguntur.

1 *Triclinaria facit.*] Hoc est, ut explicat Salmasius, accubitalia, quibus lecti tricliniares sternuntur.

2 *Onychem etiam tum in Arabiæ montibus, &c.*] Notum est omnibus Onychem esse gemmæ cujusdam genus, humani unguis candorem referentis; Plin. lib. 37. c. 5. Est etiam Onyx Marmoris genus, in montibus Arabiæ præcipuè nascens, postea etiam in Germaniâ inventum. Author idem Plin. lib. 36. c. 7. & 8. Ex hoc marmore fiebant olim pretiosissima pavimenta; unde Martialis lib. 3.

Calcatusque tuo sub pede lucet Onyx.

cidisse audito, ipse ad locum accurrit: cadaverique adsistens, diúque corporis robur & formam contemplatus, neque superbam ullam emisit vocem, neque vultu lætitiam (ut consentaneum erat eum, qui tam molestum & gravem hostem interfecisset) præ se tulit: Sed inopinatum viri exitum miratus, annulum ei abstulit, corpus digno habitu ornatum, vestibusque decentibus amictum cremavit, reliquias in urnam argenteam lectas, aurea superaddita corona, ad filium ejus misit. Sed quidam Numidæ cum in ferentes ea incidissent adimere vi conati sunt: illis reluctantibus, ac vim vi repellentibus ossa disjecta sunt. Annibal hoc audito, ad eos qui aderant, Nihil, inquit, utique Diis invitis fieri potest: sumto de Numidis supplicio nullam præterea de Marcelli reliquiis colligendis curam habuit: ut qui Dei alicujus numine Marcello hunc exitum vitæ & sepulturæ privationem ita præter omnium opinionem evenisse crederet. Hæc Cornel. Nepos, & Valerius Maximus narrant. Livius & Augustus Cæsar, perlatam ad filium Marcelli urnam, & honorificè sepultas ejus reliquias perhibent. *In Metello.*

Ἀννίβαν δὲ Μάρκελλος, ὡς μὲν οἱ περὶ Πολύβιον λέγουσιν, οὐδὲ ἅπαξ ἐνίκησεν, ἀλλ' ἀήττητος ἀνὴρ δοκεῖ διαγενέσθαι μέχρι Σκηπίωνος. ἡμεῖς δὲ Λιβίῳ Καίσαρι καὶ Νέπωτι καὶ τῶν Ἑλληνικῶν τῷ βασιλεῖ Ἰόβᾳ πιστεύομεν ἥττας τινὰς καὶ τροπὰς ὑπὸ Μαρκέλλου τῶν σὺν Ἀννίβᾳ γενέσθαι. Annibalem Marcellus, ut Polybius narrat, ne semel quidem vicit: sed invictus hic vir fuisse videtur usque ad Scipionem. Nos autem Livio & Cæsari & Nepoti, & ex Græcis scriptoribus regi Jubæ credimus aliquotiens Hannibalem à Marcello victum & in fugam versum esse. *In Marcello.*

Cornelius Nepos, qui Divi Augusti principatu obiit, [1] cum scriberet turdos paulò antè cæptos saginari, addidit [2] ciconias magis placere quàm grues: cum nunc hæc ales inter primas expetatur, illam verò nemo velit tetigisse. *Plin. lib.* x. *cap.* 33.

[3] Præcipuam olim auctoritatem fuisse, lupo & asellis Corn. Nepos

NOTÆ.

1 *Cùm scriberet turdos paulo antè cæptos saginari.*] Turdus genus est avis simul & piscis. Martialis lib. 13.

Inter aves Turdus, mecum si judice certes.
Inter quadrupedes, &c.

2 *Ciconias magis placere, quàmGrues, &c.*] Id forsan dicitur, quod Ciconiarum genus sit pietatis & gratitudinis erga parentes symbolum. Unde Petronius arbiter in satyrico de Ciconia.

Ciconia etiam grata, peregrina, hospita;
Pietati cultrix, gracilipes, crotalistria,
Avis exul hiemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.

3 *Præcipuam olim authoritatem fuisse. Lupo & Asellis, &c.* [Lupus hic nomen est piscis quem Romani omnibus aliis prætulerunt, quem Catillonem & Liguritorem vocabant; metaphorá ductâ ab hominibus gulosis & delicatis, quos ideò Catillones vocabant antiqui, quòd absumptis cibis ipsos etiam Catillos lingerent. Græcè λάβραξ, luporum laudatissimi, qui appellantur lanati à candore mollitiaque carnis. Unde Martialis lib. 13.

&c.

&[1] Laberius Poëta mimorum tradidere. *lib. IX. cap.* 17.

[2] Magnitudo loto arbori, quæ piro: quanquam Nepos Cornel. brevem tradat: vinum quoque exprimitur huic simile mulso, quod ultra denos dies negat durare idem Nepos. *lib.* XIII. *cap.* 17.

[3] Scandula contectam fuisse Romam usque ad Bellum Pyrrhi annis quadringentis LXX. Cornel. Nepos auctor est *lib.* XVI. *cap.* 10.

Cornelius Nepos tradit ante Syllæ Victoriam duo tantum triclinia Romæ fuisse argentea. *Lib.* XXXIII. *cap.* 11.

Primus invenit lineas colorare, testa ut ferunt trita, Cleophantus Corinthius. Hunc, aut eodem nomine alium fuisse tradit Cornelius Nepos, secutum in Italiam Demaratum Tarquinii Prisci Romani regis patrem fugientem [4] à Corintho injurias Cypseli Tyranni, *lib.* XXXV. *cap.* 3.

Primum Romæ parietes crustâ marmoris operuisse totius domus suæ in Cælio Monte Cornel. Nepos tradidit [5] Mamurram Formiis natum, equitem Romanum præfectum fabrorum C. Cæsaris in Galliâ: adjecit eum primum totis ædibus nullam, nisi è marmore, columnam habuisse, omnes solidas [6] è Carystio aut Lunensi. *lib.* XXXVI. *cap.* 7.

NOTÆ.

Lumen Eugani lupus excipit ora Timavi.

Æquoreo dulces cum sale pastus aquas. Asellus similiter, est piscis laudatissimus. Vide Plin. lib. 9.

1 *Laberius Poëta mimorum, &c.*] Hic Poëta mimographus fuit, vide Macrob. Saturn. lib. 2. & Gellium, & Senecam lib. 7. Declamationum; & Horatium in Serm. cujus hæc verba sunt, *& Laberi mimos, ut pulchra poëmata mirer.*

2 *Magnitudo loti arbori, quæ piro.*] Lotus arbor frequens in Africa fuit apud Syrthes, unde Lotophagi populi quòd ejus arboris fructu credantur victitare, cujus cibus est tam dulcis, ut advenis incutiat patriæ oblivionem: itaque cùm Ulyssis socii delati fuissent Africam, & Lotum gustassent, vix inde abduci potuerunt. Hom. 9. Odyss.

3 *Scandula contectam fuisse Romam usque ad bellum Pyrrhi, &c.*] Scandula; quasi, scindula, à scindendo; quia ejusmodi sunt tegulæ ligneæ, non terra, sed bipennibus scissæ. Vel scandulæ à scandendo, quia in culminibus tectorum, ad tegulas imbricesque sustinendos collocantur, quò scandentes pervenire solent. Inde tectum scandulare dicitur, quod ex scandulis constat.

4 *A Corintho injurias Cypseli tyranni.*] Tyrannus ille Corinthius Cypselus dictus à Cistula, quam Græci Cypselon vocant, in quâ delituit occultatus à matre, cùm ad mortem quæreretur. Vide Cic. in Tusc. quæst. lib. 5. & lib. de Fato.

5 *Mamurram formiis natum.*] Hunc propterea Catullus carpit in Epigrammate in quo scribit eum in ædibus suis habuisse, quidquid habuisset Gallia comata, quia Præfectus fabrorum Cæsaris in Gallia fuit. Vide de eodem Plin. lib. 36. c. 6.

6 *E Carystio, aut Lunensi.*] Quia in Carysto insulæ Eubeæ civitate, autore Strabone lib. 1. Carystiarum columnarum incisio erat: ibique Apollinis Marmorei templum. Carystii marmoris meminit Plin. lib. 4. c. 12. & lib. 36. c. 6. Item Lucanus lib. 5. de insula Eubæa loquens:

Qua maris angustas fauces saxosa Carystos.

Sita est ad Pelagus Myrtoum, sub Ocha monte. In hac, si qua Solino fides est, olim Titanes regnavêre. Luna vero Heturiæ oppidum est ad mare situm, fœcundissimis candidi marmoris fodinis nobilitatum.

Ædes Martis est in Circo Flaminio [1] architectata ab Hermodoto Salaminio. *Priscian. lib.* VIII.

[2] Non amplius ter bibere Augustus solitus, super cœnam, in castris apud Mutinam. *Sueton. August. cap.* LXXVII.

[3] In extremâ Britanniæ parte Memma [4] quam Cornel. etiam Annalium scriptor narrat metallis plurimis copiosam, herbis frequentem, & his feraciorem omnibus, quia pecora magis, quam homines alat. Labi verò per eam multa quam maxima relabique flumina gemmas margaritasque volventia.

Jordanus sive Gornandes de rebus Gothicis.

EPISTOLA CORNELIÆ MATRIS.

GRACCHORUM.

DIces pulchrum esse inimicos ulcisci. Id neque majus, neque pulchrius cuiquam, [5] atque esse mihi videtur; [6] sed si liceat Repub. salva ea persequi. Sed quatenus id fieri non potest, multo tempore, multisque partibus inimici nostri non peribunt, atque uti nunc sunt, erunt potius, quàm Respub. profligetur atque pereat.

Eadem alio loco.

Verbis conceptis [7] dejerare ausim, præterquam qui Tiberium Gracchum necarunt, neminem inimicum tantum molestiæ, tantumque laboris, quantum te, ob has res mihi tradidisse: quem oportebat omnium eorum, quos ante habuerim, liberos, [8] partis eorum tolerare: atque curare, ut quam minimum solicitudinis in senecta

NOTÆ.

1 *Architectata ab Hermodoro Salaminio.*] Hermodori Architecti celeberrimi meminit Vitruvius lib. 3. c. 1. Architect.

2 *Non amplius ter bibere Augustus solitus, &c.*[Sic Suetonius, cujus hæc sunt verba: *non amplius ter bibere cum solitum super cœnam in Castris Mut. Cornelius Nepos tradit.*

3 *In extrema Britanniæ parte Memma, &c.*] Mona, non Memma hic legi debere videtur, quia invenitur quidem passim in Autoribus Mona insula Angliam inter & Hiberniam sita, quæ hodie etiam *Mon* vocatur ab incolis Britannis, qui linguam avitam retinent: sed nullibi Memma legitur, nisi solum hoc in libro. Hæc insula angusto vado tantum à Britanniæ continente sejungitur, ut Ptolemæus, Cæsar, & Plinius eam describunt.

4 *Quam Cornelius etiam Annalium scriptor, &c.*] Hunc Cornelium Tacitum cum Schotto & Lindenbrogio existimo, ut videre est ex ejus Annalibus pluribus in locis, ac præsertim ex Agricolæ vita quam ipse scripsit.

5 *Atque mihi esse videtur.*] Steph. Pighius *esse* omittit.

6 *Sed si liceat Rep. salva ea persequi.*] Eos persequi, scilicet inimicos, mallem cum eodem Pighio.

7 *Dejerare ausim.*] Id est, Deos jurare. Quemadmodum Apuleius dixit, *quam sanctissimè dejerantes.* Quia autem solenne erat, & expressum jurandi genus, ideò dicitur, *conceptis verbis.*

8 *Partis eorum tolerare.*] Idem quod *Partes.*

haberem: utique quæcunque ageres, ea velles maximè mihi placere: atque uti nefas haberes rerum majorum adversum meam sententiam quicquam facere; præsertim mihi, cui parva pars vitæ superest. Ne id quidem tam breve spatium potest opitulari, quin & mihi adverseris & Remp. profliges. Denique [1] quæ pausa erit? & quando desinet familia nostra insanire? [2] & quando modus ei rei haberi poterit? & quando desinemus [3] & habentes & præbentes, [4] molestiis desistere? [5] & quando perpudescet miscendâ atque perturbandâ Rep.? Sed si omnino id fieri non potest; ubi ego mortua ero, petito Tribunatum; post me facito, quod libebit, cum ego non sentiam. Ubi mortua ero parentabis mihi, [6] & invocabis Deum parentem. [7] In eo tempore non pudet te [8] eorum Deûm preces expetere, quos vivos atque præsentes, relictos atque desertos habueris? Ne ille *sinat* Jupiter, te ea perseverare: nec tibi tantam dementiam venire in animum; & si perseveras, vereor ne in omnem vitam tantum laboris culpâ tuâ recipias, uti in nullo tempore tutè tibi placere possis.

NOTÆ.

1 *Quæ pausa erit?*] Sic in Plauto legitur; atque adeo corruptè quosdam legere censeo, quæ causa erit?

2 *Et quando modus ei rei haberi poterit?*] Gebhardus, & Gifanius, *ecquando*, quod idem est ac, *num quando*: vel *an aliquando*.

3 *Et habentes, & præbentes.*] Melius legi existimarem, ut quidam legunt, & *absentes & præsentes*.

4 *Molestiis desistere.*] Quidam legunt, *desipere*; quod non probo.

5 *Et quando perpudescet miscenda, atque perturbanda Rep.*] Id dicitur quemadmodum apud Tacitum legitur, *pudet dicti*; & similia.

6 *Et invocabis Deum parentem.*] Rutgersius conjicit legendum esse. *Invocabis Deûm parentem Numen.* Quidam scribunt: *Et invocabis Deos manes parentis. Eo tempore ne pudeat eorum Deûm preces expetere.* Eorum Deûm; hoc est, Deorum Manium, juxta Ovidii mentem, qui ait,

Perque tuos Manes qui mihi Numen erunt.

7 *In eo tempore non pudet te, &c.*] Mallem cum Pighio legere, *non pudebit.* Vel cum Salmasio, *ne pudeat.*

8 *Eorum Deûm preces expetere.*] *Deûm*, pro, *Deorum*. Pro *preces* sunt qui *pace* legi velint; quod fateor me minus capere.

FINIS.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre : A nos amez & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers qu'il apartiendra ; SALUT. Notre bien amé JEAN-JOSEPH BARBOU, Libraire à Paris; Nous ayant fait très-humblement representer que les Editions des Auteurs cy devant composez pour l'usage de notre très-cher & honoré Seigneur & Ayeul Loüis Dauphin de France, étant consommées, & que plusieurs Sçavans les recherchant avec empressement, il seroit utile d'en donner une nouvelle Edition plus ample & plus correcte que les précedentes. A CES CAUSES, voulant favorablement traiter ledit Barbou, & exciter par son exemple les autres Libraires & Imprimeurs de notre Royaume, à entreprendre des Ouvrages considerables, dont la lecture puisse contribuer à l'avancement des Sciences & au progrés des belles Lettres, & soûtenir de plus en plus la Librairie & Imprimerie ; Nous avons permis & permettons par ces Présentes audit Barbou d'imprimer ou faire imprimer les Livres qui ont pour titre, *Authores, Oratores, Historici, Philosophi & Poëta ad usum Serenissimi Delphini cum Indicibus & Tabulis, Interpretatione, Commentariis & Notis*; qui ont paru avec des Lettres de Privilege de notre très-honoré Seigneur & Bisayeul le feu Roy de glorieuse memoire, & de les donner au public en tels volumes, forme, marge, caractères, & autant de fois que bon lui semblera, conjointement ou separement, & de les vendre, faire vendre & débiter par tout notre Royaume, pendant le tems de vingt années consecutives, à compter du jour de la date desdites Présentes : Faisons défenses à toutes sortes de personnes de quelque qualité & condition quelles soient, d'en introduire d'impression étrangere dans aucun lieu de notre obéïssance ; comme aussi à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter ni contrefaire lesdits Livres en tout ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits sous quelque prétexte que ce soit, d'augmentation, correction, changement de titre ou autrement, sans la permission expresse & par écrit dudit Exposant, ou de ceux qui auront droit de lui; à peine de confiscation des Exemplaires contrefaits, de dix mille livres d'amende contre chacun des Contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Exposant ; à condition néanmoins que ces Présentes ne pouront nuire ni prejudicier aux Privileges ou permissions que Nous avons cy-devant pû accorder pour l'impression de quelques-uns desdits Auteurs, qui seront executées selon leur forme & teneur, & ausquels Nous n'entendons déroger en aucune façon ; Et sans aussi que ces Présentes puissent nuire ni préjudicier aux Privileges ou Permissions que Nous avons accordez ou accorderons cy-aprés pour l'impression du Texte desdits Auteurs, des Notes ou Commentaires, ou Traductions qui ont été ou pourront être faites cy aprés, autres que ceux desdits Auteurs *ad usum Serenissimi Delphini* ; & en outre à condition que les augmentations que ledit Exposant fera faire ausdits Auteurs, seront examinées par le Censeur qui sera pour ce commis ; A la charge aussi que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, & ce dans trois mois de la date d'icelles ; que ledit Exposant sera tenu de donner au public chaque année un huitiéme desd. Auteurs, & d'en achever l'impression entiere dans l'espace de huit années à peine de nullité des Présentes, laquelle peine ne pourra être reputée comminatoire ; que l'impression desdits Auteurs sera faite dans notre Royaume & non ailleurs, en bon papier & en beaux caractères, conformément aux Reglemens de la Librairie ; & qu'avant que de les exposer en vente, les Manuscrits ou Imprimez qui auront servi de copie à l'impression desdits Auteurs, seront remis dans le même état où les Approbations y auront été données ez mains de notre très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sr. Fleuriau Darmenonville; & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliotheque Publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notred. très-cher & feal Chevalier Garde des Sceaux de France le Sr. Fleuriau Darmenonville, le tout à peine de nullité des Présentes : Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire joüir ledit Exposant ou ses ayans cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empéchements. Voulons que la copie desd. Présentes qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin desdits Livres, soit tenue pour dûement signifiée ; & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amez & feaux Conseillers & Secretaires, foy soit ajoûtée comme à l'Original : Commandons au premier notre Huissier ou Sergent, de faire pour l'execution d'icelles tous Actes requis & necessaires, sans demander autre permission, & nonobstant Clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires ; Car tel est notre plaisir. Donné à Paris le quinziéme jour du mois d'Octobre l'an de grace mil sept cent vingt-deux, & de notre Regne le huitiéme. *Par le Roy en son Conseil*, DE LAVERGNE.

Registré sur le Registre V. de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, Page 225. N. 351. conformement aux Reglemens, & notamment à l'Arrêt du Conseil du 13. Août 1703. A Paris le 20. Octobre 1722.

BALLARD, Syndic.

INDEX
VOCABULORUM OMNIUM
QUÆ IN VITA EXCELLENTIUM
IMPERATORUM A CORNELIO NEPOTE
CONSCRIPTA CONTINENTUR.

Prior numerus paginam, alter verò, vel alii ad proximam usque lineolam, paginæ lineam, vel lineas significant.

A.

B.

C.

D.

dulcius,

F.

G.

H.

Hasdrubale,

I.

M.

N.

P.

pluribus,

R.

reſpondebat,

T.

victori,

Finis Indicis denuò elaborati.

Ex Typographia JOSEPHI BARBOU, 1726.









T.

victori,

Finis Indicis denuò elaborati.

Ex Typographia JOSEPHI BARBOU, 1726.






ACAD.
SCIENT. LITT.
ET ART.
LUGD



